
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
2 C
11

LIBERTATIS ECCLESIASTICAE ET PVBLICAE NECESSITATIS CONCORDIA.

TRACTATVS DE LIBERTATE ECCLESIASTICA

Cum Publica Reipublicæ necessitate confœderanda.

In quo accuratè tractatur quandonam Ecclesiasticorum bona grauari possint contributionibus vrgente bello, & quando non.

OPVS FLAVII POPEI CIVITATIS SESOE

In Semeolandis Cura, & Studio compositum.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D. D.

ALEXANDRVM ARGOLVM




GVBERNATOREM TIPHERNI ET EPISCOPVM



Electum D. Marci in Calabria Citra.

Bononiæ Typis H.H.Euangelistæ Duciæ. 1651. Sup.permissu.





ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME

PRAESVL.



Ruditiſsimum hoc opus, quod Eccleſiæ immunitatem propugnat, tuis Infulis debeo, quibus & tu deberis Pręſul iam electus, Illuſtriſsime ALEXANDER, vt ſacro labori corona ſint, & Patrocinium. Lubens enim, vt opinor, hiſce ſudoribus ſacram Tyaram inoculabis, tuæq; humanitatis in ſinu propugnatricem Eccleſiæ Sapientiam excipies. Nam inuſitatum non eſt Illuſtriſsimę ARGOLORVM Familiæ & ferro per fortiſsimos Duces, & calamo per optimos Præſules Eccleſiaſtici nominis dignitatem ſuſtinere. Tibi verò potiori iure hoc compe-

tit,

tit, qui Maiorum tuorum virtutes felici compendio concludis. Multarum Vrbium moderator æquiſsimus, Gaſparem Argolum illum tuum Anconæ ſummum Præſidem animo expreſſiſti, nec nodum vllum obiecit impietas, quẽ Aſtręæ gladio verus ALEXANDER non diſsolueris. Ad Antiſtitis titulos eue-ctus, alterum habes ALEXANDRVM ARGOLVM Terracinę Epiſcopum, quẽ nomine, & virtutibus referas: præit ille, vt aureis tuę integritatis moribus, melius quàm pretioſo Sibillę ramo, populis tuis Elyſium aperias verę felicitatis. Agnoſce igitur tuum hoc munus, tuęq: in me ſit beneficentię argumentum; & mei in te authoramentum obſequij. Vale

Bononiæ X. Kal. Decembris. MDCL.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D.T.

Addictiſ. ſeruus
Carolus Manoleſius.

AD LECTORES



IVTIVS in Italia cùm ſim diuerſatus, ibiq; viderim fertiliſsimam, atque omnium pulcherrimam regionem non minus externi hoſtis armis concuti, quàm ciuilibus inter Eccleſiaſticos, & Laicos controuerſijs dilaniari, mecum ipſe perpendere cœpi, an quid præſtare poſſem, quo ciuilia hæc bella magnorum malorum cauſæ, dirimerentur. Impèllebat ad id in homines eius regionis charitas, quibus cum familiariter multis annis ſum conuerſatus, quiq; me humaniſsimè ſemper exceperunt; verebar tamen, ne vel Eccleſiaſticorum, vel Laicorum indignatione torquerer, ſi, aut his, aut illis fauiſſe viſus eſſem. Non cuiuſquam ergo partis defenſionem ſuſcipiendam eſse duxi, ſed omnium, Iuſtitiæ videlicet, quam omnes; (vt puto) ſummopere amant, & expetunt. Hoc idcirco opus omnium oculis exhibeo, in quo Eccleſiaſticorum, & Laicorum obligationes, cùm bello ardet Reſp. diligentius intuens, quid cuiq; liceat, quid non liceat, expono: atq; ideo illud libertatis Eccleſiaſticæ, & Publicæ

necessitatis concordiam nomino. Pacis propterea Ecclesiasticorum, & Laicorum aduocatum me futurum non despero. Nec miretur aliquis me alicubi Mediolanensis potissimum ditionis mentionem facere, non alterius, in qua fortè eadem contingunt, quæ in illa; quia cùm pluribus mensibus ibi sim commoratus, ipsis oculis quæ in ea accidunt, vidi; & curiose à peritissimis pleraque peruestigaui, quod mihi temporis breuitas non concessit in alijs Italiæ partibus, in quarum vnaquaque, Roma, ac Neapoli exceptis, per paucas hebdomadas sum commordatus. Tu, benigne Lector, tractatum hunc, quem omnium luci committo, fauore prosequere, beneuoloque animo perlege; & si in eo aliquid, quod tibi arrideat, inueneris, supremo numini gratias mecum age: sin aliquid, quod displiceat, Parce; bonoq; animo me omnia scripsisse Scito. Vale.

TRA

TRACTATVS DE LIBERTATE ECCLESIASTICA

Publicę necesſitatis tempore conſeruanda.

CAPVT PRIMVM.

An Eccleſiaſtici ſint exempti à legibus Principum ſecularium ob publicum bonum latis.

1 *PRincipis laici legibus eccleſiaſticos eſſe ſubiectos ſentiunt aliqui.*

2 *Quid abſurdi ex dicta ſententia ſequatur: omnis lex ob intereſſe boni communis ferri debet. nec laicis legibus ſubſunt eccleſiaſtici, cùm ea ſunt contra Pontificias, neque enim Regia poteſtas eſt ſupra Pontificiam.*

3 *Satisfit rationi Aduerſantium. exempti ſunt eccleſiaſtici à laicis legibus.*

4 *In res temporales Eccleſia non habet Princeps laicus poteſtatem, & probatur varijs iuribus.*

5 *Princeps laicus non poteſt ligare ſuis legibus eccleſiaſticos, nec bona Eccleſiæ. quinam ciues illis obtemperare debeant.*

6 *Etſi aliquibus legibus Principis demus ligari eccleſiaſti-*

siasticos, non tamen illis onerum, & tributorum.

7 *Cùm leges non sunt contra libertatem ecclesiasticam, & contra Pontificia decreta admittuntur ecclesiasticos ligare, quoad vim directiuam, seu declaratiuam obligationis naturalis; non quoad vim coactiuam*

8 *Non læditur vniformitas in Republica ob exemptionem ecclesiasticorum.*

9 *Leges Iustiniani non sunt alicuius ponderis, cùm sunt contra immunitatem ecclesiasticam.*



REm à pluribus tractatam breuissimè attingam, vt totius istius tractatus de immunitate ecclesiastica fundamentum iaciam, quo iacto quid hac in re sentiendum sit, apertè quiuis colliget.

1 Aliqui Theologi, vt Soto, Molina, Victoria, Enriquez, Driedo, Belarminus, & quod caput est D. Thomas *a* in ea videntur esse sententia, vt ecclesiastici legibus Principum secularium sint subiecti, vt etiam Nauarrus cum non nullis alijs Saliceto, Ripa, Bartolo, qui videri possunt apud Surdum *b*. Quorum ea videtur esse ratio; quia Principi datum est a Deo, vt Remp. tueatur, & gubernet, cumq; id præstare non possit, nisi à ciuibus obedientia prestetur ipsius ordinationibus, sintq; ecclesiastici, ciues, & pars Reipublicæ, sequitur profectò, vt debeant eius legibus obtemperare, quæ ob publicum bonum sunt latæ. Sic ad formam syllogisticam ratio ista reducetur. Omnes ciues obtemperare debent legibus ob publicum bonum latis à Principe Remp. gubernante, sed ecclesiastici sunt ciues. Ergo obtemperare debent legibus ob publicum bonum latis à Principe Rempub. gubernante.

a Soto 4. Sēt. d. 25 q. 2. a. 2. Mol. de iust. d. 31. Vict. de pot. Eccl. relect. 1. sect. 7. Henriq. l. 10. c. 15. Bellarm. de l. 3. c. 6. Driedo de lib. Christ. l. 2 c. 1. prop. 4. D. Th. de regim. Princ. l. 1 Nau. in man. c. 23. n. 88.

b Surd. cons. 301.

2 Verùm nisi huiusmodi sententia melius explicetur, illud absurdum continet, quòd legibus omnibus

Prin-

Principum subiecit ecclesiasticos, cum quæcunq; lex, si iusta est, boni communis intuitu ferenda sit, testibus D. Thoma, Suarez, Papiniano, & alijs *a*, alioquin lex non erit, nec ciues obligabit, & habetur etiam ex Cap. erit autem lex, dist. 4. & ex l. 1. & 2. de legib. Quod quidem sine errore affirmari non potest, cum ecclesiastici ciuilibus legibus non subiaceant, saltem cum eæ sunt contra sacros Canones, ac leges Pontificias. Etenim secularium Principum potestas non est supra sacrum Pontificem, vt est non solum apud Theologos, sed & quoscunque verè Catholicos in confesso, atque adeo minor potestas, non potest maioris potestatis, qualis est Pontificia, leges, suis legibus abrogare. Quare meritò pronuntiauit S. Damascenus, non est Piorum Regum ecclesiastica statuta conuellere. & al bi, Regum partes non sunt, vt ecclesiæ leges præscribat *b*.

a D. Th. 1. 2. q. 90. a. 2. Suar. de leg. l. 1. c. 6. Papin. in l. lex est ff. de leg. apud Castrũ Palaum. de leg. d. 1. p. 1. tr. 3. t. 1.

b Damasc. or. 1. & 2. de imag.

3 Quare, vt rationi in contrarium allatæ satisfaciamus. est commissa quidem Principi seculari cura Reip. tuendæ, at non ita, vt potestatem suam exercere possit in non subditos, aut etiam contra Ecclesiæ sanctiones. Porrò ecclesiastici, licet ciues sint, non sunt tamen subditi Principis eam gubernantis, cum iure ecclesiastico, & etiam Diuino iuxta multos Doctores, *c* sint ab eius iurisdictione exempti, & ideo non possunt eius legibus ligari. quod satis apertè testantur sacri Canones, vt caput Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Const. in quo Innoc. Tertius ea habet verba. Nos attendentes, quòd laicis super Ecclesijs, & personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas.. vbi aduerte particulam illam, nulla, quę est particula excludens omnem potestatem, est enim vniuersalis negatiua omnia excludens, vt multis citatis probat Barbosa. *d*

c Vide Castrum Palaũ tr. 12. de reuer. debita Eccl. pers. d. vn. p. 1. n. 3. l. 2. Dian. 1. p. tr. 1. resol. 1.

4 Nec valet effugium, quòd Canon neget tantùm esse vllam potestatem Principis secularis in personas ec-

d Barb. de dict. vsuf. eq. dict. 229. vbi citat Panorm. Corn.

Gozad. Bart. Gemin. Soc. Iom. Tuſch. Tiraq.

eccleſiaſticas,& in res eccleſiaſticas ſpirituales non verò in temporales. Non valet, inquam, hoc effugium, quia Papa in eo Canone loquitur de rebus eccleſiaſticis temporalibus, nam annullat Conſtitutionem Baſilij Imperatoris de non alienandis Eccleſiæ Prædijs, & idcircò eam abrogat, quia miſerat Imperator falcem in meſſem alienam, ſine auctoritate Summi Pontificis. Idem Pontifex id repetit in cap. cùm laicis de reb.eccl. non alien. Cum laicis, inquiens, diſponendi de rebus eccleſiæ nulla ſit attributa poteſtas, quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi.

Idem decernitur cap. benè quidem diſt. 96. ibi enim Concilium conſtanter ait, laicis nullam de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi eſſe attributam facultatem, quarum ſolis ſacerdotibus diſponendi indiſcuſsè à Deo cura commiſſa docetur.

Similia dicunt cap. non placuit; ſup. laicis; cap. ſi quis. 16. q. 7. cap. ſeculares de foro comp. in 6.

5 Cum ergo Princeps ſecularis nihil in perſonas eccleſiaſticas, nihil in res item eccleſiaſticas etiam temporales decernere poſſit, quomodo ferre poterit leges, quæ vel perſonas, vel res eccleſiaſticas, ſiue ſpirituales, ſiue temporales aliquo modo ligent? Caret iuriſdictione reſpectu perſonarum, & rerum eccleſiaſticarum ex iuribus citatis, & cap. ſi Imperator 96. diſt. & l. decernimus C. de ſacr. Epiſc. ergo leges ferre non poteſt, quę eas obligent, quamuis in commune bonum, & ob cauſam maximè piam eas ferat, nam commune bonum, & cauſa quantumuis pia non tribuunt iuriſdictionem alicui in non ſubditum, & contra Eccleſiæ priuilegia, vt quamplurimi Iuris periti, Canonũ Doctores, ac Theologiæ Magiſtri concedunt. a Veriſſimũ eſt enim illud ſacrorum Canonum pronuntiatum, Sãctam ſcilicet Dei Eccleſiam mundanis nunquam conſtringi legibus l. Inter

a Surd. conſ. 301. & 302. Mantic. in cap. Eccle.

ter hæc 33.q.2.C. Nouerit de sent. excom. Conc.Trid. sess.25.c.20.& cap. lege imperatorum d.10. vbi dicitur Imperiali iudicio non possunt iura Ecclesiastica dissolui; quibus addi potest lex Cassa.C. de Sacr. Eccl.

Maneat ergo, non omnibus legibus ob bonum publicum latis à Principe seculari ecclesiasticos ligari. Illaq; maior contrarij argumenti. omnes ciues obtemperare debent legibus ob publicum bonum latis à Principe Rempub. gubernante, distinguenda est: de ciuibus subditis, & nulla alia lege ob animarum bonum lata à superiore ecclesiastico ligatis, Concedo eos obtemperare debere: de ciuibus non subditis, & lege, ob animæ bonum lata à Superiore ecclesiastico ligatis, nego obtemperare debere legibus à Principe latis. Ad minorem verò respondeo, Clericos esse ciues non subditos, & Pontificijs legibus obstrictos, & ideo negatur consequentia.

fia S. Mariæ, Dec. ibid. n. 233. Grot. in leg. filius fam.§.dicti n. 80 ff.de leg.2 Nau l.1.cós. 4.Sanch 2 l.1 de matr. d.6. & in decal.l. 7.c. 3.nu.20. & c.9.n.4. & seqq. Suar. de leg.l. 3.c. 34.nu.13 Les. de Iust.l.2.c. c. 4. dub. 10. nu. 82. Mol. de iust.d.141 Azor. t. 1.l. 12.c.6.q.4.

6 An verò ecclesiastici aliquibus legibus à Principe laico sancitis obstringantur, alia quæstio est, & ad nostrã causã parum conducens. Licet.n. demus aliquibus ligari, non ideo ex hoc rectè concludetur eos teneri legibus onerum, & tributorum pro Reip. commodo impositorum, cum à particulari non valeat conclusio, vt si quis argueret, aliquis homo est albus, ergo Petrus est albus, malè concluderet, vt ex logicis principijs est manifestum. Sic etiam si arguere velimus. Aliqua lege Principis secularis tenentur ecclesiastici, ergo obligantur illa tributorum, & onerum alijs communium, negari sine reprehensione poterit conclusio, nam ex vi antecedentis ea non sequitur.

7 Si ergo leges non lædant libertatem ecclesiasticam, nec sint contra Pontificia decreta, cõcedo lubens, ijs à seculari Principe latis ecclesiasticos ligari, licet multi contradicant, siue hęc obligatio nascatur ex con-

for-

formitate, qua pars debet toti conformari, vt volunt Vasquez, Azor, & alij; *a* siue ex approbatione tacita Summi Pontif. vt vult Suarez., *b* cum alijs, siue per se, & directè, quia pars sunt Reip. ecclesiastici, cuius Gubernator est Princeps secularis, cui in gubernatione politica sunt subiecti, cum iubet quæ seruari possunt sine vllo detrimento, & indecentia status ecclesiastici, vt volunt Salas, Castrus Pal. & alij, *c* suntq; cum laicis communes, & rectæ gubernationi conuenientes.

Modo hanc subiectionem intelligamus quoad vim directiuam, seù potius declaratiuam obligationis naturalis, est enim ea lex potius sententia quædam ostendens obligationem naturalem, quàm vis directiua, hæc enim effectiue habet vim præcepti obligantis in conscientia; quæ à laicis cadere non videtur posse in ecclesiasticos, cum illi his præcipere non possint, vt est probabilior opinio. *d* Verùm vocetur vis directiua, dicanturq; ecclesiastici subiecti legibus laici Principis quoad vim directiuam, modo à vi eius coactiua intelligantur exempti ex priuilegio. Nam vis coactiua est vis cogendi per pœnam, siue imponendo reatum eius, seu debitum transgressoribus legis, siue cogendo ad eam pœnam subeundam per executionem hominum, vel imponēdo Iudici vt eam exequatur. Esse porro exemptos ecclesiasticos à vi coactiua laici Principis testantur citati Doctores, & hoc priuilegium in sacris Canonibus continetur, *e* qui à Doctoribus intelliguntur tùm de punitione, quæ causæ cognitionem requirit, tùm de ea quæ ipsi delicto annexa est in lege, cum ea sit virtualis quædam sententia lata in delinquentem, & ideo iurisdictionem inuoluat, à qua ecclesiasticos eximunt sacri Canones, vt optimè probat Castrus Palaus. *f*

8 Neq; id est contra vniformitatem debitam à partibus toti Reip. cum hæc vniformitas non sit semper ne-

a Vasq. d. 167 c. 4. Azor t. 1. l. 1. cap. 12 q. 65. & t. 2. l. 9. c. 7. q 8. & 9. vide Castr. Pal. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 6. n. 3.

b Suar. de leg. l. 3. c. 3. & 34.

c Salas de leg d. 14. sect. 8. n. 94. & seqq. Castr. Pal. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 6. n. 6.

d Vide Suar. cōtra Regem Angliæ l. 4. c. 7. nu. 8. & c. 16. nu. 3.

e Cap. At si clerici, Cap. Clerici, Cap. Qualiter de iudic. Cap. Ecclesia S. Mar de Cōst. Cap. decernimus de re iudic. Cap. sæculares de foro cōpet.

f Castr. Pal. t. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 6. n. 7.

necessaria, nec seruetur cum omnibus, nam aliqui per priuilegium eximuntur ab obseruatione legis, & tamen Resp. non læditur, quia illi non sunt conformes toti corpori. Imò varietas in Rep. ad illius conseruationem confert, vnde eadem onera non subeunt nobiles, quæ subenut ignobiliores, aut rustici, sine vllo Reip. detrimento, imo cum magno eius bono. Quare potest etiam esse diuersitas inter ecclesiasticos, & laicos quoad pœnas, iudicia, & onera sine læsione vniformitatis debitæ Reipublicæ.

9 Nec Iustiniani legibus nitantur laici multa decernentis de ecclesiæ rebus, nam licet maiori vitæ spatio optimæ mentis fuerit; tamen litterarum expers erat, & Tribonianus, quo in condendis legibus vtebatur, Paganus erat, & falsorum Numinum cultor; fortè etiam leges illas impij Episcopi Epiphanij, & Mennas ediderunt, sed Iustiniani nomine illas euulgarunt, quò per varias mundi partes publicarentur, ac maiori stabilitate firmarentur teste Baronio. a Dato autem quod à Iustiniano sint editæ, negandum non est multa contra fas sibi vsurpasse, vt idem Baronius, & Diana obseruant. b Cæterum in Concilio Chalcedonensi œcumenico statutum est, vt quæcunque Imperatorum pragmatica quæ in detrimentum Canonum facta esset in quibuscunque Prouincijs nulla esset. c Quare sapientissimum illud est monitum Basilij Imper. monentis Principes, & omnes Christianos Orthodoxos in dignitate constitutos vt sui ordinis sint memores, desinantq; se negotijs ecclesiasticis interponere, & non Pastores, sed oues se esse cogitent, atq; adeo quod Pastorum est non vsurpent. Idemq; monuerat iam ante Hosius vir doctissimus æque, ac sanctissimus, sic enim Imperatorem alloquens ait, Ne te misceas Imperator, rebus ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed

a Baron. an. 529.

b Baron. an. 528. & 549. Dian. 1. p. tr. 1. resol. 105.

c Baron. an. 451.

ſed potius à nobis diſce, Tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit *a* Grauat ſe Princeps ille, qui putat ſe in ea, quæ diuina ſunt imperiale aliquod ius habere, vt deſumitur ex Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo in epiſtola trigeſima tertia; & Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam vitam agentem.

a Cochiel. in thel. pol. l. 1. c. 5 §. vt fine ex syn. 8. Generali Act. 10. fin.

CAPVT SECVNDVM.

An Eccleſiaſtici ſint exempti à legibus Tributorum pro neceſsitate Reip. latis à Principe ſeculari.

§. Primus.

Afferuntur iura, & rationes partis negatiuæ.

1 *CVr aliqui exiſtiment eccleſiaſticos eſſe obligatos ad onera communia, iure ciuili probatur.*

2 *Iure canonico idem probatur.*

3 *Prima ratio ducta à conſuetudine.*

4 *Secunda ratio ducta à libro cenſus.*

5 *Tertia ratio ducta à pacto Eccleſiæ cum laicis, in contractibus.*

6 *Quarta ratio ducta à decreto Senatus.*

7 *Quinta ratio, quia bona tranſeunt cum onere, vt habent varia iura.*

8 *Sexta ratio ducta à beneficijs laicorũ in eccleſiaſticos collatis: & qui ſentit cõmodum, ſentire debet & onus.*



CApite ſuperiori in re ſatis controuerſa pro ſæcularibus ſententiam tulimus, conceſſimus nempe eccleſiaſticos quoad vim directiuam obligari legibus vniuerſaliter, & pro omnibus in communi latis à Principe ſeculari, modo ſtatum

eccle-

Ecclesiasticum non dedeceant, nec sint contra leges Ecclesiasticas, nam quæ sunt contra has nullæ sunt, tùm quia nullæ declarantur à Sacro Concilio Chalcedonensi, & alijs iuribus, tùm quia Princeps Laicus non est supra Pontificem, atq; ideo eius leges irritare non potest. Examinandum nunc est, an inter leges obligantes quoad vim directiuam Ecclesiasticos illæ sint annumerandæ, quæ tributa, & onera soluenda præcipiunt pro necessitate Reip.

1 Non deest qui id asserat. Quia æquitas naturalis exposcere videtur, vt Ecclesiastici concurrant ad onera communia, ne Laici nimis onerati succumbant in communi necessitate, in qua de commodo non solum Laicorum agitur, sed & Ecclesiasticorum, cum de horum etiam possessionibus, & facultatibus conseruandis agatur. Quare iura Ciuilia statuerunt, vt Ecclesiastici concurrant ad sumptus pro instructione viarum, & Pontium, l. ad instructiones, C. de Sacros. Eccl., & ad eos, qui ob repentinam necessitatem iubentur, seu quæ ad communem necessitatem subleuandam imperantur, l. Placet C. de Sacros. Eccl., & ad suppeditanda plaustra, & Angarias, Perangarias, aliaq; munera in Principis aduentu exhiberi iussa, l. Neminem C. eod. ac demum apertè negatur exemptio Ecclesiæ contra ius, vel vtilitatem publicam, l. Iubemus 1 Cod. eod. de Sacros. Eccl. l. cum ad felicissimum Cod. de quibus muneribus, & præst., l. ad portas C. de operibus publ. l. hac prouidentissima Cod. de quibus muneribus, vel præst.

2 Et ne solo iure ciuili putemus id statutum, ius etiam Canonicum Ecclesiasticos obligat ad tributa Principibus danda. Cap tributum. 23. q. 8. vbi dicitur Ecclesia de exterioribus suis tributum reddere Imperatoribus.

Cap. Conuenior. eod. vbi D. Ambrosius negat templum Imperatori petenti pro Hæreticis, dicitq; se non refragaturum si peteret Imperator aurum, argentum, fundum.

Cap. si tributum 11. q. 1. vbi idem Sanctus ait, si tributum petit Imperator; non ei negamus, Agri Ecclesiæ soluant tributum.

Cap. Magnum. eod. ait idem Ambrosius. Si censum filius Dei soluit, quis tu tantus es qui putas esse non soluendum!

Cap. cum non sit, de Decimis, vbi dicitur tributa, & census esse soluenda post solutionem Decimarum.

Cap. Sancitum de cens. & 23. q. 8. vbi Concilium Guarmariense ait Principibus deberi consueta obsequia, & annua tributa ab Ecclesia de bonis emptis, vel per donationem inter viuos acquisitis.

Cap. Peruenit. 2. de Immunit. Ecclesiæ vbi asserit Gregorius Primus nullum excusari debere à murorum vigilijs, & ad eas vnumquemq; esse compellendum.

Iure ergo tùm ciuili, tùm Canonico Ecclesiastici obligati sunt soluere onera, à Principe Sæculari pro Communi vtilitate, ac necessitate omnibus imposita.

3 Nec desunt rationes. Prima quia iam consuetudine longa multorum annorum in aliquibus regionibus, Mediolanensi præsertim, id est introductum. Huic respondetur capite decimo tertio.

4 Secunda, quia dicta onera exiguntur pro bonis quæ in libro æstimi non sunt sub nomine Ecclesiæ, sed alicuius Laici descripta: quare Ecclesiæ non fit vlla iniuria, cum ipsi non sint ascripta ea bona, & exactio cadit in Laicum, cuius nomen est descriptum in catastro, & pro eo, non pro se soluit Ecclesia.

Princeps

Princeps autem iubet solui onera pro bonis in libro æstimi descriptis. Huic respondetur cap. 14.

5 Tertia, quia in contractibus emptionis, permutationis,& alijs huiusmodi quos Ecclesia cum Laicis facit;ponitur pactum, vt Laicus vendens, permutans &c.bona,non teneatur ad onera pro ijs, & vt Ecclesia seruet eum indemnem, idq; promittit Ecclesiasticus, quare se loco Laici obligat ad ea onera. Atq; ideo ex pacto cum Laico facto, obligatur Ecclesiasticus soluere ea onera, & sic Princeps poterit obligare ad illud pactum seruandum. Huic respondetur cap. 15.

6 Quarta, quia ex decreto Senatus in aliquibus regionibus, Mediolanensi præsertim, bona acquisita ab Ecclesia sunt obligata ad omnia onera etiam extraordinaria, atq; adeo habent tacitam hypothecam pro solutione eorum, idq; respectu bonorum acquisitorum ab anno 1600. & deinceps, vt puto. Potuisse autem Senatum id decernere,illud suadet, quia priuatus aliquid Ecclesiæ dans potest illam obligare ad soluenda quæcunq; onera, ergo eandem obligationem potest Princeps imponere per legem, seu edictum Senatus autem Principis vices sustinet. Huic respondetur cap. 16.

7 Quinta, quia bona transeunt cum suo onere ad quemlibet possidentem cap. ex litteris, de Pign., Cap. cum non sit de Decim., Cap. Pastoralis eod., & l. 1. 2. & 3. ff. de pignorat. act. §. si fundus, l. si debitor Cod. de distrib. pign., l. Alienatio ff de contrah. erupt., l. inter debitorem ff. de pact. l. 2. & 3. Cod qui modo pign., l. si Diuina Cod. de exact. trib. Huic respondetur cap. 15.

8 Sexta, quia huiusmodi onera non imperantur Ecclesiasticis in signum subiectionis eorum Principi

Sæculati, aut in signum potestatis eius, & Superioritatis in Ecclesiasticos, sed pro beneficijs ab ipso, seu Rep. acceptis cum eadem vtilitate, qua Laici, fruantur, & ab ipso eorum bona defendantur; quare iustitia distributiua exigit, vt qui sentit commodum, sentiat & onus l. Qui sentit. de reg. iur. in 6. & l. secundum naturam de reg. iuris. Huic respondetur cap. 15. Tenent hanc sententiam Ancharanus, & alij. a

a Anchar. consl. 96. & in cap. de Immun. Eccl. l. 6. v. Sed vberius circa hoc Turrecr. in c. Placet 16. q. 1. Lucas de Penna in l. fin. C. de exact. trib. Menoch. cōs. 800. & alij apud Iragos. p. 1. 2. d. 4. n. 509. §. 3.

§. 2. *Resoluitur quæstio.*

1 Falsum est Ecclesiasticos ad onera obligari lege ciuili, & iniqua esset huiusmodi lex, esset enim contra Sacros Canones.

2 Iure ciuili id probatur l. Cassa Cap. de Sacrosf. Eccl., l. Nulla Communitas, l. iuxta Sanctionem de Episc. & Cleric., l. Priuilegia Cod. de Sacrosf. Eccl. Valentiniani Tertij legem contra dictas leges Concilium Andegauense nihili fecit. Ludouicus Primus teste Cōcilio Parisiensi exemit Ecclesiasticos à tributis.

3 Imperatores ferentes leges dictas cur non sint reprehendendi cum nihil potuerint contra Ecclesiam, & eius bona: Vide infra.

4. Iure Canonico probatur eadem exemptio, cap. non minus, c. aduersus de Immunit. Eccl. cap. Ecclesia de Const. in eo Particula generalis excludit quoscunq; alios, & particula (nulla) excludit omnem potestatem, & est intelligenda in omni casu, & vniuersaliter, c. cum Laicis de reb. Eccl. non alien. c. benè quidem d. 96. nec vtilia possunt Laici sancire pro Ecclesiæ rebus temporalibus, multò minus noxia. C. nouerit. de sententia excom. c. secundum Canonicum 23. q. 8. c. non placuit, c. Laicis; c. si quis 16. q. 5. vbi Sacrilegus

dicitur

dicitur qui dispositionem, seu dominationem rerum seu possessionum Ecclesiasticarũ sibi vendicauerit, c. denique d. 96. c. quamquam de Cens. in 6. Cleric. præsenti de Cens. c. 1. de imm. Eccl. in 6. vbi bona acquisita, & acquirenda eximuntur cap. Clericis cod. quod à Benedicto XI. est restrictum, & à Clem. V. Clem. vn. reuocatum, sed renouatum fuit à Leone X. Bulla cænæ claus. 17. & 18.

5 An hæc immunitas sit de Iure Diuino non examinatum multi asserunt.

6 Summus Pontifex eam concessit ex vi præcepti, & potestatis à Christo acceptę, & sui muneris ratione, quòd rectè sine ea exemptione exerceri non potest, & ideo prouenit à iure Diuino.

7 Non potest dubitari huiusmodi exemptionem posse concedi tùm à Deo, tùm à Papa, tùm à Principibus modo explicito num. 3. nec potest tolli humana potestate.

Dictis non obstantibus.

1 Præfatam sententiam falsam omnino arbitror, cum Sessio, & alijs,[a] & iniquam futuram legem Principis Sæcularis quæ Ecclesiasticos vellet tributa soluere, vt soluunt Laici. Probatur primò, quia tùm ciuili, tùm Ecclesiastico iure Ecclesiastici sunt exempti ab huiusmodi oneribus, ergo ad ea non possunt vlla lege ciuili obligari, vt dictum est capite Superiori, cum lex ciuilis vtpotè inferior non possit Pontificiam vtpotè Superiorem obligare, & ideo ea cum sit contra Sacros Canones non potest obligare, nam Imperiali iudicio non possunt iura Ecclesiastica dissolui cap. lege imperatorum d. 10.

[a] Les. l. 2. de iust. c. 33. vide Bellarm. t. 2. controu. l. 1. de Cler. c. vlt., & d. speciali de hac re Azor. t. 1. c. 12. l. 1. Castr. Pal. t. 2. tr. 12. d. 1. p. 1. Suar. l. 4. contra Reg. Ang. c. 8. Duard. in can. 15. Bullæ Cænæ q. 18.

2 Quod autem iure Ciuili sint Ecclesiastici exempti à

ti à tributis, collectis, & alijs huiusmodi patet ex l. Cassa C. de Sacros. Eccl. vbi omnia statuta, & consuetudines contra Ecclesiæ libertatem, eiusq; Personas inducta aduersus Canonicas, & Imperiales Sanctiones irrita pronuntiantur, & iubentur deleri de capitularibus libris, decerniturq; similia in futurum si attententur; ipso iure esse nulla. Quæ constitutio est Friderici II. Imp. qui anno Domini 1155. creatus est Imperator ex Baronij Annalibus.

L. Item nulla Communitas C. de Episc. & Cler., vbi idem Imperator vetat imponi collectas, vel exactiones, Angarias, Perangarias Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis.

L. Iuxta Sanctionem eod., vbi non Constantius cui ascribitur, sed Constantinus Imperator Clericos eximit ab omnibus nouis collectionibus, & ab hospitij coactione.

L. Priuilegia C. de Sacros. Eccl., vbi confirmantur omnia priuilegia Ecclesijs ante concessa, & annullantur Sanctiones contra Canones Ecclesiasticos. Lata videtur hæc lex à Valentiniano III. qui anno 425. factus est Imperator, & à Martiano qui Imperij dignitatem est assecutus anno 450. quo adhuc regnabat dictus Valentinianus, qui imperium protulit vsq; ad annum 455. & in hoc forte hic secutus est exemplum alterius Valentiniani I. qui Sacras Virgines exemit à censu plebis anno 370. conatus tamen postea est Valentinianus III. omnia priuilegia Clericis concessa reuocare, sed frustra, cum Concilium Andegauense nihili eam reuocationem fecerit teste Suario lib. 4. contra Reg Angl. c. 13. num. 17. vide Baronium anno 370. 425. 450. 455.

Lata etiam fuit à Ludouico primo Imp. qui Impe-
rium

rium obtinuit anno 813. ex Baronio, Sanctio eximens Ecclesiasticos à tributis, quæ non extat, sed de ea testatur Canon. Secundum Canonicam 23.q.8. qui est Concilij Parisiensis, & Meldensis celebrati circa annum 846.

3 Licet autem ius ciuile non videatur aliquid posse statuere, quod ad Ecclesiam, & Ecclesiastica bona pertineat, vt vidimus capite Superiori, ex capite Ecclesia S. Mariæ de Const., & alijs iuribus. Tamen Imperatores ferentes dictas leges, non sunt repræhensione digni, quia ijs vel approbarunt exemptionem Ecclesiæ, à Tributis, & ius siue Diuinum, siue Canonicum, siue vtrumq; circa eam seruandum declararunt, vel cum nescirent eam exemptionem fuisse iam à Superiori potestate concessam, voluerunt ipsi eam concedere, quantùm in ipsis erat, & vt ex parte sua opus erat, vel fortè præcipere voluerunt Iudicibus Laicis, vt eam seruarent, vt docet Suarez contra Reg. Angl. lib. 4. c. 9. nu. 1. Quòd si verba priuilegij, seu legis indicant Principem Laicum esse auctorem illius, id accidit, vel ob ignorantiam arbitrantium à se esse, vel vt ostenderetur omnimoda renuntiatio iuris sui, si quod erat circa hanc materiam, & vt indicarent Principem quantum esset ex se ita donare Ecclesiæ, & Ecclesiasticis personis exemptionem, ac si ab eius sola voluntate, & potestate penderet, ex Suarez contra Regem Angl. lib. 4. c. 11. num. 17. qui citat nu. 1. Palacium, Medinam, Hostien. tenentes à Principe Laico esse concessam dictam exemptionem quos optimè refutat, adducitq; pro se foto, Innocentium, Molinam, Henriquez, & alios, vide illum, non enim id est nostri instituti. Certe Greg. 9. in epistola ad Ludouicum Imp. scripta asserit à successoribus

Caroli

Caroli Magni Imp. Ecclesiam immensis donatā libertatibus, seu potius eam ab ipsis in libertate debita seruatam. vbi indicat priuilegia ab Imperatoribus Ecclesiæ concessa non tam esse priuilegia, quam conseruationem libertatis ei debitæ alio iure, quàm Imperatorio. a

a Apud Raynaldum in annal. an. 1236.

4 Ius verò Canonicum eandem exemptionem stabiliens primo est cap. non minus de immun. Eccl. vbi Concilium Lateranense cum Alexandro III. qui illud promulgauit anno 1180. deplorat ob angarias, & onera à Laicis imposita Ecclesiasticis, dici posse de Ecclesia quod Hieremias Propheta in Thren. 1. deplorans ait. Princeps prouinciarum facta est sub tributo, & peioris conditionis factum esse Sacerdotium sub Magistratibus Catholicis, quam sub Pharaone idolorum cultore, cum hic à tributis exemerit possessiones Sacerdotum in Sacra Genesi c. 47. nu. 21. & 22. Christiani verò Magistratus eas aggrauent, & auctoritatem in res, atq; bona Ecclesiastica vsurpent. Tum excommunicatione eos percellit qui id in posterum ausi fuerint, nec commoniti destiterint, & eorum fautores, nec vult absolui, nisi satisfecerint. Monet tamen quod si Episcopus, & Clerus viderint tantam esse necessitatem communem, vt Laicorum facultates non sufficiant ad eam subleuandam possint, sine exactione tamen, subsidia conferre. quod idem repetit cap. aduersus. eod. quod est alterius Concilij Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. & additur vt Episcopus, & Clerus, cum existimauerint aliquod subsidium esse conferendum pro communi vtilitate, consulatur Ro. Pontifex an debeat conferri. Præterea irritantur omnes Constitutiones, quæ fient ad grauandam Ecclesiam talleis, seu collectis, &

exactio-

exactionibus alijs. Vltimò decernitur excommunicatio incurri non solum ab ijs qui ea statuta fecerint, se, & à successoribus eorum, nisi intra annum satisfecerint. vbi animaduertere quilibet potest hos textus loqui de oneribus pro communi necessitate, & vtilitate, tam Clericorum, quam Laicorum impositis, cum loquantur absolutè de fossatis, quæ sunt ad munitionem Ciuitatum, vel prædiorum, & ea verba ad sint. Ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates.

2 Cap. Ecclesiam S. Mariæ de Const. vbi Innocentius III. dicit nullam esse potestatem Laicorum in personas, & bona Ecclesiastica, & ideo nullius esse roboris quidquid statuerint quod ad Ecclesias spectet, etiam si fuerit in earum commodum, & vtilitatem. Nam solis Sacerdotibus dispositio huiusmodi commissa est à Deo. Notanda est hic ea particula, Solis, quæ excludit quascunq; alias, vt pluribus probat Barbos. de dict. vsufreq dict. 380. citatq; Decium, Seraphinum decis. 820. Rotam Ro. decis. 445. & l. 2. ff. de vsu, & habit. l. 1 ff. de cond. furt. l. 3. Cod. si aduersus rem Iud., l. 1. Cod. vbi, & apud quem; l. his solis Cod. de reuoc. donat. l. vlt. Cod. de leg. & ibi Castren. & in cap. 51. solus Christus 5. d. & cap. in omnibus 81. d. & cap. quod sicut de verb. signif & ibi Decius. Notanda est etiam in verbis eius textus particula, nulla, quæ excludit omnem potestatem, & in omni casu, & vniuersaliter est intelligenda cap. solitæ §. fin. de maior. & obed. l. depretio ff. de public. in rem act. est enim negatio malignantis naturæ, quæ quidquid post se inuenit, destruit, & eius oppositum ponit, vt ait Sanchez lib. 1. de Matr. d. 24. n. 7. & lib. 5. in Decal. c. 4. nu. 19. idem repetit Innocen-

tius cap. cum Laicis de reb. Eccl. non alien. cum Laicis, inquiens, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Idem astruit Concilium cui interfuit Symmachus Papa, vt habetur cap. Bene quidem d. 96. vbi constanter dictum est Laicis nullam de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi esse attributam facultatem, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.

1 Si ergo neq; quæ vtilia sunt Ecclesiæ possunt Laici lege sancire, multò minus poterunt noxia, cuiusmodi sunt onera, & tributa. Quòd si dicantur hæc statui pro commodo, & defensione Ecclesiæ, patet ex Sacris Textibus id à Papa, & concilijs vetari, sine ipsius Papę consensu, & approbatione, cum irritent decreta Laicorum ad vtilitatem Ecclesiarum, & earum bonorum spectantia. Loquuntur autem textus, non de rebus Ecclesiasticis spiritualibus tantùm, sed & de temporalibus, cum annulletur Constitutio Basilij 4. de non alienandis prędijs Ecclesiæ, quia sine auctoritate Romani Pontificis id statuerat, & ex textu satis patet de rebus Ecclesię temporalibus sermonem esse.

3 Caput nouerit, de sent. excom. vbi Honorius III. excommunicat eos qui seruari fecerint statuta, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem, & eos qui talia statuta ediderint, & eorum statutorum scriptores, & Magistratus locorum in quibus talia statuta, vel consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ, & eos qui secundum eas iudicauerint.

4 Caput secundum Canonicam 23. q. 8. vbi Concilium Parisiense vetat cogi Ecclesiasticos ad soluendum censum, pro agro Ecclesiastico, excommunicatq;

nicatq; omnes cuiuscunq; sint dignitatis, & ordinis, si quid exigant temporale, & id ait esse secundum Canonicam auctoritatem, & Constitutionem Ludouici Imp. quod est dicere esse iure Canonico, & ciuili statutum.

5 Cap. nonplacuit, & cap. Laicis, & cap. si quis 16. q. 7. vbi Calixtus Papa ait. Si quis Principum, vel aliorum Laicorum dispositionem, seu dominationem rerum, siue possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicauerit, vt Sacrilegus iudicetur. Aduerte ea verba Rerum, siue Possessionum, ex quibus patet eum loqui de dispositione bonorum temporalium Ecclesiæ.

6 Caput deniq; d. 96. vbi Nicolaus Papa ait. Eos quibus humanis tantùm non diuinis rebus præesse permissum est, de his, per quæ Diuina ministrantur, non iudicare debere. Et quidem meritò id statutum est, nam cum Laici Ecclesiastica negotia tractare non debeant, cap. decernimus de Iudic., quod est Concilij, cui intererat Eugenius Papa, id enim spectat ad Ecclesiarum Prælatos, nec iudicare debent de iis per quæ Diuina ministrantur, de rebus scilicet Ecclesiasticis, licet temporalibus.

7 Cap. quamquam de censl. in 6. vbi excommunicantur exigentes ab Ecclesiasticis pedagia, & consuetudinem contrariam vocat corruptelam, Communitates autem subijcit interdicto.

8 Clem. præsenti de cens. vbi iubentur Episcopi publicare censuras latas contra eos, qui ab Ecclesiasticis pedagia, & guidagia exigunt.

9 Cap. de Immun. Ecclesiæ in 6. vbi cum eadem controuersia vigeret, quæ nunc viget in ditionibus Mediolanensi, & alijs, quoad bona de nouo acquisita

ab Ecclesijs, prætenderentq; aliqui hæc non esse exempta. Alexander IV. Papa vocat eos istud prætendentes inuidos honoris, & priuilegij Ecclesiarum, malignos, & insolentes, eorumq; esse detestabilem audaciam, & nefariam temeritatem, statuitq; bonis Ecclesiarum non iam acquisitis tantummodo, sed etiam in posterum acquirendis non esse imponendas talleas, collectas, seu exactiones quascunque, nec exigendas.

10. Cap. Clericis de immun. Eccl. in 6. vbi Bonifacius Octauus dicit Laicis, qui oppido sunt Clericis infesti (quod etiam dicitur cap. Laicos, & c. Laici 2. q. 7.) in Ecclesiasticas personas, & bona esse interdictam potestatem. excommunicatq; tùm Ecclesiasticas personas soluentes, vel soluere promittentes, aut consentientes, talleas, collectas, & alia onera Laicis, etiam doni nomine, sine auctoritate Sedis Apostolicæ: Tum quoscunq; Laicos, cuiuscunq; sint præeminentiæ, status, & conditionis, etiam Imperatores, & Reges, qui onera imposuerint, exegerint, vel receperint; Communitates verò supponit interdicto.

Pœnam dicto textu impositam restrinxit Benedictus XI. in extrauag. Quod olim de immun. ad exigentes tantummodo, & ad dantes ipsis consilium, vel fauorem, iussitq; seruari decreta Concilij Lateranensis in capitibus, non minus, & Aduersus, citatis.

At Clem. V Clem. vn. Quoniam de immunit. reuocauit dictum caput Clericis, & restrictionem Benedicti XI. iussitq; etiam ipse seruari dicta Capitula, non minus, & Aduersus.

Sed Leo X. in alio Concilio Lateranensi sess. 9. extrauag. supernæ renouauit decreta à Bonifacio Octauo in dicto cap. Clericis, vetans fructus Ecclesiasti-

cos

eos sequestrari, occupari, aut aliquo modo detineri per Seculares Principes etiam Imperatores, aut eorum officiales, vel quascunq; alias personas publicas, vel priuatas de eorum mandato; & si aliter fiat, iubet restitui sub pœna excommunicationis personarum, & interdicti locorum eorum Principum, qui ea fieri mandauerint, renouatq; pœnas omnes contra violatores libertatis Ecclesiasticæ, eiusq; oppressores impositas per extrauagantes alias, & Constitutiones etiam incognitas, & forsan in vsu non existentes. Prohibet etiam ne collectas, decimas, aut alia huiusmodi onera Ecclesiasticis imponant, neq; exigant, neq; recipiant, etiam à sponte dantibus, sub pœna excommunicationis, quam fert ipso facto in dantes ipsis, siue palam, siue occultè, auxilium, fauorem, consilium. Communitates autem, Resp. Vniuersitates delinquentes subijcit interdicto. Prælatos autem vltrò sine licentia Papæ consentientes excommunicat.

11 Bullæ cænæ clausula 17. imponentes, exigentesq; ab Ecclesiasticis tributum, aut illis auxilium ad id præstantes, excommunicat, & clausula 18. vetantur imponi onera bonis Ecclesiasticorum.

Supradicta adduxi, vt ostenderem exemptionem ab oneribus fuisse tùm à Pontificibus, & concilijs, tùm à Principibus Secularibus concessam.

5 Nec examinandum nunc puto, an etiam sit de iure Diuino; vt innuunt Bonifacius Octauus cap. Quanquam de cens. in 6. Calixtus Papa cap. si quis 16. q. 7 & cap. non placuit eod. Concilia Coloniense p. 9. c. 20. Lateranense sub Leone X. sess. 9. extrauag. supernæ; Tridentinum sess. 25. c. 20. rem inquam hanc non puto nunc examinandam, quia satis mihi est dictam



ctam exemptionem esse de iure tùm ciuili, tùm Canonico stabilitam. Et qui id videre optat discussum, videat Bellarminum, Suarez, & alios Theologos *a* locis supra citatis, qui multos adducunt tùm Theologiæ, tùm iuris vtriusq; Doctores, asserentes esse de iure Diuino.

a Azor.p.1.l.5.cap.12 q.1. & 2. & 5.3. l.5.cap.19.q.1. Rota Ro. in vna Barchin. exempt. & in vna Albensis Gab. illa apud Dian.7.p.tr.1.res.19.

6 Sed satis nobis est à Summo Pontifice esse concessam, qui eam concessit vi potestatis acceptæ à Christo Domino gubernandi Ecclesiam, ad cuius rectam gubernationem, & Clericalis status dignitatem, ac diuini cultus, eiusq; reuerentiæ conseruationem spectat ea exemptio à foro Laicali, & tributis per potestatem Laicam impositis. Quare ex ratione sui muneris quod rectè sine tali exemptione exerceri non potest, eam Papa concessit facultate à Christo Domino accepta, iure, & præcepto, vt colligitur ex Tridentino sess. 25.c.20. dicente immunitatem Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum Dei ordinatione esse constitutam. Quare videtur Christus Dominus ordinasse vt immunitas concederetur, modum vero concessionis quoad personas, & materias reliquit Papæ dispositioni, qui eam statuit, quoad forum, & tributa, decreuit scilicet Ecclesiasticos esse immunes à foro Laico, nec posse in eo iudicari, & à solutione tributorum, & onerum à Laicis impositorum personis, ac bonis eorum. Vnde exemptio à tributis si iure Diuino non est concessa, ab eo tamen prouenit, & est in eo fundata, & à Christo Domino præcepta.

7 Posse verò huiusmodi exemptionem esse tùm à Deo, tùm à Papa, tùm etiam à Principibus modo supra explicato, non puto dubitari ab Aduersarijs Catholicis. Si dubitant aut eos posse, aut esse talem exemptionem concessam, allatos textus ponderent;

&

& Suarez contra Regem Angliæ lib. 4. c. 3. & Bellarminum in responsione ad Paulum seruitam legant, inuenient enim ab eis, fusius probari hæreticos circa hoc insanire, nec dubitari posse Supremum Dominum id potuisse, & Papam potestate à Christo Domino accepta, & Reges, aliosq; Principes Laicos, si potestatem in Ecclesiasticos, & eorum bona aliquando habuerunt, potuisse eam Papæ elargiri, immo elargitos esse pro Reip bono.

Hinc optimè colligunt Couuáruuias, & alij *a* nulla humana potestate hac exemptione priuari posse Ecclesiasticos, quia nulla humana potestas est superior potestate supernaturali à Christo Papæ concessa, vi cuius ipse Papa eam exemptionem dedit.

Quòd si aliqui Iuris Doctores dicunt à Principe Seculari eam exemptionem esse concessam, & ideo etiam ab eo posse tolli; errant, mittuntq; falcem in messem alienam, nec benè ponderant verba Sacrorum Canonum, & præcipuè Tridentini. Sed hoc capite sequenti districtius examinare oportet. Cum ergo Ecclesiasticis legibus immunitas Ecclesiastica à tributis sit stabilita, imminui, aut infringi à Seculari potestate non potest, immo à Principibus est maxime conseruanda. Si enim leges ciuiles, inquit Iustinianus in Nouella 137. per omnia firmas, ac stabiles conseruare ad subditorum securitatem studemus, quanto plus studij debemus circa sacrarum regularum, & diuinarum legum obseruationem ponere, quæ pro salute animarum nostrarum definitæ, & constitutæ sunt? Addit Cassiodorus l. 8. Var. Tyrannicæ feritatis indicium esse audire nolle constituta veterum sanctionum; subiungitque Theodorus Studita *b* perfectum non esse Orthodoxum, sed dimidiatum, qui fidem

a Couar. pract. q. c. c. 3. num. 3. & seqq. Farin. de inquis. l. 1. q. 8. n. 4. Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 30. lugo de iust. & iur. t. 2. d. 36. sect. 7. n. 101.

b Epist. ad Patriarch. Constanti-nopol. vide

Baron. an. 808. citātem Concilium Toletanum 3. 4. 8. 18.

fidem quidem rectam habere videatur, diuinis verò canonibus non regatur.

CAPVT TERTIVM.

An Princeps Laicus possit exemptionem à tributo, & alijs oneribus auferre ab Ecclesiasticis, vel eam in aliquo casu imminuere.

1 *Princeps Laicus non potest exemptionem Ecclesiasticorum auferre, aut diminuere. Primo, quia est Papa inferior. Secundo, quia est donatio ob remunerationem beneficiorum. Tertio, quia aliæ donationes agrorum &c. factæ Ecclesiæ reuocari non possunt. Quarto, quia cum consensu data est. Quinto, quia tenetur Princeps eam concedere, & pro temporalibus dant Ecclesiastici spiritualia.*

2 *Papa indirectè se immiscere potest gubernationi politicæ, & quomodo salus animarum melius tractatur data exemptione, & Dei honor eam exigit, ne Dei cultus vilescat, & ne eius ministri distrahantur.*

3 *Respondetur iuribus contrarijs. Principes Laici olim sibi multa vsurparunt contra ius, cùm Ecclesia non erat tantopere illuminata, vt nunc est, & Summi Pontifices tunc ob periculum maioris mali dissimulabant priora iura contra Ecclesiasticam immunitatem, suntq; posteriora reuocata.*

4 *Principes non subditi Imperio quomodo obligentur ad seruandam exemptionem Ecclesiasticorum, & præsertim regiones tunc subditæ illi, vt erat ditio Mediolanensis.*

5 Pri-

Priuilegium non subdito concessum non potest reuocari ab eo qui concessit.



D posse Principem asserunt aliqui, ob iura capite præcedēti allata in quibus de facto aufertur ab Imperatoribus, si non totaliter, saltem quoad aliqua, vnde potius diminuitur, quam aufertur.

1 Dicendum tamen est Principem Laicum non posse talem exemptionem siue auferre, siue diminuere. Plures auctores huius sententiæ adducit Suarez lib. 4. contra Regem Angl. c. 30. vbi etiam probat nec Papam posse Ecclesiasticam immunitatem auferre. Sed id ad hunc locum non spectat. Probatur ergo conclusio, quia vel Princeps Laicus eam immunitatem concessit, vt volunt aliqui iuristæ, vel Papa. Si Papa; Laicus Princeps ei non potest in aliquo derogare, quia eadem, vel Superior potestas exigitur in dissoluendo actu, quæ in eo constituendo, l. sicut proponis. Cod. de nupt. sed principis Laici potestas nec eadem est cum illa Papæ, nec Superior, ergo non potest immunitatem Ecclesiasticam dissoluere, cùm eam non constituerit. Præterea inferior non potest priuilegium à Superiore concessum auferre, limitare, aut diminuere, ergo Princeps Laicus qui est Papa inferior, non potest priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ à Papa concessum auferre, limitare, aut diminuere. *a*

Si verò dicatur Princeps Secularis eam immunitatem concessisse, non posse tamen eam auferre, aut diminuere. Probo primo, quia Papa eam propria auctoritate à Christo accepta confirmauit, & ideo non est amplius concessio Principis Laici, sed Pontificij, nam

a Surd. cons. 419. post nu. 45. Manlius tr. de Homag. tit. 9. nu. 113. apud Dian. p. 1. tr. 1. ref. 8. n. 4.

nam ea nostra fiunt, quibus nostram impertimus au-ctoritatem l. 1. §. omnia c. de vet. iur. Enucl. vnde hic eam auferre, aut diminuere non potest, vt dictum est. Secundo, quia donatio facta absolutè, & in perpetuum, & ob renumerationem meritorum, ac beneficiorum reuocari non potest, dicta exemptio est donatio facta Ecclesiæ absolute, in perpetuum, & ob beneficia ab ea collata in Principes, & populos, ergo reuocari non potest; maior, & minor admittitur communiter; a Tertio, donatio agrorum, aut oppidorum facta Ecclesiæ reuocari non potest sine sacrilegio ab ijs qui donarunt, etiam Principibus, ergo nec donatio exemptionis, cum nulla sit minor ratio in hac; & in illa. Quarto, consensu Principum, & populorum per multa secula conualuit dicta exemptio, non ergo reuocari potest, cum repeti non possit quod semel alienatum est consensu regnorum, & populorum. Quinto, Principes Laici tenentur eam exemptionem concedere, & concessam ratam habere, quia ius naturale diuinum id dictat, cum enim Ecclesiastici sint Deo consecrati, non debent tractari vt quid prophanum neq; vt subditi, nam sunt Patres Spirituales Laicorum. Adde quod Ecclesiastici dant Spiritualia Laicis, æquum ergo est vt temporalia ab his recipiant, & quidem exempta ab oneribus ne sint subiecta ipsis bona Patrum Spiritualium, & Iudicum à Deo constitutorum in rebus ad salutem æternam spectantibus, & ideo ob reuerentiã eis, ac rebus Deo dicatis debitam, & ob gratiarum significationem tenentur Principes eximere illos, illorumq; bona ab oneribus debitis à subditis. Vide Lessium de iust. lib. 2. c. 33. nu 30. 35. Dianam 7. p. tr. 1. res. 8.

a Salas de leg. tr. 14. q. 96. d. 14. sect. 11. vers. 2. Pa s Les. de iust. l. 2. c. 18. dub. 14. n. 105. vbi citat Clarum Bonac. de contr. d. 3. q. 12. p. vlt. n. 4. & 9. vbi alios citat. Azor. p. 3. l. 11. cap. 8. Bauni de controuers. l. 2. tr. 4. q. 3. Salon 2. 2. q. 67. art. 1. contr. 1. concl. 5. multos alios citat Diana 7. p. tr. 1. res. 8. Tiraq. Rolãd. à Valle, Acucium, Sanchez, Castrũ Palaum.

Contractus reuocari non potest sine partium consensu

sensu mutuo, nam res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur cap. 1. de reg. iur. l. 1. C. quando si ab empt. disc. l. nihil tam naturale ff de reg iur. l. sicut initio C. de act. & oblig. Auth. contra si filij C. de repud. & ibi Bart. ex quo habetur quòd cuius consensus in contrahendo requiritur, eiusdem etiam in dissoluendo interuenire debet. Contractus autem natus est per mutuum consensum, ergo per mutuum dissensum debet reuocari. Sed priuilegium exemptionis à Principe Laico datum Ecclesiæ est quidam contractus, cum sit acceptatum, atq; adeo transierit in naturam contractus, & in ius priuilegiati, quod inuito ipso auferri non potest, vt testantur Doctores, *a* militat enim ea regula iuris: Id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri non potest, idest à nobis auferri. Confirmatur quia huiusmodi priuilegium est quædam donatio acceptata ab Ecclesia, & ideo transijt in ius Ecclesiæ, quare solo consensu donantis auferri non potest. Similiter cum illud priuilegium sit donatio in remunerationem meritorum Ecclesiæ transit in vim contractus, *b* qui reuocari non potest etiam ex graui causa ad publicum bonum spectante nisi à reuocante fiat compensatio iuris ablati. *c* At quamnam compensatio fit à Laicis dum ab Ecclesiasticis auferunt ius exemptionis, vel illud diminuunt? Præterea priuilegium non subdito concessum transit in contractum, & est irreuocabile l. sicut ab initio C. de pact. & oblig. & Doctores apud Dian. p. 7. tr. 1. res. 8. nu. 4. At Ecclesiastici non sunt subditi Laico Principi, ergo priuilegium ijs concessum ab eo transijt in contractum, & est irreuocabile.

a Glos. in reg. 16. in fine. Innoc. in c. Nouit. de Iudic. Abbas ibid. & in c. suggestum de Dec. fin. & in c. inter alia n. 19. de immun. Eccl.

b Surd. cons. 140. num. 38. Aponte cons. 60. n. 22. Rol. a Val. vol. 3. cons. 13. n. 30. Osac. decis. 39. num. 28. & alij apud Dian. p. 4. tr. 1. res. 82.

c Doct. in c. Ecclesiarum de Const. Nau. in cap. Quando de reuoc. except 20. n. 3.

2 Dices non Papam, sed Principem Laicum in suo principatu esse in gubernatione ciuili Superiorem omnibus,

omnibus, nec Papam in gubernatione politica posse se immiscere, cum ad ipsum non spectet, sed ad Principem politicè gubernare Remp. ergo saltem cum Reip. Princeps iudicat expediens in aliquo casu ea exemptione Ecclesiasticos non frui, poterit eam pro eo casu auferre, aut saltem imminuere, non quidem potestate iurisdictionis, sed quasi oeconomica, & iure defensionis Reip.

Respondeo Papam non se immiscere posse directè gubernationi politicæ, sed indirectè, *a* quatenus ex potestate à Christo Domino accepta subtrahit materiam à potestate iurisdictionis Principis Laici, ob finem supernaturalem, videlicet ob Dei cultum, ac venerationem, & consequenter ob bonum animarum; nam valde expedit ob reuerentiam Deo debitam, vt eius ministri supra Laicos priuilegijs gaudeant; quæ ideo conceduntur, facit enim hoc, vt cum maiori animarum fructu tractentur Diuina, & vt ministri tamquam res Sacræ, & Deo dicatæ habeantur, quæ res non parum confert ad Christianorum salutẽ.

a Suar. l. 4. contra Reg. Angl. cap. 11. Dian. 1. p. tr. 1. resol. 121. & 122. & alij communiter.

Præterea Papa Principum Christianorum est Pater, atq; adeo eorum Superior. Superior autem potest ex iusta causa eximere à iurisdictione sui inferioris, cum præsertim recta gubernatio, & Dei honor id exigit, vt ait Lessius. *b* Cum ergo Papa Ecclesiasticos exemerit à iurisdictione, & foro Principis Secularis, & ab eadem exemerit etiam bona eorum ob Dei honorem, & animarum bonum, non potest Princeps Laicus hanc exemptionem auferre, aut diminuere, cum non sit Papa Superior, & Remp. gubernet potestate à Deo accepta in ordine naturali, Papa verò procedat ex potestate ab eodem Deo accepta in ordine supernaturali.

b Les. l. 2. de iust. c. 33. nu. 36.

Quòd

Quòd si potuit Papa eximere Ecclesiasticos à foro seculari, primò, ne status Ecclesiasticus vilesceret. Secundò, ne à rebus Diuinis ipsi distraherentur vt facilè poterant, cùm facilè possent à Laicis vexari. Tertiò, ne periret libertas reprehendendi, & docendi, vt facile perijsset si adfuisset timor Iudicum Laicorum, qui correpti facilè indignantur, nec facilè parcunt cum punire possunt. Quartò, ne res Diuinæ instar rerum Laicarum ad Secularia tribunalia traherentur. Cur non potuit, etiam eximere eosdem ab oneribus Principi Laico debitis à subditis ob easdem causas, & ne Ecclesiastici essent subditi Laicis contra reuerentiam Deo, & Ecclesiæ debitam? Nam tributa præstantur à subditis teste Apostolo in Epistola ad Rom. c. 13. n. 6. [a]

Ad id quod dicitur posse Principem potestate quasi oeconomica, & iure defensionis Reip. talem exemptionem auferre, aut imminuere in aliquo casu. Respondebo cap. 4. & 5. cum quæram an Princeps in necessitate Reip. possit imperare tributa Ecclesiasticis, seu an hi sint obligati obedire Principi Laico imperanti tributa, & collectas.

[a] Les. de iust. l. 2. c. 33. n. 36.

3 Ad iura quibus Imperatores aliqui statuerunt vt Clerici contribuerent in aliqua necessitate Reip. Respondeo primò, in multis non fieri mentionem Clericorum, vt l. comparationi C. de quib. mun. vel præst. & l. hac prouidentissima. eod. Respondeo secundò, Imperatores illos ita statuisse, quia res Ecclesiæ non ita erant ordinatæ, vt nunc sunt, & ideo multa sibi vsurpabant, quæ non debuissent vsurpare, procedente verò tempore Sanctam Ecclesiam fuisse magis illustratam à Spiritu Santo, & quæ Ecclesiastici iuris erant Imperatoribus non reliquisse.

Resp.

Resp. tertiò, in ea temporū perturbatione Summos Pontifices aliqua dissimulasse, quæ Imperatores contra Ecclesiæ iura agebant, & ideo Imperatores, vel ex tacito Papæ consensu, vel aliquando etiam ex expresso, leges aliquas tulisse, quæ iuribus Ecclesiæ officiebant. Pontifices autem tunc satis habebant sacra dogmata, & Dei cultum stabilire, bonaq; Ecclesiastica conseruare, & ideo permittebant solui tributa ab Ecclesijs ne Imperatores fidei, & religionis progressum impedirent, turbantibus omnia Paganis, & Hæreticis.

Resp. quartò, eas leges per posteriores Imperatores fuisse reuocatas, nam latæ fuerunt intra quintum seculum à Christo nato, at à Friderico II. Imp. duodecimo seculo sunt reuocatæ, Honorio III. Summo Pontif. vel suadente, vel approbante, vel subscribente, idq; factum est l. Cassa C. de Sacros. Eccl. & l. item nulla C. de Episc. & Clericis, quas capite Superiori adduximus. Ante quod tempus fuerunt etiam aliæ latæ leges pro immunitate Ecclesiastica à Constantino, Valentin. & Martiano Impp. à Ludouico Pio qui nono seculo imperauit teste concilio Parisiensi, seu Meldensi, Carolo Magno, & alijs, vt habetur in Capitularibus lib. 1. c. 9 1. l. 6. c. 107. & c. 1 6. quas aliqui alij reuocare conati sunt vel odio in Ecclesiam, vel ignorantia iurium Ecclesiæ, vel superbia, & ambitione dominandi etiam Ecclesiasticis. Quare licet eorum potestas ad hoc non extenderetur, tamen vt id manifestius esset, necesse fuit à Summis Pontificibus odium in Ecclesiam coerceri, ignorantiam auferri, superbiam, & ambitionem comprimi per Ecclesiasticas leges, suis ergo legibus, ne error magis, ac magis inualesceret statuerunt, seu iam statutam confirmarunt,

runt, ac de nouo quantum opus erat decreuerunt, Ecclesiasticarum personarum, ac bonorum exemptionem à foro, & oneribus.

Idcircò licet Imperialibus legibus prohibentibus grauari Ecclesias, & Ecclesiasticos oneribus, dari aliqua responsio possit. nempè prohibuisse quidem Communitatibus, ac personis particularibus, non tamen potuisse successoribus id vetare, cùm paris in parem nulla sit potestas, cap. innotuit de elect. l. ille à quo §. intempestiuum ff. ad Trebellian. tamen post Summorum Pontificum leges, & approbationes, nulla ciuili lege aliter statui potest. Præcipuum enim fundamentum exemptionis immutabilis rerum, & personarum Ecclesiasticarũ, non iure ciuili nititur, sed Canonico fundato in diuina ordinatione, vt ex Concilio Tridentino, & alijs paulò ante diximus.

4 Quæ ratio soluit etiam illud quod obijci posset, nempe Friderici II tempore fuisse alios Principes Christianos ei non subiectos, quos illa lex Cassa, nec aliæ ligare potuerunt. Respondetur enim hos non astringi Imperatoria lege, sed Pontificia. Dici tamen etiam potest Fridericum non dedisse priuilegium Ecclesiæ, nec Ecclesiasticis, sed innouasse antiqua ab alijs Imperatoribus concessa, quæ iam erant ab alijs regnis acceptata existentibus sub Ro. Imp. vt ait Suarez. *a* Præterea ijs regionibus non prodest adducta ratio, quia suberant tunc temporis Imperatori vt erat ditio Mediolanensis, & ideo ea lege Friderici astringuntur.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 30. n. 7.

Dico ergo immunitatem Ecclesiasticam satis esse constitutam à Summis Pontificibus, qui suis legibus contrarias leges ciuiles factas abrogarunt, & faciendas abrogant, & hoc satis est, etiam si nullæ

sint

sint leges ciuiles eam exemptionem statuentes.

5 Nec est contemnenda ea ratio, dato quod Imperatores, ac Principes Laici dictam immunitatem primi dedissent, nempè hanc semel datam non posse auferri, vel à concedente, vel à successore, quia priuilegium non subdito concessum, & ab eo acceptatum non potest reuocari siue ab ipso qui concessit, siue ab eius successore, *a* si præsertim is, cui concessum est sit in longa eius possessione quia neuter eorum habet potestatem siue in personam, cum ei non sit subdita, siue in bona, cum hæc sint in alterius dominio, quibus non potest priuari, nisi forte in pœnam delicti, aut ob aliquam grauissimam necessitatem, *b* qua existente non via iuris, sed via facti ad subueniendum tantę necessitati auferuntur. De qua re infra.

a Bonac. de leg. d. 1. q. 3. p. 8. n. 4. Sanch. l. 8. de matr. d. 29. Suar. de leg. l. 8. c. 37. n. 2. & 9 Salas de leg. d. 20. Pont. de matr l. 8. c. 29. §. 2. n. 12. Dian. 4. part. tr. 1. ref. 82.

b Suar. de leg. l. 8. c. 37. Sanch. de matr. l. 8. d. 33. Bonac. de leg. d. 1. q. 3. p. 8. 63. num. 5. & alij apud Castr. Pal. de priuil. tr. 3. §. 1. n. 2. & seq. d. 4. p. 21.

CAPVT QVARTVM

An per leges Canonicas concedatur Laicis Principibus, vt onera Ecclesiasticis bonis imponant in necessitate.

§. Primus explicantur Capita, si Tributum, & Conuenior, & Magnum.

1 *Priora iura intelligenda sunt loqui in casu necessitatis, sicut posteriora, vt iurium correctio vitetur.*

2 *Explicantur iura quæ videntur contraria C. si Tributum 11. q. 1.*

3 *Explicatur cap. Conuenior. 11. q. 1.*

4 Ex-

4 *Explicatur cap. Magnum 11. q. 1. & loci Scripturæ Sacræ ad Rom. 13. 1. & prima Petri 2. 13.*

5 *Explicatur locus Mat. 17. 26. de censu à Christo soluto; cur in eo soluendo patrarit Christus miraculum. Si tributum ab Ecclesiasticis soluendum est, sponte soluendum est, non Laicorum vi, & Imperio.*

1 EXtra necessitatem certum videtur onera Ecclesiasticis bonis non posse imponi, cum Sacri Canones c. 2. sup. allati id saltem velint, nec adducta. eod. cap. ad probandum posse onera imponi, vim aliquam habent ad suadendum extra necessitatem esse soluenda ab Ecclesiasticis onera à Principe Laico imposita; cum enim alia iura de necessitate loquantur, eodem modo illa priora sunt intelligenda, vt iurium correctio quoad fieri potest, vitetur l. præcipimus C. de appellat. imo licet priores leges absolutè loquerentur, cum per posteriores sint correctæ, nullam vim nunc habent. Verùm singulos Canones, qui Laicis fauere videntur, inspiciamus, vt inc appareat à Sacris Canonibus numquam esse concessam potestatem grauandi ecclesiasticos Laicis.

2 Primo affertur cap. si tributum 11. q. 1. quod non est Summi Pont. aut Concilij generalis, sed D. Ambrosij, vt etiam cap. Magnum eod. & cap. Conueniot 23. q. 8. quare eadem responsio omnibus datur. Ab Ambrosio petebat Imperator basilicam pro Arianis in Mediolanensi Ciuitate. Se acriter opposuit Sanctissimus Vir Catholicæ fidei amantissimus, magnoq; animo illam negauit, eaq; adduxit, si tributum petit Imperator, non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt tributum. si agros desiderat Imperator, potestatem

habet vendicandorum. Tollat eos ſi libitum eſt, Imperatori non dono, ſed non nego.

Quorum verborum ſenſus ille eſt. Tantam arbitror eſſe impietatem templum ad exercitia hæreticæ prauitatis concedere, vt minus malum exiſtimem non ſolum tributum ex Eccleſiæ agris ſoluere Imperatori, ſed & omnes illos, vt ſibi vſurpet ei permittere. Nam verè minus malum eſt temporalia Eccleſiæ amitti, quam impietatis exercitia concedere in templo ſupremo numini ritè conſecrato, cum magno animarum periculo. Secundo D. Ambroſius non dicit eſſe dandum tributum Imperatori, ſed ſe ei non negaturum ſi petat, nec ſe corporaliter oppoſiturum, vt explicat ibi Gloſſa verbum, non nego. Quare hinc colligi non poteſt prædia Eccleſiæ fuiſſe tributaria Imperatori, ſed Imperatorem vt tributum conſequeretur, debuiſſe illud ab Epiſcopo petere; vt innuunt ea verba, ſi tributum petit Imperator, ſi agros deſiderat. Et ideo hic textus afferri non poteſt ad probandum poſſe à Principe ſeculari obligari Eccleſiaſticos ad tributum, cum ad Epiſcopum pro eo recurrere, ab eoq; petere deberet Imperator. Tertio, Diuus Ambroſius non donare ſe dicit Imperatori agros Eccleſiæ, ſi eos optabat, ſed non negare. Permittere ſcilicet eorum vſurpationem, nec ſe opponere, vt ſe opponebat, & contradicebat petenti templum pro Arianis. Non negat tributum, immo nec agros ipſos ille qui acriter pugnabat cum templum auferre volebat Imperator à Catholicis, & hæreticis concedere. Permiſſio autem non indicat conſenſum permittentis, aut eſſe licitum id, quod permittitur, cum peccata permittantur à Deo, quibus non conſentit, & quæ non ſunt licita. Quare ex hoc textu non poteſt probari licitum eſſe

tributum

tributum imponere, aut accipere ab Ecclesiasticis. Non se opponebat autem D. Ambrosius, quia cum non esset licitum Episcopo pugnare cum Principe Laico, nisi censuris, & Imperator Valentinianus, quo cum res erat, puer esset, nec adhuc baptizatus, gubernaretq; Imperium mater ipsius Iustina Hæretica, & Hæreticorum cum filio fautrix, oleum, & operam erat perdere censuris cum ijs agere, cum Imperator non baptizatus non esset sub potestate Ecclesiæ, ac Iurisd., etsi baptizatus fuisset, fortè censuras contempsisset, vt veram fidem cum Iustina matre contemnebat.

Præterea nolebat D. Ambrosius tunc temporis quoad hoc resistere voluntati Imperatoris, nam expedientius, erat cedere tempori, & iniquo principi, ob maius bonum: sicq; euangelicam modestiam seruare, iubentem auferenti pallium dari etiam tunicam, vt innuit Baronius anno 387.

Vltimò D. Ambrosius id quod de facto fiebat ab Imperatore hæreticorum fautore, non autem id quod de iure, exponit, vt docet Glossa in c. si Tributum verbo. Potestatem. Quid mirum autem eum Imperatorem tributum ab Ecclesiasticis Catholicis voluisse, & redditaum partem abstulisse, qui totam fidem Catholicam impellente matre Iustina, auferre à terrarum orbe moliebatur?

3 In cap. Conuenior loquitur D. Ambrosius de proprio patrimonio, & ait se non refragaturum si petatur, vt nec argentum, nec aurum. Sub dens, quamquam omnia, quæ mea sunt, sint pauperum, quia videlicet in vsus pauperum ea liberaliter impendebat, & ideo non tam sua, quam pauperum ea esse arbitrabatur, vt ibi notat glos. verb. Diuina, & verb. refragaturum,

rum, dicitq; eum loqui de proprijs rebus, non de Ecclesiæ quas D Ambrosius dare Imperatori non poterat, cum diuino cultui destinata dari ei Laico non possint extra necessitatem cap. pleriq; 8.q.1.& cap. vna sola 33.q.5. fin. refert autem D. Ambrosius quorumdam dictum, omnia esse in potestate Imperatoris, quod ipse non admittit, saltem quoad ea quæ Dei sunt, respondens cum ijs verbis. Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ Diuina sunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ, publicorum tibi mœnium ius commissum est, non Sacrorum. Glossa verò ibi intelligit omnia esse in potestate Imperatoris non quoad dominium, sed quoad iurisdictionem, & defensionem, idest quoad ius, & obligationem ea defende di, cum ad hanc defensionem potissimum sit constitutus Princeps, & populi contributionibus sustentetur, nec puto quemquam tuta conscientia posse affirmare omnia esse Imperatoris, seu Principis, Tyrannicum enim esset huiusmodi Imperium, Turcicamq; saperet, non Christianam administrationem. & si illud vt verum admitteretur, in rebus tamen Ecclesiarum, etiam temporalibus, non haberet locum, quia hę Dei vsibus, & cultui sunt destinatæ. Dici etiam potest D. Ambrosium loqui de tributo ordinario, quo erant grauata bona antequam essent Ecclesiæ. ex Barbosa de vn. iur. Eccl. c. 3. §. 5. n. 57.

4 Caput Magnum 11. q. 1. est etiam D. Ambrosij, & in generali loquitur docens Christianos viros potestatibus sublimioribus esse subiectos, quod à D. Paulo desumptum est, dicente omnis anima potesta-

tibus

tibus sublimioribus subdita sit, *a* & à D. Petro subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, siue Ducibus &c. *b* Quibus verbis volunt vnumquemq; debere esse subiectum suo Superiori, non autem volunt Laicis Principibus Ecclesiasticos subditos esse, non enim illi respectu horum sunt potestas sublimior, sed inferior, cum Sacerdótium, & Pontificatus quid sublimius sint principatu Laico. N c D. Petrus aliter docet, cum loquatur ad seculares fidei Christianæ principijs inbutos, alioqui si omnes compræhenderet, etiam Summi Pontifices, & Apostoli non essent à subiectione Principum secularium eximendi. Quòd si dicas Sacerdotium, & Pontificatum esse quidem sublimius quid potestate Laica quoad supernaturalia, non verò quoad politicam administrationem, quæ tota Principi Laico commissa est. Respondeo ex ijs Apostoli verbis id non colligi, cum non explicet Paulus quænam sint potestates sublimiores, & sensus verborum ipsius non patiatur eam distinctionem, immo ex eo quod Sacerdotium, & Pontificatus in ordine supernaturali sunt sublimiora Regia potestate, satis arguitur huic illa non debere subesse in ciuilibus, cum sint quid simpliciter sublimius, & ad Diuinum ordinem spectans. An verò sit commissa tota politica administratio Principi Laico etiam respectu Ecclesiasticorum extra necessitatem Reip. infra examinabimus.

a Paul. ad Ro. 13. 1.
b 1. Petr. 2. 23.

Argumentum verò quod dicto Capite Magnum adducitur. Si censum filius Dei soluit, *c* quis tu tantus es qui putas esse non soluendum? non fauet Laicis contra Ecclesiasticos, qui eo non compræhenduntur subditur enim. Tu qui seculi sequeris lucrum, cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te su-

c Matt. 17. 21

pra

pra seculum quadam animi arrogantia feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus? ex quibus apparet D. Ambrosium loqui de incumbentibus in seculi negotia, in quæ non incumbere Ecclesiastici debent. Quod si adhuc quis velit Ecclesiasticos ijs verbis comprahendi, sensus eorum erit non debere denegare tributum sua auctoritate, & quasi propria præsumptione, sed iuxta Summorum Pontificum, & Episcoporum concessiones; & decreta. *a*

a Suar. contra Reg. Angl. lib. 4. c. 24. nu. 10.

5 Locus ergo Euãgelij allatus de solutione tributi à Christo Domino facta probat tantummodo non esse denegandum tributum, cum ad euitandum scandalum est necesse, vt Dominus fecit: aut cum ratione subiectionis Principi debetur.

In eo autem Christi Domini facto ea sunt aduertenda. Primum semel tantùm totiùs vitę decursu legi eum tributum illud soluisse, vt hinc colligamus ab hominibus Deo dicatis non esse soluenda onera Laico Principi nisi rarissimè, non autem singulis annis, vt hoc tempore prętendunt Laici. Secundum est, quòd notat S. Thomas cum D. Hieronymo, *b* vt illud tributum solueret Christus Dominus, patrasse miraculum, nec voluisse accipere nummos ex eleemosina acceptos; quo indicabat primò rarissimam esse debere solutionem onerum, sicut rarissima fiunt miracula, per Ecclesiasticos factam. Secundo, indicabat res Deo Sacras eiusq; ministrorum, & pauperum vsibus destinatas, non esse tributis obnoxias, & ideo cum nummi sibi dati ex eleemosina, iam essent pauperum, suorum scilicet discipulorum, vsibus, & alimentis destinati, ad prophanos vsus aliquam eorum partem conuertere noluit.

b S. Th. 2. 2. q. 188. art. 7.

Addunt Chrysostomus, & Euthymius *c* Christum

c Chrysost. & Euthyn. apud Maldonatum inc. 17. Matt. n. 27.

patrasse

patrasse miraculum, ne suum priuilegium non soluendi tributum perderet, si ex eo quod in bonis habebat eleemosinę nomine acceptum, soluisset, quare ex statere miraculosè inuento, tamquam ex re prophana soluere voluit, & nondum pauperum vsibus applicata. Tertium aduertendum illud est, quod Christus Dominus pro se, & Petro tantum soluit, non pro aliis discipulis, quod fecisse videtur, ne Principes Christiani putarent subiectos esse tributis ab ipsis impositis Ecclesiasticos, qui per discipulos significabantur. De ipso enim, & suo Vicario Petro non est dubia exemptio, cum nemo Christi fidelis sit adeo impius, vt suæ legi tributorum Christum, & eius Vicarium Summum Pontificem subijciat. Addi potest tale tributum non fuisse impositum à Principibus sęculi, sed à Deo in vsum Tabernaculi, vt notat Baronius, *a* à quo se immunem dicit Dominus, quia filius erat eius, à quo tributum erat impositum, sicut à filijs Reges terrę tributum non exigunt. Quare tale Christi Domini exemplum pro soluendo tributo Principibus Laicis ab Ecclesiastica persona adduci non potest, cum præsertim ille soluerit ad vitandum scandalum, ne scilicet impediretur à docenda Dei lege, & ne Iudæis occasionem criminandi daret, nec inter Catholicos nunc scandalum vllum sit, si Ecclesiastici non soluunt onera, cum sciant id facere ex priuilegio, nec periculum sit impedimenti ab Euangelica prædicatione. Præterea tributum illud erat personale, & non reale. Nostra autem quæstio cum Laicis est de onere reali. Demum Christus Dominus sponte soluit illud tributum, & prius se, suosq; esse exemptos ab eo declarauit ijs verbis. Ergo liberi sunt filij, in nostro autem casu nolunt Laici Ecclesiasticos esse

a Baron. an. 33.

exemptos,

exemptos, nec sponte Ecclesiastici soluunt, sed varijs modis coguntur ad solutionem.

Imino potius cum non legatur Christus Dominus soluisse vnquam tributum Cæsari, nec eius discipuli, colligi iure, ac merito potest dedisse exemplum Ecclesiasticis vt illud non soluerent Laicis Principibus. Nec enim interrogatus, an census esset dandus Cæsari, respondit, reddamus, sed reddite, *a* quæ cum dixit, non cum discipulis se sequentibus locutus est, sed cum Laicis. Nam pharisæi fuerunt qui miserunt discipulos suos cum Herodianis.

a Matt. 22. 21.

Ex quibus habemus Christi factum illud non fauere Laicis, atq; adeo nec textum adductum, sed potius nostram sententiam, confirmare.

Quamuis autem diceremus cum aliquibus contra D. Hilarium, & Theophylactum *b* tributũ illud solutum à Christo singulis annis, & illud Imperatori datum, licet esset eius origo pro vsu tabernaculi, & templi, *c* à Principibus tamen fuisse conuersum in alium vsum, nihilominus concludendum adhuc esset Christum soluisse tributum quia voluit, non quia debuit, cum se exemptum declararit antequam solueret, & soluisse ad euitandum scandalum, & ideo ad nostrum casum non facere eum textum, & ex eo haberi Ecclesiasticos non debere tributum, quia Chtistus, nec eius discipuli illud debuerunt: sed si soluendum est, voluntate Ecclesiasticorum esse soluendum, ipsis scilicet consentientibus, ob necessitates Reip non autem Laicorum vi, & Imperio. Quare D. Hieronymus ait: Ille pro nobis crucem sustinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus. *d*

b Hilar. & Theophyl. apud Maldon. in c. 17. Matt. n. 24. 25.

c Exod. 30. 13.

d Hier. in c. 17. Math.

En quid dicat D. Hieronymus nonne satis indicat

suo

suo tempore Ecclesiasticos fuisse immunes à tributis? & tamen D. Ambrosij æuo vixit, & alij Episcopi tunc temporis recusarunt tributa soluere, vt conqueruntur Valentinianus, & Valens apud Theodoretum. [a] Si ergo D. Ambrosius tributum non negauit fuit, vel ad vitanda maiora mala contra Catholicam fidem, atq; adeo ad vitandum scandalum; vel fuit permissio ob eandem causam vitandi scandali, non autem positiua concessio, cum non adesset necessitas.

[a] Theod. l. 4. hist. c. 7.

§. 2. *Explicantur alia iura.*

1 D. Basilius non fauet aduersarijs cum ait Fiscalia esse soluenda.
2 Explicatur cap. cum non sit de Decim.
3 Explicatur cap. Sancitum de Cens.
4 Quid sit Mansus.
5 Explicatur cap. peruenit. 2. de immun.
6 Explicatur cap. Tributum 23. q. 8.
7 Per posteriores leges sunt priores abrogatæ; leges pro libertate Ecclesiastica sunt posteriores.
8 Nulla lege siue ciuili, siue Canonica obligatur Ecclesia soluere tributum Laicis.

Nec D. Basilius fauet oppositæ sententiæ cum cap. 9. de Initit. Monach. ait Fiscalia esse soluenda ab eo qui inter fratres recipitur, non enim loquitur de fratribus iam receptis in monasterium, sed de eo qui recipitur, quem vult ante receptionem soluere debita Fiscalia iam contracta.

2 Adducitur caput Cum non sit de Decim. quod est Innocentij Tertij, sed non fauet Laicis; Vult enim solum Decimas esse soluendas ante tributa, & si tributa sint soluta ante Decimas, iubet ex ijs tributis deci-

mas extrahi. Quare cum non loquatur de Ecclesiasticis in specie, de Laicis loqui dicendus est, qui fraudabant Decimas, & tributa prius soluebant, vt deinde minorem summam pro Decima Ecclesiæ darent. Quod vetat Pontifex fieri, nec est probabile Innocentium statuisse solutionem tributorum, qui eam vetuit Cap. non minus, & Cap. aduersus de immun.

3 Adducitur cap. Sancitum de cens. quod est Concilij Guarmaciensis, sed nec istud fauet Laicis. Nam ait tributa, & onera non esse soluenda ab Ecclesiasticis, nisi ea, quæ sunt antiquitùs debita priuatis personis, has enim intelligi seniorum nomine ibi posito, docent Glossa, Io Andr. Suarez contra Reg. Angl. lib. 4. c. 21. nu. 15. idest antiquiores Dominos. Quin etiam iubet mansum Ecclesiæ esse exemptum ab omni onere vt etiam Decimas, oblationes fidelium, Domus, Areas, & Hortos iuxta Ecclesiam.

4 Quid autem sit mansus, variè explicatur. Glossa præsentis capitis ait esse quantitatem terræ, quæ vno anno aratur à duobus bobus. Alij dixere esse eum agrum, & vineam, ex quibus frumentum, & vinum ad Eucharistiam conficiendam percipitur ex Glossa cap. secundum Canonicam 23. q. 8. quæ tamen etiam dicit mansum appellari dotem Ecclesiæ, nam dos talis esse debet, vt Ecclesia possit inde sustentari iuxta C. nemo de consecr. d. 1. subdit Mansum iuxta vulgarem acceptionem esse vnde vnus rusticus cum sua familia sustentari potest, & ideo Mansus videtur esse integra possessio, seu vt vulgò dicitur, massaria, quæ datur Ecclesiæ pro eius sustentatione, atq; adeo eius etiam ministrorum, sine quibus ea decenter sustentari, seu manuteneri non potest. Rectè autem colligit eadem Glossa, ex textu patere de dote sua Ecclesiam non

posse,

posse, nec debere tributa dare, quia non debet dotem accipere nisi libera sit, nec debet ei dari possessio onerosa. De alijs verò bonis, seu prædijs tributo iam subiectis, concedit esse soluendum tributum, quod & nos non negamus, & infra explicabitur.

Mansum porrò esse omninò exemptum habetur etiam Can. Sancitum est 23. q. 8. & Can. cit secundum Canonicam eod. qui testatur tùm eum, tùm Ecclesiasticum agrum esse exemptum autoritate Canonica, & constitutione Ludouici Imperatoris.

5 Quarto adducitur cap. peruenit. 2. de immun. quod est Gregorij I. sed hoc non loquitur de solutione tributorum, & onerum, verùm de custodia murorum facienda contra Saracenos, & quidem per seruos Ecclesiæ, vt vult Beroius *a* scribit autem non ad Magistratum Laicum, sed ad Episcopum eius Ciuitatis, quæ à Sarracenis vexabatur. Quod indicat ad Episcopum, non ad Laicos pertinere indicere Ecclesiasticis eam custodiam, necesse enim existimabatur ab ijs custodiri tunc temporis mœnia, aut saltem eius consensum requiri ad eam indicendam. Quod si hoc sensit D. Gregorius, cum agebatur de periculo non solum corporum, & fortunarum, sed etiam animarum, & fidei Catolicæ, quarum subuersio à Sarracenis timenda erat, multo magis id faciendum esse sentit, cum tale periculum animarum non videtur adesse, nec fidei Catholicæ. Quare hic textus non fauet laicis.

6 Quintò. Adducitur Can. Tributum 23. q. 8. qui videtur esse Papæ Vrbani I. ex Suarez. *b* aitq De exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit, & de exterioribus Ecclesiæ quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete,

a Beroius cons. 31 vol. 1.

b Suar. contra Regem Angl. l. 4. c. 21. n. 14.

qua nos defenſare debent, Imperatoribus perſoluendum eſt.

Verùm neq. hic textus fauet laicis, nam non loquitur de omnibus rebus Eccleſiæ, ſed de ijs, quæ cum hoc onere in Eccleſiam tranſlata ſunt, vt explicat ibi gloſſ. & licet non eſſet hoc modo intelligendus, ex ijs verbis, non colligitur fuiſſe tributa Principi laico ab Eccleſia ſoluta ſine cleri conſenſu, aut Imperatores ipſos coegiſſe ad ea ſoluenda. Prӕterea Imperatores ipſi tunc temporis erant Pagani, & Eccleſia non poterat iure exemptionis vti cũ illi Eccleſiã non agnoſcerent, & denegare eis tributa, erat ſuſq. deq; vertere Catholicæ Religionis progreſſus, & incrementa. Quare à Catholicis Principibus, & Magiſtratibus non ſunt pro ſua contra Eccleſiam prӕtenſione adducenda ea verba, cum Paganorum non debeant ſequi veſtigia, & iniqua exempla.

7. Quòd ſi ea verba non ſunt Vrbani I. ſed alterius, neſcimus quis is fuerit, ſed Summus Pontifex fuit, & ideo eius verba ſunt, vt explicat Gloſs intelligenda, nempe non de rebus Eccleſiӕ ipſam ſoluere tributum, ſed de alijs, quæ ad alios vſus obtinet, quam ad Dei cultum, & pauperum ſuſtentationem; quӕq; cum hoc onere ſoluendi tributum ad eam peruenerunt, quӕ exteriora idcirco dicuntur. Alia autem data Eccleſiæ Sanctum Sanctorum ſunt Domino, vt Can. nulli 12. q. 2. ſic Gloſs. Adde quod conſentiente Papa ſoluebatur tributum. Nunc autem illud exigitur ſine eius conſenſu. Et forte tunc iniquitati Principum non poterat obſiſtere Eccleſia, & contra illos ſua iura tueri, ſine periculo fidei, ac Religionis; nunc autem in Regionibus in quibus diſputamus, optimos habemus Principes, & à moribus Principum

Hæreti-

Hæreticorum, & Paganorum alienos; & ideo his temporibus non sunt adducendi allati textus. Qui si aliquid antea concludebant cōtra Ecclesiasticā immunitatem, his temporibus nihil concludunt, cum per posteriores leges Pontificias sint abrogati, quæ eam immunitatem stabiliuerunt. Posterior autem lex contraria priori hanc annullat. c. 1. de cogn. spirit. Citati autem Canones, dato quòd laicis faueant, (licet aliqui non faciant ad rem, vt vidimus, alij sint Concilij particularis aut vnius Episcopi, D. videlicet Ambrosij, qui ad maiora mala vitanda non iubebat solui laico Principi tributa, sed permittebat) annum nongentesimum Salutis nostræ non attingunt. At Canones, quibus Ecclesiastica libertas statuitur sunt à Summis Pōtif & a Cōcilijs generalibus editi multò post. Nam C. non minus, Et C. aduersus, & C. Ecclesia Sanctæ Mariæ de immun. ab Innocentio III. facti sunt, qui anno 1198. fuit Pontifex: C. nouerit de sent. excom. ab Honorio III. qui anno 1216. creatus est. Cap. 1. de immun. Eccl. in 6. Ab Alexandro IIII. qui circa annum 1255. pontificatum gessit. Cap. Clericis eodem à Bonifacio VIII. qui anno 1294. in Petri Cathedra sedit. Qui Canones si non essent editi, satis superq; esset Bulla Cenæ singulis annis legi, & promulgari solita abolens quoscunq; Canones nedum leges ciuiles, tributa Ecclesiasticis imponi posse à laicis concedentes.

8. Non puto ergo afferendum absolutè vi alicuius legis positiuæ, siue Ciuilis, siue Canonicæ esse Ecclesiam, & Ecclesiasticos obligatos ad tributa in necessitate, sed si erit, obligata, ex sola charitate erit obligata, quam debet Patriæ, Reip. & Populis.

Quòd si vrgeant in necessitate concedi tributa, &

onera

onera in posterioribus legibus canonicis, vt C. non minus, & c. Aduersus de immun. non abnuam, sed si illis vti volunt laici, non ęgrè ferant eadem Ecclesiasticos seruare, & seruent etiam ipsi, omnis enim controuersia inter ipsos, & illos erit dirempta, nam præscribunt modum, quo soluenda sint onera ab Ecclesiasticis cum necessitas viget. Vt hunc modum melius inspiciamus, sit.

CAPVT QVINTVM

Quid seruandum sit, cum ob necessitatem Reip. tenentur Ecclesiastici contribuere pro eâ subleuanda

§. Primus.

Explicantur Capita. Non minus. & Aduersus de immun.

1 *Cap. non minus, & Cap. Aduersus de immun. vetant impositionem onerum Ecclesiasticis, nisi Episcopus, & Clerus in necessitate Communi, cum laicorum facultates non suppetunt, duxerint subsidium esse conferendum. Consulendus est tamen prius summus Pontifex: laici quod dabitur, humiliter, & cum gratiarum actione recipere debent, & sine exactione.*

Constitutiones contra immunitatem Ecclesię sunt irritæ. Grauantes Ecclesias oneribus sunt excommunicati donec satisfecerint, eorum etiam successores, nisi intra mensem satisfecerint.

2 Qua-

2. *Quatuor requiruntur vt Ecclesia teneatur contribuere: primum vera necessitas, vel vtilitas Communis. Secundum, vt laicorum facultates non sufficiant. Tertium Episcopus, & Clerus de duobus prioribus iudicare debent. Quartum, cum id iudicauerint, consulant Ro. Pontificem. Quæ dabunt Ecclesiastici accipere debent laici vt eleemosinam.*

3. *Summi Pontifices dicta iura seruauerunt, vt Clemens VIII. & Gregorius XV.*

4. *Iniquitas magna est dictę decisioni non obedire. Principis laici, & Magistratus non est iudicare an laicorum facultates sufficiant, nec ne; & si onera Ecclesiasticis imponant, erunt excommunicati, & ad restitutionem tenebuntur, & etiam eorum Successores, qui intra mensem restituere debent, vt excommunicationem effugiant.*

5. *Bona Ecclesię non sunt sub Dominio laicorum, vnde non possunt ab ijs grauari, vt nec bona populorum vicinorum, non subditorum tamen Principi alicui, ab hoc grauari possunt.*



Atis id decisum est duobus iuribus, nempe C. non minus, & cap. Aduersus de immun. In quorum primo statuitur sub anathematis districtione, ne Consules, ac Rectores Ciuitatum, & alij potestatem habentes, onera Ecclesiasticis imponant, nisi Episcopus, & Clerus viderint tantam esse necessitatem, vel vtilitatem communem, vt ad eam subleuandam, vbi non suppetunt laicorum facultates, subsidia conferenda esse existiment, sine exactione tamen. In secundò autem idem quod in primò statutum erat, renouatur. Deinde additur vt prius Ro. Pontifex consu-

consulatur; cuius interest communibus necessitatibus prouidere, idq. ob imprudentiam quorundam, qui existimabant esse conferenda talia subsidia, quamuis laicorum faculates satis essent ad subleuandas Reipublicę necessitates. Tertiò additur quòd si Episcopus, & Clerici existimabunt aliquid subsidij conferendum esse; laici humiliter, & deuotè id recipiant cum gratiarum actione. Quartò decernitur, vt constitutiones, & sententiæ quæ à Superioribus Ciuitatum, & alijs huiusmodi, vel de mandato ipsorum fuerint promulgatæ contra Ecclesiasticam immunitatem, inanes, & irritæ habeantur, nullo vmquam tempore valituræ. Quintò, Decernitur, vt prædicti Consules, Rectores Ciuitatum, vel alij potestatem habentes, Ecclesias oneribus grauantes sint excommunicati donec satisfecerint, & si durante officij tempore non satisfecerint, eamdem excommunicationem incurrant eorum successores, nisi intra mensem satisfecerint. Hæc Innocentius III. & Concilium Lateranense.

2 Ex quibus patet quattuor requiri, vt contribuere teneantur Ecclesiastici.

1 Vt adsit vera necessitas, vel vtilitas communis.

2 Vt laicorum facultates non sint sufficientes ad eam necessitatem publicam subleuandam.

3 Vt eam necessitatem adesse. & laicorum facultates ad eam subleuandam non satis esse, non laici iudicent, sed Episcopus, & Clerus.

4 Vt si Episcopus, & Clerus iudicauerint adesse dictam necessitatem, & laicorum facultates ei auferendæ, non sufficere, atq; adeò ab Ecclesiasticis esse pro ea contribuendum, consulatur Ro. Pontifex, an ea contributio sit facienda cuius munus est communibus vtilitatibus subuenire. De-

Demùm, vt si prędicta omnia seruata sint, & tùm Episcopus, & Clerus, tùm Ro. Pontifex senserint esse aliquid dandum ab Ecclesiasticis, ob necessitate n communem, laici ea onera non exigant cum coactione, sed cum gratiarum actione, humiliter, ac deuotè, quasi eleemosinam videlicet ab Ecclesiasticis indigenti collatam, recipiant.

Quam sacrorum Canonum determinationem in Ecclesia Catholica, cum controuersia orta est inter Ecclesiasticos, & laicos, Summi Pontifices seruauerunt, eiq: adhæserunt. Vnde Clemens VIII. anno 1600. Nuntio suo in Hetruria commisit, vt laicorum Pisanorum facultates excuteret, an sufficerent ad munimen aggerum Arni fluminis constituendum. Quarum insufficientia cùm satis notoria apparuisset, coactus est Clerus ab eodem nuntio contribuere. Simile decretum emanauit à Gregorio XV. anno 1622. in Hetruria teste Marchino de bel. diu. p. 4. c. 4. num. 30. 31.

4 Cum ergo prædicta sint statuta à Papa, & à Concilio generali totius Ecclesiæ, magna erit inobedientia, & iniquitas ei dicisioni non obedire, & ideo non potest Princeps laicus suo arbitratu decernere in his, vel illis temporis circumstantijs, necessitati Reip. non posse subuenire laicorum facultates, cum id ad grauandos Ecclesiasticos Episcopi, & Cleri iudicio sit commissum, quod si tale iudicium non ad sit, onera bonis Ecclesiasticis imposita à laicis, erunt iniqua, & iniusta, vt pote alienis bonis imposita sine dominorum non subiectorum ijs laicis consensu. & si exigātur; præter excommunicationem maiorem, subibit Princeps, vel magistratus ipse obligationem restituēdi, quæ exegerit, & donec restituat non poterit ab

ea excommunicatione absolui; Imò si moriatur nō restitutis ijs exactis; ipsius successor cum eodem onere, & obligatione satisfaciendi succedit, atq; adeo nisi intra mensem satisfecerit, etiam ipse excommunicatione maiori ligabitur.

5 Et quidem meritò prædicta sunt statuta à Summo Pontifice, & sacro Concilio, quia bona Ecclesiastica non sunt sub potestate, ac Dominio laicorum Principum, ac magistratuum, sed Summi Pontificis, & Ecclesiasticorum; quare non æquum est laicos ea velle pro suo arbitriò grauare, vt non est æquum in necessitate publica grauare personarum non subditarum bona, suæ iurisdictioni non subiecta, Heluetiorum, u. g. a Principe mediolanensi, etiam si forte agatur de eorum commodo, vt si irrumpente hoste in ditionem mediolanensem periculo eidem subiaceant Principes contermini. Nec video circa hoc disparitatem, nisi quòd timor armorum temporalium, ab Heluetijs, aut alio Principe inferendorum, qui sub nostra non sunt potestate, maiorem habet vim quam timor armorum spiritualium, quibus Sancta Ecclesia vtitur quæ non se tuetur more castrorum gladio corporali, sed spirituali tantùm, grauissima videlicet censurarum pœna, quæ parui à multis æstimatur in hac æui mortalis ignorantia, & peruersitate. Quòd si etiam ipsa armis corpus petentibus se tueretur, non ita facilè à seculi potestatibus, vis eius bonis inferretur.

Non ergo sunt obligati Ecclesiastici subuenire reip. extra extremam necessitatem, nisi cum ab Episcopo de consensu Papæ compelluntur, vt etiam docent Thuscus cùm alijs, [a] & cùm deficiunt facultates laicorum ad necessitatem subleuandam.

[a] Thusc. u. Onera concl. 126. n. 31. cū seqq. Zabar. in Clem. 1. de vita, & honest. Cleric.

S. 2.

§. 2. *Ecclesiastici à laico Principe compelli non possunt, & quando nam sint obligati subsidium conferre Reipublicæ.*

fin. in q. 19. Hoil. in c. 1 & 2. de pecul. cleric. frages. 1. p. l. 2. §. 3 n. 310. vbi c rat. Guttier. Gre. lopez, Aul. Azebed.

1 Ecclesiastici quoad vim coactiuam non sunt subditi laicis. Cum tamen necessitas vrget, & periculum est in mora, aliqua executio fieri potest, iuxta Lessium.

2. Ad reparationem Pontium, viarum, murorum &c. non tenentur Ecclesiastici, iuxta eundem lessium.

3. Effugium laicorum, quòd non compelluntur Ecclesiastici ad onera, vi iurisdictionis, sed ratione politica, ac oeconomica, & quia est iusta Reip. defensio, nec censetur contra dignitatem Ecclesiasticorum.

4. Refellitur dictum effugium quia extra necessitatem extremam, non licet à non subdito auferri bona. Nec equitas naturalis id suadet, alioqui posset laicus Magistratus auferre Priuilegia Ecclesiæ, & ipsius esset commissum iudicio grauare Ecclesiasticos, cum vellet.

5. Idem confirmatur ex eo, quòd Ro. Pontifex est consulendus, cum danda est aliqua subuentio ab Ecclesiasticis pro necessitate publica; quod si id non esset licitum, foueretur peccatum.

6. Est contra status Ecclesiastici dignitatem contribuere, nisi seruentur præscripta à suis Canonibus.

7. Non est inconueniens laicos pro Ecclesiasticis obligari ad onera.

Demus tamen Ecclesiasticos esse obligatos subuenire necessitati communi, etiam si laicorum facultates suppetant, adhuc à Principe, & magistratu laico

non possunt compelli, vt subueniant si forte volunt subuenire, quia quoad vim coactiuam, non sunt subditi laicis, cum habeant fori immunitatem, nec possint ad seculare iudicium trahi, vt pluribus iuribus statutum est, quæ infrà adducemus Cap. 6. & videri possunt in Suario contra Reg. Angl. lib. 4. c. et Thusco loco citato in margine n. 33. vbi citat Bellar. cons. 45. 46. 47, & ait Rotam ita decidisse ex ordine Papæ. Neq; quoad hoc puto esse dubium, cùm praxis doceat diuersa esse Tribunalia, & diuersos Iudices Ecclesiasticorum, & laicorum, grauissimamq; quotannis pœnam excomunicationis reseruatæ ferri in trahentes personas Ecclesiasticas ad laica Tribunalia, in bulla cænæ. Nec lessius est in contraria sententia, licet pro ea citetur l. 2. de Iust. & iur. c. 33. n. 24. qui concedit quidem obligationem Ecclesiasticorum, cum primariò facienda est contributio in vtilitatem eorum, & laicorum, sed negat posse compelli à potestate laica, docetq; ab Ecclesiastica esse compellendos; In casu autem, quo hæc non possit commode compellere illos, non omninò reijcit quòd fieri possit executio ab illa, cum videri possit adesse tacita Papæ licentia. Non concedit ergo Lessius Principem laicum posse de facto procedere cõtra Ecclesiasticos, sed cum Ecclesiasticus superior nõ potest adiri, vel ipse non potest commodè prouidere, & necessitas vrget. Vt si sint reparandi aggeres, ne flumen vicinos agros Clericorum, & laicorum inundet, in quo casu periculum est in mora, si adeatur Summus Pontifex, & expectetur responsum. Quid quid sit, hoc belli tempore seruari commodè possunt quæ sacri Canones prescribunt circa hanc materiam contributionis ab Ecclesiasticis faciendæ.

2. Idem

2. Idem Lessius ait. Ecclesiasticos non teneri ad reparationem Pontium, Viarum Murorum Vrbis, & similium, quia ista non tangunt ipsos principaliter, sed secundariò, vt sunt membra Communitatis.

3. Dicent pro se laici, non compelli à se Ecclesiasticos ad soluenda onera vi iurisdictionis, nec vt poena inferatur pro obligatione non adimpleta, sed ratione politica, & oeconomica, quatenus dictamen æquitatis naturalis exposcit, vt Princeps suam Remp. tueatur, & lex charitatis erga Populos sibi commissos, requirit, vt eos quantum fieri possit, subleuet & compellat obligatos subuenire, ad id præstandum cum præsertim agitur ex æquo de eorum, & aliorum, bono. Vnde dicta coactio non est censenda coactio, sed iusta Reip. defensio, per quam ab eius omnibus partibus, & ciuibus accipitur quod ab eis debetur, Atq; ideo tale tributum non datur Principi vt Domino, nec vt illud arguit subiectionem, sed datur, vt est quædã distributio inter ciues, ad proprios ciuium vsus. Aequum autem est vt Ecclesiastici ad illud concurrant, cum fruantur communibus commodis, & defensione ab hostibus, ob quæ onus illud, seu tributum, de quo agimus, est impositum. Neque id est contra dignitatem status Ecclesiastici, sed quid ad pietatem pertinens. Quare l. ad institutiones C. de Sacros. Eccl. dicitur. Venerabiles Ecclesias tam laudabili titulo libenter ascribimus, quia non est inter sordida munera numeratum. Nec æquitas postulat, vt deficientibus bonis communibus Reip. particulares ciues laici ex proprijs soluant pro Clericis.

4. Præclara sane defensio, ac distinctio, per quam Ecclesiastica Priuilegia auferuntur, & Principi subjciuntur, qui non erant sub iecti. In extrema necessitate

sitate

ſitate, cum alia via, ea auferri non poteſt, non nego iure defenſionis Reip. poſse Principem à quocumque auferre, etiam à non ſubdito, eſt enim velut extremè egens, in quo caſu omnia cenſentur bona communia. At extra eam neceſſitatem Nego poſse à non ſubdito auferri, quæ ad eam ſubleuandam opus ſunt. Non enim tenetur; qui non eſt ſubditus ſubuenire Principi non exiſtenti in extrema neceſſitate. Nec verum eſt æquitatem naturalem dictare, vt ſubueniatur Reip. ac populis ei commiſſis, grauando non ſubditos, & eos vi compellendo ad contribuendum; Sic enim ſequeretur ęquitatem naturalem dictare, vt priuilegia Eccleſiaſticorum, quæ vna via auferri non poſsunt, nempe iuriſdictionis, poſsent alia via auferri, nempe Defenſionis, & ob vtilitatem, ſeu neceſſitatem communem: Sequeretur etiam Principis, ac magiſtratuum iudicio eſſe commiſsum, vt Eccleſiaſticos grauarent in qualibet graui neceſſitate Reip. aut cum eſt ipſis valde vtile, quod aſserere, eſt Summis Pontificibus, & ſacris Concilijs obſiſtere, volentibus nullas exactiones poſse per laicos exigi ab Eccleſiaſticis, aut ab his dari ſubuentiones, & neceſſitatem prætenſam eſſe non a laicis, ſed ab Epiſcopo, & Clero examinandam. Et ſi iudicent eam adeſſe, non ei ſubueniendum eſſe ſine conſenſu Ro. Pontificis. Quare Clem. vnica, & c. Non minus de immun. Eccl. prohibentur contributiones Eccleſiaſticorum, ſi foſſata, & expeditiones, aut alia quælibet ſint facienda: Cum tamen foſſata ad cuſtodiam Ciuitatis pertineant, in qua eſt vtilitas communis, vt etiam in expeditionibus. Ea autem particula, Alia quælibet, compræhendit ad minimum omnia ſimilia, vt aduertit Suarez, contra Reg. Angl. lib. 4. c. 26. n. 17. & ab

Anga-

Angarijs, & Perangarijs supra diximus fuisse exemptos Ecclesiasticos in Auth. item nulla.

5. Non ergo charitas, aut æquitas naturalis obligat statim ac creditur adesse magna necessitas Ecclesiasticos ad ei subueniendum, sed post consensum Ro. Pontificis, si sine incommodo possit adiri, cum ab Apostolica Sede in sacris Canonibus, in quibus nullus error esse potest, sit decretum, vt differatur subuentio donec Ro. Pont. consulatur. Non enim hoc decreuisset Apostolica sedes, si statim vrgeret obligatio, nam foueret peccatum, impediret enim suæ obligationi satisfacere, differendo solutionem, quæ statim deberet fieri.

6. Ad id quod dicitur non esse contra dignitatem Eccle siastici status ad onera concurrere, quia ex l. ad Instructiones, non est sordidum munus. Respondeo neq; bellare, ac militem esse, inter sordida munera esse numerandum, sicut neq; alia multa sunt inter sordida munera recensenda, vt esse causidicum in laico Tribunali, aut Aduocatum diuitum in eo, & tamen non est conueniens ab Ecclesiasticis ea exerceri. Sicut ergo non valet. Militem esse non est munus indecorum, ergo Ecclesiasticus ad militiam est adigendus à laico Principe, vi, non iurisdictionis, sed oeconomica. Ita nec rectè concluditur. Contribuere pro Reip. necessitate est honestum munus, ergo Ecclesiastici id debent facere, & si non faciant, sunt compellendi à Principe, & magistrato laico, non vi Iurisdictionis, sed vi oeconomica Imò assero esse contra status Ecclesiastici dignitatem contribuere, nisi seruentur ea, quæ Summus Pontifex iubet seruari cum contributionem temporum calamitas exposcit; quia indecens est, & contra status Ecclesiastici dignitatem

gnitatem ſubijci laicis, & ab eis compelli, ſiue ratione iuriſdictionis, ſiue ratione oeconomica gubernationis, quam non dari probabo inferius c.7.& contra dignitatem Eccleſiaſticorum eſt ſuis priuilegijs exemptionis non poſſe vti.

7. Ad illud autem quod dicitur non eſſe æquum vt laici ſoluant ex proprijs pro Clericis, cum de vtriusq; bono agitur. Reſpondeo, non eſſe inconueniens laicos pro Clericis obligari, ad publica onera vtilia, & neceſſaria omnibus tùm Clericis, tùm laicis, quia bona Eccleſiaſticorum ſunt pro eorum alimentis data, & ad altiſſimos fines deſtinata, nempe ad Dei cultum conſeruandum, & augendum, & ad pauperum ſuſtentationem, quæ in vtilitatem laicorum redundant, cum templa, & ſumptus in illis pro Dei cultu, & pauperum ſubuentio, ſint laicis, & toti Reip. valde vtilia, eorumq; vſibus, & commodis valdè inſeruiant. *a* Et cum Eccleſiaſtici in laicorum vtilitatibus, tùm ſpiritualibus, tùm ſæpe etiam temporalibus ſint occupati, æquum eſt, vt vtilitatibus Communibus temporalibus Reip. & laicorum fruantur etiam ſi temporaliter ad eas non concurrant, & ſoli laici grauentur.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 1. c. 26. n. 12. 43

§. 3. *Conſenſus Eccleſiaſticorum requiritur ad onera eis imponenda, etiam cùm adeſt priuata eorum neceſſitas & an cogi poſſint à laico Principe.*

1. Dato quòd Pontifex conceſſiſſet, vt laici grauarent Eccleſiaſticos, cum adeſt horum priuata vtilitas, horum conſenſus requireretur, nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet; & ad Pontificem,

ficem, & Episcopos spectat Ecclesiasticorum cura in temporalibus.

2. Ob solam deliberationem Laicorum non obligantur Ecclesiastici ad onera Laicorum in Principem. Ecclesiasticorum in Summum Pontificem translata est autoritas.

3. Si Laici possent imponere onera Ecclesiasticis, non tamen possent ea exigere, etiam vi potestatis oeconomicæ. Princeps Laicus corrigere non potest Ecclesiasticos; eorum enim cura ipsi commissa non est.

4. Cum adest vrgentissima necessitas Reip. neque potest adiri Ecclesiasticus Superior, aut hic non vult, aut iniustè differt subsidium afferre, possunt Ecclesiastici cogi à Laica potestate ad contributionem, si Laicorum facultates non sufficiant. Resarcire tamen debent ablata, cum necessitas cessabit.

5. Cum Episcopus, & Clerus iudicant adesse necessitatem subueniendi Reip. tenentur approbare cõtributionem, ex Charitate, Iustitia legali, & pietate in patriam.

6. Textus Canonici vetantes impositionem onerum Ecclesiasticis, comprehendunt etiam Imperatores, & Reges.

Inquiunt aliqui Pontificem supradicta decidisse, cum adest sola necessitas publica, non autem cum etiam adest priuata; Demus ita esse, licet absolutè negandum sit. At non ideo datur absolute autoritas Principi Laico grauandi Ecclesiasticos, aut eorum bona; sed tunc solùm si consenserint ipsi Ecclesiastici, Episcopus videlicet, & Clerus, est enim æquum vt cum tota Ciuitas, seu Resp. constet ex Ecclesiasticis, & Secularibus tamquam ex partibus, siue vt ita loqui velimus ex partialibus rebus publicis, cum

ordine, & coniunctione vnius ad alteram, sitq; Laicus Princeps caput partis vnius, Pontifex, seu Episcopus, alterius, vna pars aliam non grauet sine eius consensu; quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Clem. pri. de cens. a quando igitur de populi, & Cleri vtilitate agitur, vtriusq; deliberatio requiritur. Nec æquum est, vt pars Laica grauare possit Ecclesiasticam, non autem hæc, illam, id enim esset Ecclesiasticam subijcere Laicæ, & ab ea gubernari. At si Episcopus, aut Papa iuberet Seculares in aliqua necessitate Reip. aliquid contribuere, non id toleraret Princeps, nec Magistratus, & multò minus, si per vim exigeret contributionem à se impositam, dicerentq; ad Papam, seu Episcopum non spectare tributa, aut alia onera imponere Laicis, aut imposita vi exigere ab ijs, quorum non est ijs commissa cura in rebus temporalibus. Eodem modo Papa, & alij Ecclesiastici respondent, cum Laica potestas vult Ecclesiasticos grauare, aut onera imposita vi exigere sine eorum consensu, Ad eam non spectare Ecclesiasticorum in temporalibus curam gerere, sed ad Pontificem, seu Episcopum, & ideo ad eos esse recurrendum, extra extremam necessitatem, cum periculum non est in mora.

a Abbas in C. Non minus n. 30. apud Surd. cons. 301. vol. 3 & Sanctis s prædictis. & in C. fin. de Fer. & in C. 1. de Cens.

2. Ob solam ergo deliberationem Laicorum non obligantur Ecclesiastici ad onera à Laicis imposita, sed vtrorumq consensus requiritur; cum ab omnibus sit approbandum, quod omnes tangit. Potest Laicus Princeps grauare Laicos, quia in eum suam autoritatem transtulerunt, at non Ecclesiasticos, quia horum autoritas in Summum Pontificem, & superiores Ecclesiasticos est translata, non in Laicum Principem.

3. Sed

3. Sed si daremus à laicis posse imponi onera Ecclesiasticis, & super eorum bona tempore grauis necessitatis (quod tamen huc vsq; negauimus, & semper negabimus, dum Sacrorum Canonum authoritas vigebit) etiam sine consensu Episcopi, & Cleri, vi potestatis oeconomicæ, & æquitatis naturalis: At exactio ad Laicos non pertineret, sed ad Ecclesiasticos Principes, Papam videlicet, & Episcopos, nam potestas oeconomica non est nisi ad dictandū Ecclesiasticis obligationem subueniendi Reip. in tali necessitate, nō autem ad auferendū ab ijs inuitis eorum, & Dei bona, cum hæc ablatio sit ad correctionem inobedientium. At Princeps Laicus corrigere non potest Ecclesiasticos siue in Persona, siue in bonis, nisi forte cùm adest extrema necessitas defendendi Remp. in quo casu ea potius esset defensio iusta, quam Correctio; Ratio autem cūr Ecclesiasticos corrigere non possit, est quia non est ipsi commissa cura Personarum, & bonorum Ecclesiasticorum, nec decet ab ouibus Pastores corrigi, & emendari. Peccant quidem Ecclesiastici nolentes subuenire Reip. in graui necessitate constitutæ, in qua præsertim de eorum etiam commodo agitur, at eatenus illos aut punire pro tali peccato non ad laicum oeconomum, & administratorem pertinet, sed ad Ecclesiasticum. Quare neq; in vim oeconomicæ potestatis, & æquitatis naturalis possunt licitè grauari bona Ecclesiastica, & multò minus auferri inuitis Ecclesiasticis, qui ad Remp. Laicam non pertinent, sed ad Ecclesiasticam, cuius administrator, & Caput est Papa, & in qualibet Diœcesi Episcopus. Vnde Oldradus cons. 83. late probat in Ciuitate duos esse populos, duas vniuersitates, duas Iurisdictiones, duo militum genera, Clerico-

rum scilicet, & Laicorum ex cap. Duo sunt 22. q. 1.

4. Illud Laicis cum Fragosa *a* concedam, tunc cogi posse Ecclesiasticos per Laicam potestatem ad contributionem cum laicis faciendam, cùm adest vrgentissima necessitas Reip communis, nec satis sunt Laicorum facultates, & superior Ecclesiasticus non vult, aut iniuste differt cogere ad illud subsidium, periculumq; est in mora; Concedo, inquam, in hoc casu posse appræhendi bona Ecclesiasticorum pro rata eorum onerum, ad quæ tenentur contribuere, quia necessitas vrgentissima non habet legem, *b* nec censetur id fieri per Laicos, sed Lege necessitatis, ne Resp. omnino intereat. Quod etiam Cynus concedit, *c* cum ait posse Regem in vrgentissima belli occasione, & repentini, etiam inconsulto Papa, calices, cruces, & alia bona Ecclesiæ appræhendere pro subsidio, modo cessante bello ea restituat. Idem concedunt Chassaneus, & Afflict. *d* A quibus non dissentio, modo adsint eæ limitationes, quas ipsi apponunt. Prima, bellum sit vrgentissimum, & repentinum. Secunda, Principes resarciant, quæ ab Ecclesiijs abstulerunt eius belli necessitate, cum pax erit reuocata. Tertia, periculum sit in mora, si ad Papam fiat recursus. Alioqui Ecclesiasticos cogi posse nego à Laico Principe, aut Magistratu, & hanc esse communem sententiam asserit Fragosa, cum Guttierez, *e* quia id expresse prohibetur in cap. Non minus de immun. Eccle. & cap. Clericis, & cap. Decernimus, de Iudic. Non desunt tamen asserentes etiam vrgente necessitate esse seruandum Caput, Non minus, nam Laicus non potest negligentiam Ecclesiasticorum compescere, cum non sit eorum superior. Cap. qualiter de Iudic. hi sunt Speculator, Gigas, Olanus, Remigius,

Guer-

a Fragos. in regim. reip. 1. p. l. 2. d. 4. §. 4. n. 333.

b Cap. Quod nōn est licitū de reg. iur. Et l. Nemini ff. de relig. sumpt. fun.

c Cynus in l. Neminem C. de Sacros. Eccl.

d Chassan. in consuet. Burg. rubr. 1. §. 5. n. 15. Afflict. decis. 24. & 85.

e Frag. de regim. reip. 1. p. l. 2. d. 4. § 4. n. 332. Guttier. in pract. l. 1. q. 3. n. 10. & seqq.

Guerrera, Germonius apud Fragosam loco citato.

105. Concludendum ergo est prim. Ecclesiasticos non teneri ad subleuandam necessitatem Communem, donec Episcopus, & Clerus iudicarint eam adesse. Secundò cum hi iudicant adesse dictam necessitatem, debere comprobare contributionem, quam si non comprobent, peccare, quia textus id committunt eorum existimationi, idest prudenti iudicio. Quare cum prudenter iudicant adesse eam necessitatem, vel vtilitatem Cōmunem, nec Laicorū facultates sufficere, tenentur declarare ita esse, & approbare contributionem. Ita Gregorius Lopez, Guttierez, Suarez, Guerrera. *a* Hanc obligationem esse solùm ex honestate, & consilio tenet Panormitanus, sed puto esse ex charitate, iustitia legali, & pietate in Patriam, de quo alias.

6. Non erit autem satis per edictum, aut legem proponi à Principe necessitatem, vel vtilitatem communem adesse, & ob eas, moderatam contributionem à quolibet etiam Clerico dandam, quasi Iura Canonica non extendantur ad huiusmodi tributa, cum autoritate Supremi Principis imponuntur, vt non extendi sentit Lucas de Penna, cum Hostiensi, ac Rebuffo. *b* Quorum fundamentum est quia textus nominat Consules, Rectores Ciuitatum, & alios huiusmodi, non Imperatores, Reges, aut Principes supremos, qui speciali nota videntur insigniendi.

Verùm debile est fundamentum, primò quia in textu nominantur Consules, & Rectores, quia illi Ecclesiam tunc grauabant. Additur autem, nec non & alij, qui potestatem habere videntur, quæ locutio est vniuersalis, & quoscumq; cum potestate existentes comprahendit, secundò, quia Capite Clericis

a Greg. Lopez in l. 54. tit. 6. part. 1. glos. 2. Guttier. in pract. qq. l. 1. c. 3. n. 8. Guerrer. in thes. Christ. relig. c. 36. n. 32. Sua. contra Reg. Angl. l. 4. c. 26. n. 5.

b Luc. de Pen. in l. cum ad felicissimam C. quibus muner. Host. in C. Non minus de Immun. & in sum. Tit. de Immun. §. 4. Rebuf. in comment. ad const. Gal. t. 1. tr. de sent. pri. n. 3. glos. 9.

cis de immunit. Eccl. nominantur Reges, & Imperatores, & Clem. vnic. eod. generalia verba habentur contra quoscunq; Laicos, & cap. quamquam de Cens. nec aliqua singularis Persona cuiuscunq. dignitatis exiltat, & in Bulla Cænę, cuiusuis pręeminentię, & dignitatis etiam Imperialis, & Regalis, vnde specialiter nominantur Principes Supremi, & cum non nominantur, textus ita loquitur, vt ostendat se eos comprędere. Sed quæ hic innuimus melius examinemus.

CAPVT SEXTVM

An licitum sit ob Reip. necessitatem tributa Ecclesiasticis imponi à Laico Principe vt Iurisdictionem habente.

§. Primus An in bona Ecclesiastica habeat Princeps Laicus Iurisdictionem tempore necessitatis Reipublicæ.

1. *Princeps dupliciter consideratur.*
2. *Vt Iurisdictionem habens in Rep. Princeps, non potest Ecclesiasticis onera imponere. Necessitas Reip. non facit subditos alieni eos, qui non erant ante subditi ipsi, nec dat iurisdictionem.*
3. *Nulla est iurisdictio Principis Laici in bona Ecclesiasticorum. Nec eorum est iudex competens, esse extra territorium, & esse exemptum in territorio parificantur.*
4. *Ecclesiastici sunt pars Reip: sed exempta sub diuerso Superiore*

periore à Principe Laico, suis legibus, aut nonnisi approbatis à suo Superiore, viuens, & sublimior alia parte, quæ ab ea pendet vt lumē lunæ à lumine Solis. Dij sunt vocati Ecclesiastici; sunt veluti anima Reip. Principi Laico Laicorum Cura est commissa, nec leges condere potest pro Ecclesiasticis, qui sunt pars destincta à Laica parte, non ei subdita.

5. *Cùm bona Ecclesiastica sint sub Dominio Christi, nullus eo inferior, et qui non sit ab eo Administrator constitutus, de ijs potest disponere.*

6. *Clerici sunt de populo in fauorabilibus tantum, nec de territorio.*



Nullam esse legem positiuam, siue ciuilem, siue Canonicam, vi cuius obligentur Ecclesiastici tributa soluere, & onera nisi sub certo modo, & forma, dictum est capitibus superioribus. At cum necessitas non habeat legem, non videntur hucusque dicta tollere, quin eius tempore non possint Principes laici grauare bona Ecclesiastica, vt Reip. periclitanti subueniant.

1. Ipsum porro Principē dupliciter considerari posse asserunt aliqui primò vt eum qui potestatem, & Iurisdictionem habet in Rep. secundo vt eum qui Remp. tamquam oeconomus gubernat.

2. Et primò modo consideratus vt habens iurisdictionem facilè admittent Laicorum Aduocati nō posse onera, & tributa Ecclesiasticis imponere tempore necessitatis Reip. quia cum ij non sint eius Iurisdictioni subiecti, non potest eos suis legibus ligare, cùm necessitas non det aliquam Iurisdictionem in non subditos; Præterea tributum est signum subiectionis

Cap. 2. de cens. At Ecclesiastici, & eorum bona non sunt subiecta Principum Laicorum iurisdictioni, ergo nec tributis à Iurisdictione Laica impositis, grauari possunt. Cum autem exemptio à iurisdictione sit absoluta, necessitas non potest eam auferre. Ea enim necessitas non dat aliquam Iurisdictionem Principi Laico, in eos, in quos ante illam necessitatem non habebat; cum nullo iure, aut ratione probetur tanta vis necessitatis, vt faciat subditos eos, qui non erant; Alioqui cur non dat hoc tempore hanc iurisdictionem Regi Hispano v. g. in Pedemontanos, aut Venetos, vel alios populos, & dat eam tantùm in Ecclesiasticos?

3. Si dicas sartam, tectamq; remanere exemptionem in Personas Ecclesiasticas, non verò in bona eorum. Dicam ego, cur non idem asseris respectu populorum non subditorum, vt Bergomatum, Placentinorum &c. Personas scilicet non fieri subditas in necessitate Reip. Verbi gratia, Mediolanensis, fieri verò eorum bona?

Responsio in promptu est, Inquies, Bona eorum populorum non sunt in ditione Principis Mediolanensis; sunt verò bona Ecclesiasticorum, & præterea populi illi non sunt ciues, & pars Reip. Mediolanensis, sunt verò Ecclesiastici possidentes bona in ea ditione.

Sit ita. Sunt equidem bona Ecclesiastica in ditione eius Principis Laici, non tamen sub ditione eius, dem: cum de controuersijs circa ea occurrentibus non sit Princeps Laicus competens Iudex, atq; adeo ab eius iurisdictione sunt exempta. Purificantur autẽ hæc duo esse extra territorium, & esse exemptum in territorio. cap. cum Episcopus de offi. ord. vt notant Io. Andrea, Decius, Dominicus. 4. Esse

4. Esse Ecclesiasticos partem Reip. Concedendum est. At sunt pars à Principis laici iurisdictione exempta omninò. At sunt pars suam constituens partialem Remp. sub Superiore diuerso à Principe Laico; At sunt pars quæ suis regulis Ecclesiasticis regitur, & aliquibus etiam Laicis, sed si sint approbatæ à Summo Pontifice, At sunt pars quæ à Principe Laico iuridicè compelli non potest ad aliquid, & ideo est omninò exempta ab ipsius iudicijs, & foro. At sunt pars sublimior, à qua alia pars pendet, vt lumen Lunæ a lumine solis, vt habet canon Solitæ de maior. & obed. & ideo Constantinus Imperator, vt est in c. futurum 12. q. 1. dixit Ecclesiasticis in Concilio Collectis. Dij vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus iudicari, idest a Laicis, sed nos à vobis iustè iudicamur. Et D. Nazianzenus [a] comparans Ecclesiasticos cum Secularibus, dicit eos in Rep. esse Rationem, seu Animam, hos corpus, quia potestas Ecclesiastica est sublimior ac dirigit Laicã, quod verissimum est, quia Principes Laici, & Magistratus debent ita regere temporalia, vt religioni subseruiant. Sunt ergo hæ duæ partes Reip. quæ vnum corpus ciuile constituunt, & Ecclesiastica est veluti anima, atq; adeo dignior pars: Et quemadmodum Corpus non regit animam, ita nec partis Laicorum est regere suo imperio, aut suis legibus Ecclesiasticam. Quare potestas condendi leges pro tota Rep. non est concessa tantum Principi Laico, sicut ei totius Reip. cura, ac Regimen non est commissa, sed ipsi respectu Laicorum. Ecclesiastico autem Superiori respectu Ecclesiasticorum. Vnde cum Princeps Laicus vult consulere Reip. tùm quoad Personas Laicorum, tùm quoad Ecclesiasticas, debet respectu harum ad

[a] Naz. orad pop.

Eccleſiaſticum Superiorem confugere, ſicut Superior Eccleſiaſticus pro Laicorum, & Eccleſiaſticorum vtilitate ſtatuere aliquid volens, quod ad animas non pertineat, debet ad Laicum Principem, aut Magiſtratum pro Laicis reccurrere, teſte Duardo *a* vt vtraq; Reip. pars benè conueniat, ne duobus veluti corporibus ſeparatis, & in ſe pugnantibus conſtet. Vide Oldradū citatū cap. antecedenti §. 3. n. 3. qui conſ. 83. probat. in ciuitate Duos eſſe populos, duas vniuerſitates, duas Iurisdict. Duo militū genera; Clericos ſcilicet, & laicos.

a Duard. in can. 15. Bul. Cæn. q. 9. n. 124.

Adde quod Eccleſiaſtici ſunt pars quidem Reip. non tamen ſubdita alteri parti Laicæ, ſed omninò diſtincta, vnde honorum ipſius non eſt particeps, nec officia, dignitates, aut aliàs adminiſtrationes, & curas recipit, quæ Laicis dantur: ſicut nec Laici, quæ Eccleſiaſtica ſunt, conſequuntur, vt beneficia &c. Cur ergo ſi honorum laicorum nō ſunt participes Eccleſiaſtici, debent eſſe onerum, lege laicorū ita præcipiēte?

5. Sunt Eccleſiaſtica bona ſub Chriſti Domini noſtri dominio, & pauperum, ac miniſtrorum ipſius ſuſtentationi deſtinata, & diuini cultus conſeruationi, & augumento; Non ergo aliquis Chriſto Domino inferior, aut qui non ſit ab eo ſuorum bonorum adminiſtrator conſtitutus, poteſt de ijs quicquam diſponere, vel ea grauare, cum inferior, qui non eſt Adminiſtrator a Superiore conſtitutus, quicquam in Superioris bona, ipſius honori, ac Venerationi, & ipſius familiæ ſuſtentationi deſtinata, poſſit.

6. Atq; in hoc forte ſenſu dixit Caſtro *b* Clericos eſſe de populo tantùm in ijs quæ fauorem reſpiciunt eorum, in alijs verò non eſſe de populo, nec de territorio, ſic etiam Eccleſia exempta eſt intra Dioeceſim, at non de Dioeceſi, & eſt in territorio, at non de territorio, quod etiam docet Thuſcus. *c*

b Caſtro cōſ. 187. l. 1. n. 5.

c Thuſc. v. Eccleſia, concl. 5 n. 9 10.

§. 2.

§. 2. *Idem argumentum tractatur.*

1. Exemptio ab oneribus data Ecclesiasticis, est Donatio facta non subditis, & confirmata à Papa, in quam Principes, & Populi consenserunt, ideo auferri, aut diminui non potest à laicis.
2. Est concessa ex causa onerosa, etiam tempore necessitatis seruant pacta Ecclesiastici, sub quibus ea est concessa, ideò auferri non potest eo tempore à Principe Laico.
3. Non sunt Ecclesiastici subditi Principi Laico, ideo ab eo grauari non possunt oneribus; hæc enim sunt signa subiectionis.
4. Bona Ecclesiastica sunt Deo dicata, & ideo non sunt sub Laici Principis potestate.
5. Sunt exemptæ Personæ Ecclesiasticæ à iurisdictione Principis Laici, & ideo etiam bona ijs accessoria. Grauans bona, grauat etiam Personam; & cur.
6. Autores tùm affirmantes, tùm negantes adducuntur, & iura statuentia Personas Ecclesiasticas esse exemptas.
7. Contra ea sentire temerarium est.

1. Concludamus ex dictis, laicum Principem non posse vi iurisdictionis tributa, & onera Ecclesiasticis imponere, cùm in eos non habeat iurisdictionem. Confirmatur tùm quia Priuilegium à Papa Concessum, & confirmatum, reuocare, aut diminuere non potest, cùm ipso sit inferior, Vnum autem ex Priuilegijs est exemptio à Tributis, & oneribus per Laicos impositis; Tum quia idem Priuilegium, seu beneficium est etiam Concessum ab ipsis Principi-

 bus

bus Laicis, seu saltem in illud consenserunt, atq; adeo suo iuri, si quod forte habuisse asseramus circa hoc, renuntiauerunt. Cùm autem ea Concessio sit donatio quædam facta non subdito, & sit acceptata ab Ecclesia, quæ est Donataria, trāsijt in ius ipsius Ecclesiæ, a nec reuocari potest, cùm Donatarius non subditus Donantis non teneatur parere determinationi illius, qui non est suus Superior.

a. Diar. 1. p. tr. 4. res. 60.

2. Alias etiam rationes addere possumus. Prima sit: quia priuilegium Ecclesiasticæ exemptionis à tributis, vt etiam bona Ecclesiasticis donata, sunt concessa cum pacto, vel tacito, vel expresso, vt Ecclesiastici alantur; quò melius Spiritualia Populo subministrare possint, & Deo inseruire. Quare cùm ex causa onerosa sit concessa dicta immunitas, seu exemptio, non potest Princeps Laicus sua absoluta autoritate tali priuilegio derogare, aut illud minuere, nisi assentientibus Ecclesiasticis, etiam in necessitate, cum non minus in hac, quam extra eam, debeant Ecclesiastici ex parte sua adimplere obligationem in spiritualibus subministrandis, & Dei cultu promouendo. Si ergo pactum seruant Ecclesiastici, quid prætendunt Laici plura ipsos persoluere quàm pacti sint? aut quæ æquitas est eos pro eadem re grauata onere spirituali, alio grauare, nempe temporali? Supponamus possessionem esse re ictam alicui pro Missa quotidiana, pro qua fructus eius possessionis sufficiant, satisfacit ille suę obligationi, missas quotidie celebrando; Num eam possessionem grauare volunt Laici? non puto, quia satis est grauata missarum obligatione. At eadem est ratio, si non missarum, sed aliarum rerum præstandarum fit obligatio, sub qua aliquid Ecclesię donetur. Quid. n. refert quod obligatio

rio sit ad missas, aut ad alia præstanda? At bona omnia Ecclesiæ relicta habent obligationem annexam orandi, Dei cultui inseruiendi, spiritualia ministrandi Laicis. ergo non est æquum ea grauari talleis & collectis, cùm alijs obligationibus satis sint grauata, quibus Ecclesiastici non tenebuntur satisfacere, si sufficientes fructus non habeant ex possessionibus, cum illis oneribus sibi donatis, aut relictis, vt nec tenebuntur missas celebrare, si ex possessione ob eas celebrandas relicta non colligant fructus sufficientes pro earum stipendio, & par in vtroq; casu est ratio, cum vtrobiq; bona relinquantur pro alimentis Ministrorum, cum onere vel missarum, vel aliarum rerum Spiritualium.

3. Secunda ratio sit, quia soluere onera imposita est signũ subiectionis & impositio onerũ est signũ Superioritatis, & iurisdictionis, vt admittunt Doctores.a At Ecclesiastici non sunt subiecti Principi Laico, neq; hic habet in eos iurisdictionem, ergo non tenentur illi onera soluere, neq; hic potest ea illis imponere.

4. Tertia Quia bona Ecclesiastica sunt Deo dicata, vt paulò ante dictum est, cùm sint eius religionis, & cultus vsibus, eiusq; ministrorum, & pauperum alimentis destinata & ideo dicuntur esse sub dominio Dei immediato. Quare de ijs ipse tantùm, vel eorum administrator ab ipso constitutus disponere potest anam inter res sacras computantur, iuxta D. Thomam b & infra capite nono §.4. n. 2. fusius probabimus.

Laicæ ergo leges circa ea nullæ sunt vt pote latæ de re extra obiectum iurisdictionis temporalis, & de re sacra, nec existente in bonis Principis Laici, & ordinata ad finem supernaturalem.

a Alex. cons. 18. Paris. cõs. 25. o. 1. Salic. in l. Neminem C. de Sacros. Eccl.

a Suar. contra Reg. Ang. l. 4. c. 16. n. 11

b D. Th. 2. & q. 9. ar. 4. 2 q. 18. a. 7.

5. Quar-

5. Quarta sit quia Personæ Ecclesiasticæ sunt exemptæ à Iurisdictione Principis, & Magistratus Laici, ergo etiam eorum bona, nam bona sortiuntur qualitatem, & priuilegium Personæ cuius sunt, cùm accessorium sequatur naturam principalis. Reg. Accessorium, de Reg. Iur. in 6. & l. 1. C. de imp. lucrat. descript. Quare mutatione personæ mutatur priuilegium inhærens rei, ratione Personæ. l. Paulus per procuratorem ff. de acquir. hæred. & ibi Bart. & l. licitatio, eodem, §. fin. sicut ergo Persona Ecclesiastica grauari non potest, & compelli ad onera Personis imponi solita a Laico Principe, & Magistratu, ita nec eius bona, nam grauans bona, grauat Personam, compellit scilicet eam soluere, quæ non debet. Quod patet quia exactores non exigunt res productas ab agris, & vineis, alijsq; possessionibus Ecclesiasticorum, sed pecuniam. Non ergo Tributum exigitur à Re, sed à Persona, cum res non producat pecuniam, ex l. Rescripto. ff. de mun. & hon & Bart. ibi, & C. 1. de immun. Eccl. in 6. & Clem. vn. eod. Non ergo onus imponitur rei, sed personæ pro re; cùm autem Persona sit exempta, non potest ei imponi tale onus. In quo casu Laici non subditi ad talia onera non tenerentur.

Nec in antecedenti argumenti, nempe Personæ Ecclesiasticæ sunt exemptæ à Iurisdictione Principis, & Magistratus Laici, puto esse difficultatem, cùm id nolint ij qui bona non eximunt, nec licitum existimant contra Personas Ecclesiasticas sua auctoritate procedere, eisq; manus violentas inijcere.

6. Quòd si quis velit laicum Principem posse cogere Ecclesiasticos ad subueniendum Reip. extra extremam necessitatem, & pro sui Principis potestate in Eccle-

Ecclesiasticos, adducat Io: de Heuia, Bobadillam, Salgado, Mexiam, Lassarte, & quosdam alios apud Dianam. *a* Adduco ego cum eodem alios qui opposi- tum sentiunt Suarez, Duardum, Barbosam, Salas, Lessium, & praeterea Bellameram Cons.45. 46. Ca- strensem Cons. 423. vbi multos citat, Albericum, qui dicit esse communem opinionem apud Tuschum verb. Ecclesia concl. 13. n. 36.44. 63. & quod ma- gis vrget, ac rem decidit, Adduco sacros Canones, nẽ- pe Caput Qualiter, & quando de iudic. quod anti- quiora Iura correxit, videlicet Caput Filijs, vel Ne- potibus 16.q.6. & caput si quis cum Clerico 11.q. 1. vt etiam illa correxere tota distinctio nonagesima sexta, & causa 11. q. 1. & varia capitula de immuni- tate Eccl. & Concilium Tridentinum sess. 23. c. 20. de reform. quibus in locis Clerici eximuntur a Iuris- dictione secularium tam in ciuilibus, quam in crimi- nalibus, vt etiam in Authen. Vt Clerici collat. 6. Et certè cum Cap. Decernimus de iudic. Synodus, cui interfuit Eugenius Papa, ait Laicos non debere Ec- clesiastica neg otia tractare, id enim spectat ad Ec- clesiarum Praelatos, nec iudicare de ijs, per quae Di- uina ministrantur, non aliud voluit, quàm auctorita- tem auferre à Laico iudicandi de rebus, & personis Ecclesiasticis. Addamus Carolum Magnum Imp. qui in suo Capitulari lib. sexto cap: 109. asserit, fas non est, vt Diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. *a*

a Dian. 1. p. tr. 1. res. 7. 80. 41. 80.

Adest ergo certa exemptio Ecclesiasticarum per- sonarum à Iudice Laico, cui illae non possunt renun- tiare, vt patet ex cap. Inolita 11. q. 1. & cap. Placuit. ead. & cap. Si diligenti de foro compet. apud Less. de Iust. l. 2. c. 29. d. 6. n. 51. 52.

a Suar. con- tr. Reg. An- gl. l. 4. c. 8. & c. 9. 1. 10.

7. Cum

17. Cùm autem adducta Iura Iurisperitorum, & aliorum sint autoritate potiora, temerarium videtur contra ea sentire, vt Doctorum huiusmodi opinio sustineatur, qui forte antiquiora tantùm iura considerasse credendi sunt, ne contra tam manifestas sacrorum Canonum Decissiones sensisse dicamus. Receditur autem etiam à communi opinione, cùm adest expressa iuris decisio contraria, vt docent Doctores *a*.

Præterea cap. vn. de Cler. coniug. in 6. statuitur ne Clerici persona in rebus molestetur, Et cap. fin. de vita, & honest. Clerici, & cap. Quamquam de Cens. & l. Præsbiteros Cod. de Episc. & Cler. constituitur exemptio gabellarum Clericis omnibus: Quo ergo iure habent Principes Laici potestatem, seu, iurisdictionem ad compellendos Clericos ad contribuendum?

a Beroius cõs 32. vol. 1. Io. Andr. i. Abbas in C. 1. extra de Constit. circa fin.

§. *Tertius An Laicorum excusatio sustineri possit.*

1. Effugium Laicorum, quòd licitum sit compelli Ecclesiasticos à Laicis, quia non affertur vis personæ, nec ius in eam exercetur, sed factum.
2. Refellitur, quia non factum solummodo exercetur, sed ius, & pluribus probatur factum illud non esse licitum.
3. Primarij viri, ac Magistratus, non expendunt pro Repub. quæ ijs superfunt, quare immeritò petunt vt Ecclesiastici onera soluant.
4. Sacri Canones vetant vexari res Ecclesiasticorum à Laica potestate.
5. Inique molestia afficitur colonus Ecclesiasticorum pro ipsis; & ad restitutionem tenentur, qui mandant eum molestari, & qui molestant.

6. Lo-

6. Locis pijs onera non possunt imponi; & cur.

1. Dicet laicorum Aduocatus contra hos Canones Nos laici vim non facimus, quia non adhibemus vim personæ Ecclesiasticæ, sed subtrahimus ei reditus, fructus, mobilia, pecunias, colonorum obedientiam, colonosq; eius molestamus, & conductores, ac Debitores, vt ipse Ecclesiasticus conferat Reip. subsidia, quæ debet, quæ cùm facimus, non aliquod ius in eum exercemus, aut eius bona, sed factum licitum.

2. O præclaram excusationem! Vnde habent factum illud esse sibi licitum, nisi quia iure sibi deberi contributiones ab Ecclesiasticis pronunciant, & sententiam contra ipsos propria autoritate proferunt tamquam veros debitores suos? Quare iure putant se agere, & ea violentia, quæ rebus ipsorum adhibetur, est executio suæ ipsorum sententiæ, & ideo non factum tantummodo exercent, sed & ius in Ecclesiasticos, cùm pronuntient eos de iure esse obligatos soluere onera, cùm tamen eorum Iudices non sint laici; Et vi talis sententiæ pignora capiuntur & alia fiunt, quę post iuridicam sententiam fieri solent; Nec dici potest factum istud licitum, primò quia non iubetur à legitimo Iudice; Secundo quia vrgens necessitas non est tanta, vt concedat licitè prædicta fieri, cùm non sit extrema, possitq; commodè adiri Summus Pontifex: Tertio quia Ecclesiastici nullam committunt iniustitiam nolendo ad onera cum laicis concurrere, nec aliquid ab ipsis subtrahunt, propter quod possit fieri occulta compensatio, nedum publica & per vim, cùm non teneantur ex iustitia concurrere, & sua priuilegia tueantur, quod est maximè licitum, laici autem quod ex charitate debetur, ab Ecclesiasticis si for-

te debetur, vi rapiunt, cùm tamen non desint Superiores Ecclesiastici, qui ius dicturi sint, & iussuri solutionem eius, quod debetur, quæ si non fiat, daturi sint facultatem oppignorandi, sequestrandi, & capiendi. Quartò, quæ deberi presumunt, vi auferunt, etiam non deductis, quæ necessaria sunt ad decentem victum, & vestitum Ecclesiasticorum, nec etiam multis eorum, præsertim monialibus, & alijs Religiosis, relinquunt quæ opus sunt ad gradum imum decentis sustentationis (ad quem tamen laicorum nullus descendit ob charitatem erga Principem, & Remp. nec se, ad id obligatos iure, ac meritò credunt) quod probatione non eget, cum cogantur quotidie monasteria, vel æs alienum contrahere, vt necessaria ad victum, & vestitum comparentur, vel Religiosi, ac moniales alia agere, quæ Ecclesiasticum statum non decent. Nec Azor citatus infra c. 12. n. 4. fauet laicis, vt ibi notauimus, in casu in quo versamur.

3. Quod si tantopere laici erga Remp. charitate ardent, vt velint ab Ecclesiasticis onera solui, cur nolunt ipsi, Primarij præsertim viri, ac multi Magistratus, ea expendere pro Principe, ac Rep. quæ sibi superfunt, sed ea vel in vanos vsus expendunt, vel in lucrum vertunt, annuos reditus augendo? Quod à multis fieri quotidiana docet experientia. Quare quod ipsi ab alijs esse faciendum magno zelo prædicant, non faciunt, cumq; asserant Ecclesiasticos pro Principe, & Rep. debere sua proijcere, vt pro Philosophia fecit Crates Thebanus, & vsq; ad paupertatem extremam redigi, charitate exstimulante, ipsi se ab hac tanta charitate eximunt, suaq; augent pereunte Rep. Et ideo hæ mihi videntur esse eorum voces

Proij-

Proijciant sua Ecclesiastici pro Rep. vt nos colligamus; In paupertatem etiam extremam se ipsos adducant, vt nos ditescamus, Minuant ipsi reditus suos, vt nostras nos nō solum conseruemus, sed & augeamus. En quo tendit non Charitas hæc tantopere Laicorum labijs protrita.

4. Demum si contra sacros Canones non faciunt laici vexando res Ecclesiasticorum, modo eorum personis parcant, fateri cogentur non esse sacros Canones Caput. vn. de Cleric. coniug. in 6. & Cap. quamquam de cens. in 6. quorum primus à Bonifatio 8. alter à Gregorio X. editus est. Atq; in illo quidem vetat Pontifex, damnari à Iudice seculari, Clericum coniugatum, & multo magis non coniugatum personaliter, vel etiam pecunialiter, Ne per vnam viam concedatur, quod per alteram denegatur. Quibus verbis ostendit molestari personam, & condemnari, cùm pecunia, & bona auferuntur, & in ijs Clericus condemnatur. In altero vero Canone dicit Gregorius Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, & res earum, non solum iure humano sed & Diuino esse exemptas à secularium personarum exactionibus, & ideo vetat ne Collegium, aut Vniuersitas, aut quælibet singularis persona cuiuscumq; sit dignitatis, conditionis, aut status ab Ecclesijs, aut personis Ecclesiasticis pro personis, vel rebus earum exigat pedagia, & guidagia, vel extorqueat per se vel per alium, suo nomine, vel etiam alieno, nec ad huiusmodi persoluenda compellat. Nonne ergo fit contra sacros Canones, cùm vi extorquentur ab Ecclesiasticis, & eorum bonis solutiones onerum impositorum à laicis?

5. Sed omissis Sacris Canonibus Quænam iustitia est, pro Clerico, Colonum eius molestare innocentem?

Nonne iura clamant Alterum pro altero non esse grauandum? l. vn. cod. vt nulus ex vic. pro al vic. debitor grauetur l. non debebit alteri ff. de reg. iur. Nulla est ergo iustitia colonum laicum grauare nullius culpæ reum, pro Domino Ecclesiastico milites ad eum mittendo, ac satellites, & exactores, qui non solùm, quæ Clerici sunt auferant, & consumant, sed & ipsius coloni bona, vt fieri patet vsu, & experientia. Ad quorum damna resarcienda tenētur, qui mandant eos colonos molestari, & multò magis quàm ipsi molestantes. Preterea cùm quis non habet potestatem compellendi dominum fundi ad soluendam gabellam, seu tributum, aut alia onera, nec potest eius colonos compellere in odium Domini ex multis Doctoribus. a Si ergo Ecclesiasticum non possunt compellere tuta conscientia laici, vt soluat onera, & tributa nullo iure ad colonum molestandum se conferunt, vt hic soluat ea quæ ab Ecclesiastico Domino pretenduntur.

a Barbat. cōs. 29. vol. 4. Bar. in l. ti penes C. de agric. & cons. Roland. cōs. 79. vol. 4. n. 11. apud Surd. cōs 301. Parpa in l. Placer. C. de Suos Eccl. n. 69. & 73. Natta cons. 409. Rimin. sen. cōs. 740. n. 12.

Ex quibus satis habetur nō solū quo ad personas, sed etiā quo ad bona Ecclesiasticos esse exēptos à potestate & iurisdictione laica. Quod si dicant laici, Principem posse tributa Ecclesiasticis imponere, & ea exigere, non vi iurisdictionis, sed Oeconomicæ, ac politicæ potestatis, & iure defensionis ipsius Reip. An id dici possit examinabimus cap. sequenti.

6. Interim aduerte, nec locis pijs, posse à laicis imponi onera, quia esset id minuere alimenta pauperum, cùm tamen in leg. Priuilegia, Cod. de Sacr. Eccl. dicat Imperator se dare operam, vt alimenta pauperibus non desint. Eadem ratio militat in bonis Ecclesiæ. Vnde nec ei onera imponi possunt, cùm eius bona sint bona pauperum, & quod ab Ecclesia solui-

tur

tur Principi, pauperibus detrahitur. Ita sentiunt multi Doctores. *b*

b. Anchar. Rol. & alij apud Thusc. n. Collecte 447. n. 1 sil.

CAPVT VII.

An detur aliqua potestas œconomica, seu politica in Principe Laico, ratione cuius posit Ecclesiasticis tributa, & onera imponere, eaq; exigere?

§. Primus Princeps laicus, vt Pater familias non potest Ecclesiasticos grauare tributis, aut alijs oneribus.

1. *Quid sit œconomica, & politica potestas in Principe.*
2. *Subiectio œconomica, & politica quid sit.*
3. *Minus est esse Patrem familias in Rep. & eius œconomum quam Principem, & ideo si non possint onera imponi Ecclesiasticis à Principe vi iurisdictionis, nec possunt vi potestatis Patris familias, aut œconomicæ.*
4. *Munia Patris familias non exercet Princeps laicus cum Ecclesiasticis. Quæ nam ea sint.*
5. *Vt Princeps, & vt Pater familias si grauet Ecclesiasti-*

siasticos, iurisdictionem exercebit in eos, quod est contra sacros Canones.

Alterum membrum ex duobus superiori capite allatis aggredimur distinctionis, quo Princeps proponebatur, vt potestatem, & iurisdictionem habens in Rep. & vt illius gubernator, tamquam œconomus, atque sub hac consideratione asserunt Laici posse ab ipso grauari Ecclesiasticos, & eorum bona, quatenus hæc Ciuium sunt, non quatenus Ecclesiasticorum, in necessitate Reipub.

1 Dicant quæso laici quid sit ista œconomica, & politica potestas in Principe & consequenter quid sit œconomica, & politica subiectio in ipsis Ecclesiasticis. Ego quidem puto esse mera verba, sed rem diligentius inspiciamus, si quæ latet sub ijs verbis. Non video quid aliud esse possit, quam ea potestas, qua sicut in domo, & familia Pater familias, sic in Repub. sic Princeps, & ideo sicut ille imperare aliqua potest familiæ, & imperata exigere, & si sibi non obediatur, inobedientes corrigere, & moderatè punire; sic Princeps possit cuicumq; in sua Rep. seu ditione, tamquam in domo degenti, præscribere aliqua, quæ si non seruentur, emendare, & moderate corrigere trãsgressores.

2. Subiectio verò œconomica, & politica erit obligatio quædam Principi laico, tanquam Patri familias obediendi, eum honorandi, & obseruandi, vt est Caput Reip. ac debitum obsequium, ac subuentionem exhibendi, cùm est in graui necessitate cum sua Rep. Ita ne est? Sic puto, si aliud ijs verbis exprimere volunt laici, loquantur clarius.

3 In explicato sensu minus tribuunt laici suo Principi, quam vi Iurisdictionis concedatur. Quare si vi iuris-

iurisdictionis tributa, & onera Ecclesiasticis imponere, & ab ijs exigere non potest, nec poterit vi oeconomicæ potestatis: Nam vi huius, vel vt Patrem familias volumus esse in Rep vel vt oeconomum; Si primum, *Pater* familias non habet maiorem potestatem, immo multò minorem, quam habeat Princeps, vt Princeps, in Rep. Si ergo hic, vt talis, grauare, & compellere non potest Ecclesiasticos, nec poterit, vt Pater familias, alioqui maiorem potestatem haberet, vt Pater familias, quam vt Princeps, quod est absurdum, cum vt Princeps vitæ, necisq; suorum sit Dominus, non sit autem, vt Pater familias. Secundo Patris familias est suos domesticos alere de suo, nec auferre potest inuitis domesticis, quę ipsorum sunt, vt sibi, ac familiæ consulat, Si ergo Principem, vt *Pa*trem familias consideremus, de suo debebit alere domesticos, atq; adeo *Ecclesiasticos*, quos laici constituunt in rep. vt in eius familia, nec poterit ijs inuitis bona ipsorum propria auferre.

4. Si Respub. est veluti familia *Princeps* eius laicus, veluti publicus *Pater* familias, cùm in familia sint, ipse *Pater* familias, Vxor, Filij, Mercenarij, Mancipia aliquando, Affines, Cognati, Amici. *Peto* quem horum locum occupent Ecclesiastici in Rep. quemue illis concedant Laici? Num inter amicos, Cognatos, Affines? At horum bona auferre non potest Pater familias, vt sibi consulat, ac domus suæ necessitatibus nisi consentiant ipsi. Domini enim eorum sunt sine ulla à *Patre* familias dependentia. Num filiorum? num Vxoris locum tenebunt? Non arbitror, neq; enim Reip. curam gerunt, vt Vxor domus, & familiæ, nec hæredes futuri sunt Principatus, vt Filij *Parentum* suorum *Patrum* familias. Ad-

de

de quod Vxor non rarò bona habet paraphrenalia, Filij castrensia, vel quasi Castrensia, de quibus Pater familias disponere non potest, nec ea alienare, cum sua non sint; nec ab ijs inuitis auferre etiam pro sua, & familiæ necessitate non extrema. Inter Mancipia Ecclesiastici, nec laicorum calculo computantur, cùm non sint adeo illorum hostes, vt eos pro mancipijs habeant, nec id vnquam afferent cum summa Ecclesiastici status, & dignitatis contumelia. Num ergò mercenariorum numerum explebunt in Rep. Ecclesiastici? At neque hic locus eis conuenit, cum de publico non alantur, vt Reip. seruiant, nec stipendium aliquod ab ea pro suis operibus percipiant. Quod si vt Mercenarij essent, vt hi habent propria bona, quæ Pater familias ad familiam sustentandam ipsis inuitis vsurpare non potest; sic nec Princeps vt Pater familias, seu œconomus Ecclesię bonorum partem accipere ipsis Ecclesiasticis nolentibus potest, vt Reip. necessitati non extremæ consulat. Ergo si Princeps, vt Patrem familias se gerit in rep. non poterit de bonis domesticorum suorum, Ciuium videlicet, tuta conscientia, ipsis inuitis, aliquid auferre; ergo multo minus ab Ecclesiasticis, qui ciues sunt, non tamen propriè subditi ei Principi, etiam vt Patri familias, & quorum bona sunt quasi castrensia, atq; adeo extra dominium Patris familias; nam non est talis respectu Reip. eius videlicet quæ ex Viris Ecclesiasticis constat, cum hæc habeat pro suo capite, & Patre familias Episcopum, & Summum Pont...

5 Verum concedamus etiam respectu Ecclesiasticorum, Principem se habere, vt Patrem familias, quænam quæso munia erga eos exercet, quę sint Patris familias? Suos hic alere debet, non ab ijs ali,

nisi

nisi forte sit in necessitate, in qua obligatur, si habeat, quibus possint ei subuenire, ac familię: quia ille vicissim eis tenetur, tum extra necessitatem, tum in necessitate, si possit, prouidere. Nihil horum videmus fieri à Principe, vt Patre familias, neque enim extra necessitatem alit Ecclesiasticos, neque si alicui eorum desint ad decentem victum, & vestitum necessaria, ipse ea suppeditat. Non eos regit. Cùm proprio iure, ac legibus Ecclesiasticis gubernentur: Non eos instruit circa ea, quæ agenda sunt, cùm Ecclesiastici potius doceant ipsum, quæ recta sunt, vt agat, & quę iniqua, vt vitet: Demum si Principem tantummodo, vt Patrem familias inspiciamus, vix aliquid inueniemus, in quo hoc munus exerceat erga Remp. & Ecclesiasticos, nisi defensionem, quam paulò post ostendemus non esse sufficiens fundamentum grauandi Ecclesiam extra extremam necessitatem: & directionem in rebus politicis, quæ cum fiat per leges, & præcepta, his ligabuntur Ecclesiastici, si sacris canonibus non sint contrarię, & si à Sũmis Pontificibus censeantur approbatæ, vt capite primo diximus.

6. Si verò consideretur idem simul vt Princeps, & vt Paterfamilias, iam potestas iurisdictionis non separatur à potestate œconomica, atque ideo dum dicũt laici Principem potestate oeconomica posse grauare Ecclesiasticos, concedant necesse est huic potestati esse coniunctam potestatem iurisdictionis; atq; ideò Principem habere iurisdictionem in ipsos in necessitate, quod est contra Sacros Canones, Concilia, & Summos Pontifices.

§. *Secundus Princeps, vt œconomus Reip. non potest Ecclesiasticos grauare.*

1. Vt oeconomus reip. Princeps non potest grauare Ecclesiasticos, nisi hi consentiant.
2. Quid sit oeconomica potestas. Vi eius, cùm grauamina sunt imponenda omnibus, sunt vocandi Ecclesiastici, non autem, vt mancipia tractandi.
3. Est quid fictum œconomica potestas in Principe.
4. Laicorum explicatio circa Principem, vt Patremfamilias, quæ similitudine naucleri declaratur.
5. Refellitur varijs rationibus, Primo quia in rep. non est Ecclesiasticus mercenarius, vt est in domo aliquando.
6. Secundo quia in domo res agitur inter priuatos, non ita in rep.
7. Tertiò Ecclesiastici non sunt in rep. vt in aliena domo, sed vt in propria.
8. Quartò Pater familias in aliquibus conuenit cum Principe circa domesticos, non in alijs.
9. Similitudo naucleri cum Principe respectu Ecclesiasticorum refellitur.
10. Quænam politica subiectio Ecclesiasticorum ad Principem Laicum concedi possit.

1. Si verò volumus Principem, non vt Patremfamilias, sed vt oeconomum Reip. considerare, seorsim eadem militant argumenta, ferè omnia, quæ paulò ante attulimus contra eum vt Patremfamilias: præsertim verò quòd minor sit eius potestas, quam reip. à qua œconomus est constitutus, nullus enim Oeconomus plus potestatis habet, quam Dominus, à quo factus est oeconomus: Sed resp. grauare non potest Eccle-

clesiasticos, eis tributa imperãdo, & imperata exigendo, nisi ipsi consentiant, & approbent iuxta Sacrorum Canonũ decreta; Ergo nec Princeps, vt Oeconomus reip. seu Potestate œconomica id facere potest. Antecedẽs patet ex supra adductis capite quinto, vbi partem Reipub. laicam, non posse partem Ecclesiasticam grauare extra necessitatem extremam, ostendimus. Et præterea si Ordinariò non grauantur laici, nisi ipsi consentiant, nam Princeps plerumq; in ditione præsertim Mediolanensi, onera non imponit, nisi à Decurionibus totam Ciuitatem repręsentantibus, à Senatu, & Magistratu, prius approbentur. Cur Ecclesiastici etiam eadem approbare nõ debent, vt ad ea obligentur? & cur deterioris esse conditionis debent quàm laici? Essent autem si inuiti, & recusantes grauarentur, laici verò tantummodo volentes, & non contradicentes.

2. Demum œconomica potestas, est potestas dispensandi, & gubernandi res Domini ad totius familiæ bonum. Non inuenio autem œconomum tantæ esse autoritatis, vt auferre possit à Domesticis inuitis quæ ipsorum sunt, sed cùm familiæ aliquid deest, cui prospicere ipse non possit, Dominum certiorem reddere debet, & quid agendum sit, ab eo expectare. Si igitur Resp. tamquam familia est in necessitate, eam, vt Dominam consulat, cùmq; ea ex laicis, & Ecclesiasticis constet, omnes conuocet, nec Despotica potestate vtatur in Ecclesiasticos, eos vt mancipia grauando, etiam nolentes, & contradicentes, cùm in laicos politicam tantùm autoritatem exerceat.

3. Ex dictis ergo certũ mihi videtur oeconomicam potestatem esse fictam à DD. quibusdam Iuris peritis, tamquam diuersam ab ea iurisdictionis, vt verbis sal-

tem, poſtquam firmo fundamento non poſſunt, tueantur poteſtatem Principis laici extendi ad grauamen, & coactionem Eccleſiaſticorum autoritatiuè. Et eſſe mera verba, videri etiam poteſt, quia vocant eam poteſtatẽ œconomicam, & politicam, cùm tamen apud Philoſophos, & Theologos ſint poteſtates diuerſæ, quarum vna ad vnius familię, altera ad totius Reip. ac Ciuitatis bonum refertur.

4. Id ſaltem, inquiunt laici poterit Princeps, vt œconomus Reipub. & quaſi publicus in ea Pater familias, quod poſſunt alij priuati Patres familias in ſua domo cum Eccleſiaſticis. Habeat aliquis horum Domi ſuæ Sacerdotem, qui Capellani, aut Præceptoris, vel Adminiſtratoris munere fungatur, hũc cùm libuerit, domo poterit expellere ſine vlla iniuria, aut ei aliqua præſcribere, quæ ſi non ſeruet, imminuere ſtipendium poterit. Aequum enim eſt, vt qui in vna familia vitam degit, eius legibus viuat, Patriq; familias ſubſit: ſicut etiam ſi Eccleſiaſticus nau vehatur, debet, vt reliqui in ea vecti, legibus, quę ab alijs ſeruantur in ea, obedire, Naulum v.g. Nauclero ſoluere, ſi naufragij periculum immineat, ſua habere expoſita, & vt in mare proijciantur, ſi opus ſit, permittere; imo ipſe proijcere, ſique aliorum opes proijciantur, & ipſius ſeruentur, illis amiſſa compenſare. Nemo iſthæc ab Eccleſiaſtico licitè exigi negabit. Sicut ergo Eccleſiaſticus, Nauis, & priuatæ domus legibus conſtringitur ſine immunitatis Eccl. ſiaſticæ violatione, cur non ex Reip. ſtatutis tenebitur? Quod ſi Paterfamilias, & Nauclerus præſcribere aliqua poſſunt Eccleſiaſticis in domo, & Naui commorantibus ſine priuilegiorum Eccleſiaſticorum imminutione, ac ſine alicuius iuriſdictionis in eos vſu, & exercitio, cur non

idem poterit Princeps cum Ecclesiasticis naui Reip. vectis,& in sua Rep. vt in domo sua commorantibus? Hoc autem est potestate œconomica, & ciuili in Ecclesiasticos aliquid facere;quia sicut cùm aliquid cōtra eos agitur in domo, aut naui, non vt Ecclesiastici respiciuntur,sed vt domestici,ac Vectores,seu vt pars familiæ, & Nauis, nec Naucierus, seu Generalis Nauium Gubernator, aut Pater familias respiciuntur vt Superiores Ecclesiasticorū, sed vt directores domus, & Nauis,sic Ecclesiastici cùm grauantur ob necessitatem Reip. non vt Ecclesiastici grauantur, sed vt Ciues, & vt Reipub. pars, nec à Principe, vt Princeps est, sed ab eo, vt œconomus est, & Defensor Reip.& Director. Tota ergo vis potestatis œconomicæ, & Ciuilis hic sistit.

5. Verum quanta est diuersitas existētis in domo, ac naui, & existentis in rep. Ecclesiastici? Primo in domo Ecclesiasticus est mercenarius Patrisfamilias, & eius sumptibus alitur. In rep. Ecclesiastici nec Mercenarij Principis, aut reip. sunt,nec alterutrius sumptibus aluntur.

6. Secundò in domo res agitur inter priuatos, atque adeo ad aliqua se obligare potest Ecclesiasticus, quia non agitur de Ecclesiastico statu, de quo si ageretur, obligare se non posset, atque sicut promittens aliquid priuatim alicui Ecclesiasticus, illud seruare tenetur,sic promittēs domesticæ disciplinæ leges seruare ad eas tenetur,quas si non seruet, potest Pater familias eum suo iure à se, suaque domo dimittere, sic enim conuenerunt inter se,vt si manere in domo velit, Pater familias pactam mercedem soluat, ille muneri sibi imposito satisfaciat,ita tamen vt ille quādocumq; voluerit,possit dimittere,& hic recedere cū placuerit.

In rep.

In rep. non se obligarunt Ecclesiastici onera soluere, nec pacta cum Principe, etiam vt Reip. œconomo, seu vt publico Patre familias inierunt, vt ille de suo alimenta præstet, hic quę iussa sunt exequatur: nec aliud aliquod, quo Princeps, cum sibi non fuerit satisfactum, ius habeat, eos à sua Rep. expellendi, excepta necessariæ defensionis causa in extrema Reip. necessitate.

7. Tertiò Ecclesiastici sunt in Rep. non vt in aliena, sed vt in propria domo, ac Ciuitate, & ideo suo iure in ea manēt, nec inuiti possūt expelli, aut suis bonis priuari, nisi in alicuius delicti pęnā; quā inferre eorum tātùm superior potest extra extremam Reip. necessitatem, cùm ille commodè adiri non potest, & est periculum in mora. Hæc allati exempli diuersitatem ostendunt. Sunt etiam aliqua, quę aliquam esse cōuenientiam non abnuunt. Nam

8. Primo Paterfamilias in domo, sua subtrahere potest beneficia ab Ecclesiastico, quæ huius sunt, auferre non potest, eo inuito. In rep. Princeps potest, quæ ipse suppeditat alicui priuato Ecclesiastico, tamquam mercedem laboris, si hic promissam operam, non præstet, auferre, & aliqua non concedere, quæ à sua pendent omnino voluntate. At nō potest ea subtrahere, quę ipsius Ecclesiastici sunt, & multò minus bona omnibus Ecclesiasticis communia, quæq; ipse non dedit. Secundò. In domo non potest Paterfamilias, quæ à Principe sunt concessa suis familiaribus imminuere, nec in Rep Princeps, quæ à Deo, & Papa, ipsa etiam Rep approbante Ecclesiasticis sunt cōcessa, potest detrahere. Tertiò. In domo quamdiù Ecclesiasticus muneri suo satisfacit, pactaq; cum Patre familias inita seruat, supra ea pacta grauari non potest,

test, nec aliquid oneris ei adiungi. In Repub. rinceps, vt œconomus, dum Ecclesiastici seruãt, ea, ad quæ sunt veluti conducti, orant videlicet pro rep. sacrificant, spiritualia subministrant, grauare eos amplius non potest, maiusq; aliquod onus imponere, cuiusmodi esset cogere ad subueniendum necessitatibus non extremis Reipublicæ.

9. Quæ de Nauclero, seu Generali nauium ductore dicta sunt, eodem fere modo refelluntur. Nam vel Ecclesiasticus se priuatim obligauit ad ea facienda, quæ alij faciunt in Naui, ne Nauis in aliquod periculum deueniat. Vel ob eamdem causam ad id tenetur ex iure naturæ, & Charitatis. Hoc secundum in periculo naufragij est certissimum, ideoq; non minus res Ecclesiasticorum, quam laicorum proijci possunt in fluctus etiam ipsis inuitis vt tota nauis seruetur est enim extrema necessitas; in nostro casu idem admitto in extrema necessitate Reip. posse fieri, at in ea his temporibus Deo fauente non est Resp. Extra eam necessitatem non possunt ab Ecclesiastico inuito rapi à Ductore nauis bona vt proijciantur, & si id fiat, grauis iniustitia committetur. Si primum; puniri non potest à Nauarcho, cùm pacta non seruat, nec quæ illius sunt vi auferri; si præsertim adsit Ecclesiasticus superior, qui commodè adiri possit, vt in nostro casu adest.

Secundò Pactum cum Nauarcho est priuati cum priuato, & ideo seruãdum est, at cum Principe, & œconomo reip. nullum est pactum, & ideo potest cum eo Ecclesiasticus conuenire, vt si non seruet, quæ in naui alijs præscribuntur, pro nauis incolumitate, possit è naui deponi, & etiam pacto non inito, poterit id præstare Nauclerus, cùm enim sit Dominus nauis, in ipsius potestate est admittere, & retinere in ea quos voluerit,

fuerit, qui nullum habent ius, vt in eam admittantur, vel admissi retineantur. At Princeps in rep. etiam vt œconomus hæc non potest cum Ecclesiasticis facere, quia hi superiorem suum à Principe laico distinctum habent, ad quem spectat de Ecclesiasticorum rebus disponere. Præterea Ecclesiastici ius habent commorandi in Rep. quo priuari non possunt, nisi ob delictũ; At huius cognitio, & punitio ad Ecclesiasticum Superiorem spectat, seu œconomum. Nec Princeps Laicus niti potest tacita voluntate Summi Pontificis, cùm hic singulis annis expressè declaret oppositum in Bulla Cœnæ.

In naui demum omnia ad vnius Nauarchi nutum diriguntur, nec supernaturalis aliquis finis, & ordo inuenitur, ad quem ferri debeat nauis, id solum curat Nauarchus, vt ad portum incolumis feratur, hucque suas collimat cogitationes, quare mirum non est, si Ecclesiastici ab exterorum vectorum fortuna non separentur aliquando. At in rep. præter ciuilem, & politicam gubernationem, altior finis, ac sublimior reperitur, supernaturalis videlicet, & in ea Dei Cultus, ac Religionis prima, & præcipua cura debet esse pro communi bono, etiam ciuili, ac politico, quod supernaturali cedere semper debet; & huius ratione Princeps Laicus non omnia ad suum nutum dirigit, sed cum dependentia in non paucis rebus à superioribus Ecclesiasticis, & ideo Ecclesiasticos tractare non potest, vt subiectos suæ Potestati, siuè politicę, siuè œconomicæ, siue Iurisdictionis, cùm ad eum non spectet eos gubernare in politicis, eorumq; bona administrare, quę ad Dei cultum sunt destinata, & ideo extra extremam necessitatem ad alios vsus non sunt conuertenda sine Ecclesiastici Superioris consensu, & aprobatio.

batione. Et Princeps laicus ita gubernare remp. debet ad tranquillitatem temporalem, vt ea gubernatio non impediat media ad finem supernaturalem, sed potius vt subseruiat, ac iuuet, vt ait Less. de iust. l.2.c.18. d.14.num.102.

10. Concedo ergo Principem, vt Patremfamilias esse eum, qui debet dirigere Remp. & Ciues, praescribere, quae ad reip. conseruationem faciunt, & moderatè punire, si ea non seruent, ita vt oeconomica, seu politica subiectio sit, Ciues in Repub. velut in familia ei obedire, eum reuereri, & obseruare, vt Caput illius, & ei opitulari cùm est in necessitate graui. Quae si rectè intelligantur, ad Ecclesiasticos etiam spectabunt. Nempè dicimus ad ea Ecclesiasticos teneri erga Principem laicum; cùm licitè possunt. Nonne multum concedo, cum id concedo? Vt scilicet, Principi laico teneantur obedire, & ei tributum soluere, cùm licitè possunt. Nec puto laicos ita esse Ecclesiasticis infensos imò ita propriae conscientiae hostes, vt ab ijs velint, quae licitè praestare non possunt. Et si id velint, constanter assero Ecclesiasticos nulla teneri obligatione parendi, reuerendi, obsequendi, honorandi, subueniendi. Nemo Vir bonus id negabit, quamuis principum laicorũ potestatis maximus sit fautor; nõ enim aliqua est obligatio praestandi quod peccatum est. Quarè Patri familias nemo tenetur obedire, si illicita iubeat, imò nec Principi alicui, etiam Summo Põtifici. Sed ad rem nostram veniamus. Si velit aliquid Princeps, quod sit contra Sacrorum Canonum dispositiones, illud profectò illicitè petitur, & conceditur; At Princeps; & Magistratus petunt ab Ecclesiasticis subsidium, seu potius ipsis nolentibus auferunt, contra sacrorum Canonum praescripta, Ergo illicitè pe-

tunt,& si eis obediatur, illicitè obeditur. Quod verò fiat contra sacros Canones apertè constat, nam si iubent necessitatem communem examinari ab Episcopo,& Clero, quam existere si iudicent, ab ijsdem decernendum esse subsidium si laicorum facultates non sufficiant ad ei necessitati occurrendum, ac demum antequam subuentio præstetur consulendū esse Rom. Pontificem. Nihil horum volunt seruari laici,sed sibi asserentibus in propria causa credi necessitatē adesse talem, cui auferendæ non sufficiant ipsorum facultates,nec opus esse Rom.Pontificem consuli,cùm tamen in eo consulendo nullum sit in mora periculum; non ergo possunt Ecclesiastici huic laicorum prætensioni, & cupiditati salua conscientia satisfacere, nam si ijs obsecundent,Summorum Pontificum,& sacrorū Conciliorum statuta violabunt. Adde quod licitè consentire non possunt contra totius Ecclesiastici status priuilegia,quorum vnum est Immunitatis priuilegiū, sicut non possunt in sui iniustam percussionem consentire sine peccato, & sine percutientis, & fortè etiam sui excommunicatione, non alia de causa, nisi quia facerent contra priuilegium totius status Ecclesiastici.

Sit ergo Princeps laicus reip. oeconomus habeat oeconomicam potestatem,si aliud ista secum non affert,nisi vt Ecclesiastici debeant eum reuereri, & obseruare, cùm eius dignitas id exigat, & etiam ei obedire,eique subuenire, sed modo ab Ecclesia præscripto,cui magis,quàm cuicumq; alteri Principi obediēdum est,cuiusq; leges non sunt violandæ,vt eius Principis,ac Magistratus voluntati satisfiat. Iis seruatis obedire debent; ac subuenire Principi laico, alioqui nec tenentur, nec licitè possunt; Nec Princeps licitè iube-

iubere etiam, vt Pater familias, & vt oeconomus Reipub.

Aliam idoneam explicationem potestatis oeconomicæ, & Politicæ non inuenio, nisi alia distinctio afferatur, nempe eam potestatem, esse potestatem grauandi quemcumque etiam Ecclesiasticum non vt subditum, sed vt Ciuem, & Reipub. partem pro defensione reip in necessitate. Verum hoc etiam merum est inuentum, quod vt ostendamus, sit.

CAPVT VIII.

An in aliqua necessitate possit Princeps laicus grauare Ecclesiasticos, & ab eis onera exigere vt Ciues sunt, & vt ipse defensor est reip.

§. Primus triplex est necessitas. An in qualibet teneantur Ecclesiastici subuenire Reip.

1 *Triplex necessitas & quæ sit qualibet.*

2 *In necessitate communi non possunt Ecclesiastici grauari à Principe laico, nec ei tenentur subuenire.*

3 *In necessitate extrema, cùm est certa, Ecclesiastici subuenire Reip. non recusant, & si renuant, Princeps potest auferre.*

4 *In dubio, an sit extrema, nec ne, res est examinanda ab Episcopo, & Clero, interim suo priuilegio gaudere debent Ecclesiastici.*

5 *Si in necessitatem extremam incideret resp. laici primò nobiles, diuites, Magistratus subuenire deberent, tum Ecclesiastici.*
6 *Si necessitas sit diutius duratura, & Summus Pontifex commode adiri possit, consulendus erit.*
7 *Cùm Resp. sibi potest subuenire, & non vult, ad nihil tenentur Ecclesiastici.*

1. Supponendum est triplicem necessitatem communiter agnoscere Doctores. Prima dicitur communis. Secunda grauis. Tertia grauissima, & extrema. Communis, est necessitas frequẽs, & ordinaria, & quæ rarò abest ab ipsa Rep. cuiusmodi est æs alienum ęgre soluere posse. Non habere omnia, quæ opus sunt ad vitam, & res suas tuendas, cùm tamen haberi non valde difficile possint, vel petendo, vel rogando, vel vendendo aliqua sua bona, vel alia via non indecenti suo statui, & conditioni. Grauis necessitas est, cum graue toleratur incõmodum, aut multa desunt ad vitam tum suam, tum suorum, & fortunas conseruandas, nec facile haberi possunt; Aut etiam cùm proximum est periculum magnarum calamitatum, vt Pestis, Famis, Belli, Amissionis bonorum, status mutationis, &c.

Extrema necessitas est cùm vita sustentari non potest, aut Resp. conseruari, nisi ei subueniatur ab alijs, & huc spectat ea necessitas, quæ est ita vrgens, vt periculum sit in mora.

2. In necessitate communi certum est Principem non posse ab Ecclesiasticis quicquam auferre, aut eos grauare, cùm talis necessitas non det facultatem accipiendi aliena; nec grauandi tributis Ecclesiasticos, alioqui ridiculum esset priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ, & nullum, cùm ferè semper adsit talis ne-

cessi-

cessitas in rep. cui tamen facile subueniri potest sine onere bonorum exemptorum. Neque huic necessitati tenentur Ecclesiastici subuenire, sicut non est obligatio subueniendi communi necessitati alicuius particularis, neque sic egens habet ius auferendi aliena. De quo non puto nunc esse cõtrouersiam cum laicis, quos nunquam audiui voluisse ab Ecclesiasticis solui tributa, & onera in communibus necessitatibus, cùm nolint eorum priuilegia auferre.

Difficultas ergo solùm, est de alijs duabus necessitatibus.

3. In necessitate ergo extrema reip. seu in qua periculum est in mora. Non negant Ecclesiastici, se teneri ad ei subueniendum, si vires adsint, tùm fortunæ bonis, tùm vita ipsa, etiam non seruatis ijs, quæ a Sacris Canonibus præscribuntur de consulendo Romano Pontifice, & Examine necessitatis, ac facultatum laicorum, cùm extrema necessitas non habeat legem arg. capit. Peruenit, de immun. Eccles. sed ipsa faciat legem, vt pluribus probat Decius in legem quæ propter ff. de reg. iur. & pateat manifestè laicos non posse suis facultatibus ei subuenire, si enim possent iam Resp. non esset in extrema necessitate.

4. Si tamen dubium probabile esset, an esset extrema nec ne, tunc ab Episcopo, & Clero examinanda esset cùm non sit apertè extrema, & Ecclesiastici sint in possessione priuilegij non concurrendi ad onera, nisi adsit certò ea necessitas, à qua possessione nõ sunt deturbandi sine proprio consensu, non autem resp. est in possessione grauandi Ecclesiasticos, cùm tale dubium adest, semper autem, in dubio melior est conditio possidentis. Non negant ergo Ecclesiastici in tali necessitate suam obligationem subueniendi reip. & si

nega-

negarent, nollentq; ideò subuenire; concederem facile, posse tunc Principem laicum non vi Iurisdictionis in ipsos, sed vt reip. defensor ad iustam illius defensionem extremè laborantis, auferre de facto ab ipsis Ecclesiasticis nulla vi personæ adhibita, ea bona, quę opus sunt ad Reip. sustentationem, non enim hæc est vis, aut furtum, sed iusta defensio, & in tali necessitate extrema omnia sunt communia.

5. Hæc tamen necessitas rarissimè accidit, nec in eam Deo fauente huc vsq; Italiæ aliquam Regionem incidisse audiui, & si in eam, quod Deus auertat, incideremus, tùm à laicis nobilibus, & Magistratibus, præsertim ditioribus, & alijs, qui fortunę bonis superfluis abundant, tùm ab Ecclesiasticis cõuenienti modo petẽdum esset subsidium, & si illud negarent, laici primùm, vt pote subditi cogendi essent, vt subministrarent, aut ab ijs essent auferenda, quæ opus essent ad Reip. incolumitatem, tum ab Ecclesiasticis accipienda essent etiam vi, si aliter haberi subsidia non possent, non tamen iurisdictionem aliquam exercendo, cùm eam necessitas non det in non subditos. Et in hoc casu etiam ab externis populis etiam inuitis, & alienæ iurisdictioni subiectis auferri licitè possent subsidia, quia in tali necessitate omnia sunt communia, & ea non habet legem.

6. Si tamen ea necessitas longiore tẽpore sit duratura, & ideo possit commodè consuli Rom. Pontifex, consulendus erit, quia id non impedit subuentionem reip. & lex Ecclesiastica de eo consulendo, commodè seruari potest sine periculo, vt obseruat Suarez contra Reg. Angl. l. 4. c. 26. num. vlt.

7. Quod si alia via, quam auferendo ab Ecclesiasticis, posset sibi consulere resp. & nollet, vendendo

v.g. quæ sua sunt, sumptus minuendo, ab alijs petendo, aut etiam auferendo, si petitio non esset profutura &c. Nulla erit obligatio Ecclesiasticorum, quia resp. non vult suæ necessitati extremæ consulere, cùm facile posit, & ideo non censetur in extrema necessitate esse, cùm posit sine Ecclesiasticis eam à se auferre. Quando autem censeatur posse sibi consulere, & nolle, paulò post fusius dicemus.

§. *Secundus In graui necessitate quomodo teneantur Ecclesiastici subuenire Reip.*

1 In graui necessitate Reip. tenentur Ecclesiastici subuenire, non ex iustitia, sed ex charitate, cùm alia via non potest sibi respub. subuenire.
2 Dicta obligatione tenentur etiam laici, ij præsertim, qui reip. bonis, & honoribus fruuntur.
3 Quandonam censenda sit resp. & Princeps posse sibi subuenire, & nolle.
4 Laicorum facultates quandonam censendæ sint non esse sufficientes ad subueniendum reip.
5 In Ecclesiasticis idem, quod in laicis seruandum est, vt suo statui conuenientia non dent reip.
6 Quandonam Secundò censeatur resp. & Princeps sibi posse subuenire, & nolle.
7 Quandonam Tertiò id accidat.
8 Quandonam Quartò idem accidat.
9 Quandonam Quintò idem censendum sit.

1 In graui necessitate concedo ergo Ecclesiasticos esse obligatos subuenire reip. cùm possunt, non quidem ex iustitia, sed ex charitate, *a* quod intellige iuxta paulò ante dicta, cùm resp. alia via non potest sibi consulere, cùm verò alia via potest, & non vult,

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 26. Sanch. in opusc. l. 2. c. 4. d. 55. Castro Pal. tr. 6. d. 2. p. 5. 6. Becan. tr. de char. c. 19.

non

non puto, Ecclesiasticos teneri ad eã subleuandam; nam in tali casu, non censetur esse in necessitate, cùm ab ea possit se expedire, & nolit. Cùm non potest alia via sibi subuenire, dico Ecclesiasticos teneri, quia lex charitatis obligat, vt subueniamus, si possumus, graui necessitati proximi, & multò magis reip. Nisi fortè hæc obligatio oritur ex vi iuris naturalis, & Diuini subueniendi proximo in tali necessitate, vel extrema constituto; Verùm parum refert qua obligatione teneantur; Ex iustitia commutatiua, non tenentur, nullus enim contractus, aut promissio intercessit inter remp. & Ecclesiasticos ad id faciendum, nec aliquid reip. sibi vsurpant, quod sit ad æqualitatem resarciendum, quare si dictæ obligationi non satisfaciant, non tenebuntur resarcire damna inde secuta, nam curare bonum commune, nõ ad commutatiuam, sed ad legalem iustitiam spectat, quæ non obligat ad restitutionem, nisi aliquando inuoluat etiam commutatiuã, vt si Princeps ipse non defendat remp. cùm periclitatur, quia ei resp. persoluit tributa, & alia, vt sui curam habeat, & veluti eum conduxit stipendio ad sui defensionem. Ecclesiastici sunt pars reip. pars autem sui totius bonum procurat ex iustitia legali, non commutatiua; siuè deinde ea iustitia legalis sit, distincta à Pietate, siue non, de quo non est locus disputandi videatur D. Thomas cum Lessio. a

a D.T. 2. 2. q. 58. a 5. 67. Leis. de iust. l. 2. c. 1. d. 3.

Inde etiam patet non esse strictam obligationem Ecclesiasticorum subueniendi reip. quia non est obligatio dandi, seu suppeditãdi iuxta aliquod ius strictum, quod habet resp. in bona Ecclesiastica, sed iuxta facultates cuiusq; seruatis sibi quæ ad decentem sustentationem, & alias obligationes implendas sũt necessaria; atque adeo respicitur cõditio facultatum per-

personarum damnum, & reip. egentis, non autem aliquod æquale, in quo resp. passa sit damnum.

2. Aduerte tamen hanc obligationem non esse tantummodo Ecclesiasticorum, sed etiam laicorum, qui possunt reip. necessitati subuenire, vt sunt Primarij Viri, Gubernatores, Senatores, Magistratus, & alij, neque enim charitatis lex, & Pietas erga remp. est imposita Ecclesiasticis tantùm, sed omnibus Ciuibus, ijs præsertim, qui eius bonis fruuntur, ab eaq; præ cæteris honorantur, & sustentantur, imo hos magis esse obligatos ei subuenire in graui necessitate, ea ratio suadet, quia magis sunt obligati reip. cùm ab ea maiora beneficia accipiant, quàm alij, & sunt præcipua membra ipsius, atque adeo ad ipsos maximè spectat eam tueri, & conseruare pro viribus. Cùm ergo non magis, imò minus sint obligati Ecclesiastici subuenire reip. in necessitate graui, quàm Magistratus, & alij Primarij Viri, nescio qua de causa potius in Ecclesiasticos rumores, & querelæ excitentur, quàm in alios, qui subuenire possunt, & nolunt, vel modicè subueniunt, si habeatur ratio emolumentorum, quæ à rep. vel Principe percipiunt, vel facultatũ, quas possident, nisi quia vellent sæculares bona reip. honores, dignitatesq; habere, onera autem in Ecclesiasticos refundere contra omnem æquitatem, quæ docet par esse, vt qui sentit commodum, sentiat & incommodum, & qui fruitur honoribus, subiaceat oneribus: & iniquum valde est vnum oneribus premi, sine vlla honorum spe, alium honoribus augeri sine oneris proportionati incommodo, & cum propriarum facultatum incremento, aut saltem conseruatione, alijs illas notabiliter minuentibus.

3. Quoniam verò supra diximus non teneri Eccle-

siasticos subuenire reip. si alia via hæc sibi consulere potest, & nolit. Explicemus quandonam censeatur suæ necessitati posse subuenire, & nolle. Tunc censendum est id accidere, primò si possit à suis subditis vires ad id habentibus accipere, & non accipiat, & Ecclesiasticos malit grauare. Quàm regulam tradidit Summus Pontifex, œcumenica concilia, & Sacri Canones cap. Non minus, & cap. Aduersus de immun. statuentes tunc debere Ecclesiasticos contribuere cum viderint necessitatem esse talem, vt ei auferendæ non sufficiant laicorum facultates. Cùm ergo Sancta Ecclesia ita deciderit, nō debet quisquam Catholicus ità esse temerarius, vt oppositum docere velit.

4. Difficultas tamen est quando nam cēsendæ sint laicorum facultates non esse sufficientes. Respondeo duplicem videri Doctorum explicationem, quā tamen eandem omnium existimo. Iuxta Suar. *a* vna est nempe cùm communes Reip. facultates deficiunt, licet priuatæ abūdent. Altera iuxta alios apud Dianam, *b* cum laici, si contribuant, de necessarijs sibi, & filijs, & vxori ad vitam iuxta sui status cōuenientiam dare debent. Sed hæ duæ explicationes, vt dixi vna mihi videntur, licet vt diuersæ afferantur. Nam cùm inter facultates communes non solum sint reditus, quos in communi possidet resp. sed etiam Ius, quod habet eadem imponendi tributa suis Ciuibus subditis, non est censenda carere facultatibus communibus, quādiu eius subditi ciues sine notabili suo damno sustinere onera possunt, atque adeo, quamdiù priuatorum facultates grauari possunt, laicorum facultates sufficient, & sic prima explicatio coincidit cum secunda, vt sufficiant laicorum facultates quamdiu onera

a Suar. cōtr. Reg. Angl. l. 4. c. 25. n. 15.

b Dian. 1. p. tr. 1. resl. 133.

onera soluere possunt sine rerum suæ decenti sustentationi necessariarum detrimento. Quare tunc non sufficere laicorum facultates cēsendæ sunt, cùm resp. ijs vti nō potest sine eorum status diminutione; quem imminuere non tenentur, vt ei subueniant, vt Doctores docent. c

c Sal. 2. 2. d. 2. qu. 3. p. 7. Conin. d. 27. d. 8. Castropal. tr. 6. d. 2. par. 2 Vasqu. de elecm. d. 2. c. 4.

5. Et quidem hæc explicatio non minus laicis, quàm Ecclesiasticis fauet, si enim laici non tenentur Reip. subuenire, cùm status sui conditionē valde imminuere debent, seu cùm ob id desunt, quæ opus sunt ad suum conuenientem statum conseruandum, nec profectò Ecclesiastici ad contributionem tenebūtur, si al[i]à dare non possunt, quàm quæ ad decentem suæ c[on]ditionis statum sunt necessaria. Quis enim hoc priuilegium concessit laicis, vt debeant sui status conditionem seruare indemnem, non debeant autem Ecclesiastici?

6. Secundò censenda est Resp. seu Princeps suæ necessitati posse consulere, & nolle, Ecclesiasticosque ad eam subleuandam non teneri, cùm sine magno incommodo sumptus, quos facit minuere potest, nec minuit. Vt si plures Arces, quàm ad sui defensionem sint necessariç, firmatas militum præsidijs teneat, nec velit eas auferre. Si pensiones aliquibus soluit, etiā in remunerationem concessas, nec eas, vel omnino, vel magna ex parte prohibet. Si maiora stipendia soluit huic, & illi ministro, quàm par sit eo grauis necessitatis tempore. Si familiaribus, aut alijs, ex liberalitate multa concedat ex proprio ærario, quæ sufficerent ad multorum militum stipendia. Si plures habeat sibi stipendio seruientes, quàm opus sit, possintq; eadem munera, & ministeria per pauciores æquè bene exerceri, nec huiusmodi officialium numerum immi-

nuat. Si exteris donet nimis liberaliter, & effusè ad ostentationem sui animi magnitudinis, aut suarum opum; si in suis recreationibus, & voluptatibus plura insumat, quàm tempora ferant, quæq; insumebat extra eam necessitatem grauem.

7. Tertiò idem censendum est, cum non inuigilat, vt rectè sui reditus, & pecuniæ administrentur, nec coercet ministrorum infidelitatem in eorum administratione.

8. Quartò si primatijs Viris onera debita non soluentibus parcat, ex quo alij magis grauantur, Ecclesiastici præsertim, quàm eorũ portio bonorũ patiatur.

9. Quintò si non curet, vt onera æqua proportione imponantur, & exigantur, ita vt tenuiores magis grauentur, quam alij, aut vnum oppidum onera hospitationum militum subeat, alijs omnino non sustinentibus; Cum aliquid supradictorum, vel similium accidit, non tenentur necessitati reip. ac Principis opem ferre Ecclesiastici, quia non est in tali necessitate, cui difficile subueniri possit; sed in ea, cui prouidere, si velit, potest sine vllo incommodo. Nec æquum est alios onera subire, grauia præsertim, vt alij ditentur sine reip. ac Principis vtilitate.

§. Tertius. Seruandi sunt sacri Canones, cùm accipiendum est subsidium ab Ecclesiasticis, & quid ij præscribant.

1. In subsidio ab Ecclesiasticis ferendo, & accipiẽdo, seruandi sunt sacri Canones.
2. Sacri Canones loquuntur, cùm adest grauis necessitas reipub.
3. Quid requirant sacri Canones, vt Ecclesiastici subueniant necessitati Reip.

4. Vis

4. Vis non potest adhiberi bonis Ecclesiasticorum pro eo subsidio.

5. Ecclesiasticorum iudicio commissum est examen, an adsit necessitas cõmunis, an ei subuenire possint laici, & definire, quod, & quantum subsidium sit dandum.

1. Verùm demus nihil horum esse, atque ideo Ecclesiasticos teneri ferre subsidium periclitanti Principi, ac Reipublicæ. Demus id. At in hoc afferendo subsidio seruanda omnino fuit sacrorum Canonum decreta, quæ profectò edita sunt, vt ostenderetur in graui necessitate esse ab Ecclesiasticis reip. subueniendum.

2. Non enim de communi necessitate loquuntur Canones, cùm velint necessitatem esse talem, vt laicorum facultates non sufficiant ei amouendæ, at cõmunis necessitas facile auferri potest sine Ecclesiasticis, nec laicorum facultates sunt adeo extenuatę, vt tam leui necessitati non possint succurrere, si paulisper onera augeantur, & gabellæ.

3. Nec de extrema loquuntur, quia hęc non habet legem, vt dictum est. S. n. 3. sed ipsa facit legem, vnde quod non est licitum lege, necessitas facit licitum cap. quod non est de reg. iur. quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi l. tua propter ff. de reg. iur. & ibi Decius; & ideo per leges non erat præscribendus modus ei subueniendi. Loquuntur ergò pro tempore necessitatis grauis, & in hac facet textus conqueritur primò Consules, Rectores Ciuitatum, & alios potestatem habentes tributa Ecclesiæ, & Ecclesiasticis imponere, cùm fossata, expeditiones, aut alia quælibet putabant peragenda.

Secundò id de cętero fieri prohibet. Tertiò quia poterant illi Principes, & Magistratus dicere ea, quæ facienda erāt esse valde necessaria, aut valde vtilia bono publico, & ideo se, vt reip. defensores, & œconomos, non autem, vt iurisdictionem habentes in Ecclesiasticos, & Ecclesiæ bona temporalia, illa tributa ijs imponere, & ab ijs exigere, tollit hoc effugium, iubetque Episcopi, & Cleri iudicio decerni, an talis necessitas adsit, & sit tanta, vt existiment laicorum facultates esse insufficientes ei auferendæ, ideoq; præstandum esse à se subsidium. Quartò, Præscribit quo pacto sit id subsidiū dandum. Nempe primo sine exactione, & coactione. Secundò, cùm Rom. Pontificis consensu; nullam vult ergo vim adhiberi à laicis, cùm illud subsidiū accipiunt; Excluditur antē omnis coactio, nā verbū illud, *Absq;* quod idem est ac *Sine*, denotat negationē, seu priuationē; & exclusionē teste Barbosa.[a] Nec valet quorundā effugiū dicentium, nullam esse vim adhibendam personis Ecclesiasticis, posse tamen adhiberi earum bonis, & rebus.

[a] Barb. ind. dict. vlufr. dict. fi-ne ex Rebuff.

4. Nam textus ait, Absq; ulla exactione, seu absq; vlla coactione, q̄ dictio est vniuersalis, vnde est vniuersaliter intelligenda; atq; adeo cōprehēdit, tā coactionē personarū, quàm rerū. Quod si satis est, vim nō ahiberi personis; cùm tale subsidium accipitur, vis autem inferatur rebus, vt Colonis, Animalibus, Domibus Ecclesiasticorum, Colonos detinendo, animalia, & alias res auferendo, Domos perrumpendo, vt fructus possessionum asportentur, donec sint soluta onera ab Ecclesiasticis, Quomodo seruatur quod Summus Pontifex præscribit ex Concilio œcumenico Lateranensi, nempe, laici humiliter, & deuotè recipiant cum gratiarum actione? Certè qui iubet recipi

humi-

humiliter, deuotè, & cum gratiarum actione, vetat recipi cum violentia, & quasi quid debitum Potestati oeconomicæ, si enim hæc posset illa subsidia vi iusta auferre, non opus esset humilitate, deuotione, & gratiarum actione in ijs recipiendis. Cùm autem iubet laicos gratias agere Ecclesiasticis subuenietibus, ostendit hos illis beneficium conferre, cùm in necessitate non extrema conferunt subsidia Reip. quod non esset faciendum, si ex debito iustitiæ opitularentur; Aguntur enim ordinario gratiæ pro beneficio accepto, non pro debito nobis persoluto, quod ex iustitia commutatiua soluendum erat.

Præterea si satis est non adhibere vim personæ, licet rebus Ecclesiasticorum fiat, quomodo seruatur, quod Bulla cænæ mandat, vt neq; directè, neq; indirectè lędatur libertas Ecclesiastica? In hoc enim casu saltem indirectè lędetur, quia Ecclesiastici reddentur timidiores ad sua iura tuenda, nam si id faciant iure vereri possũt ne malè à laicis tractẽtur sua bona.

Patet etiam non laicorum, sed Ecclesiasticorũ iudicio esse commissa tria, primum examinare, an adsit necessitas, vel vtilitas communis; Secundum, An si adsit, possint laici suis facultatibus sufficienter ei prouidere. Tertium, definire subsidium ab Ecclesiasticis esse conferendum, vt verba sacrorum Canonum consideranti satis patet; Nam cap. Aduersus hæc habentur. Si quando fortè Episcopus simul cum Clericis (laicorum nulla est mentio, quia laicorum non est id facere) tantam necessitatem, vel vtilitatem perspexerint, vt absque vlla coactione ad releuãdas vtilitates, vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda &c. En vt impositio tributi, seu subsidio

rum

rum sit facienda ab Ecclesiasticis, non à laicis in ne-cessitate reip. & cùm desunt facultates communes, communitates videlicet non habent sufficientia bona ad sumptus, nec habere facile possunt per impositionem alicuius tributi suis ciuibus laicis iuxta paulò ante explicata. Quæ deficientia etiam est ab Ecclesiasticis inspicienda; quare si satis sunt laicorum facultates, non sunt ab Episcopo, & Clero grauandi Ecclesiastici, si non sunt satis illæ, hi grauandi sunt. Quod verò ea deficientia sit ab Episcopo, & Clero examinanda verba textus ostendunt cap. Non minus de Immun. Nisi Episcopus, & Clerus &c. Et cap. Aduersus eodem. Si quando fortè Episcopus cum Clero &c.

§. *Quartus An sit consulendus Ro: Pontifex postquam Episcopus, & Clerus iudicarint dandum esse subsidium ab Ecclesiasticis.*

1. Vt consulatur Rom. Pontifex prudenter decretum est.
2. Non nititur id decretum præsumptione imprudētiæ Episcoporum, & Cleri.
3. Consulendus est Rom. Pontifex etiam cum agitur de necessitate, & vtilitate communi cùm laicis, tum Ecclesiasticis.
4. Quomodo intelligēdi Doctores, qui aliter videntur sentire.
5. Si negent Ecclesiastici in necessitate, veluti priuata concurrere ad necessarias expensas, nec eorū superior velit eos cogere, possunt laici, si damnum sibi magnum immineat, accipere sine eorum consensu.

6. Non

6. Non agitur in hoc tractatu, an subuenire debeant Ecclesiastici, cum priuata eorum versatur vtilitas, & necessitas, sed cum communis.
7. Imponere onera Ecclesiasticis in communi necessitate, & publica vtilitate Princeps neque vt defensor Reip., neque vt eius oeconomus potest, sed sacri Canones seruandi sunt.

1. Demum postquam Episcopus, & Clerus iudicarint adesse necessitatem tantam, ad quam non sufficiant laicorum facultates; & ab Ecclesiasticis esse dandum subsidium, antequam id conferatur, iubetur Rom. Pontifex consuli, quod decretum est sapientissime, quia Episcopus, & Clerus non rarò se imprudenter gerebant, ob metum fortè laicorum Principum, aut in eorum gratiam, & fortè & proprias, vel cognatorum vtilitates, iudicabantque esse subsidia conferenda cum laicorum facultates sufficere poterant, & cum necessitas non erat magna, quod satis innuitur ijs verbis, Propter imprudentiam tamen quorundã Rom. Pontifex prius cõsulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.

2. Non ideo tamen textus nititur præsumptione imprudentiæ Episcoporum, vt fortè quis suspicari posset; quasi vbi sit debita prudentia Prælati, non sit Papæ consensus necessarius, cum præsumptio in tali casu sit falsa. Non nititur, inquam, textus præsumptione, sed morali periculo, & occasione frequentis mali, & nocumenti, vt ait Suarez, *a* atque nimiæ facilitatis Episcoporum ad concedendum subsidium, ne Principibus sint ingrati.

a Suar. cõtra Reg. Angl. l. 4 c. 26 nu. vlt.

3. Nec puto verum quod aliqui dixerunt, tunc solum esse consulendum Romanum Pontificem, cum

O agitur

agitur de necessitate communi laicorum, non verò id necesse esse cũ agitur & de ea & de illa Ecclesiastic. vt videri potest in Diana. b Nam Papa vtitur verbo, cõmunes vtilitates, vel necessitates, nec addit laicorum, verum absolute loquitur sine vlla distinctione, quare sentit consulendum esse Rom. Pontificem, cum talis necessitas adest, quę sit communis, tum laicis, tum Ecclesiasticis, nec minus illos, quam hos tangat; tunc enim vere est necessitas communis, cùm Reip partes omnes afficit; sunt autem hę partes Ecclesiastici, & laici, qui totam componunt remp. neque commune bonum absolutè dici potest illud, quod vnam tãtum reip. partem afficit, sed quod omnes. Alioqui etiam dici posset non opus esse Episcopi, & Cleri consensu, cum necessitas est tum laicorum, tum Ecclesiasticorum, esse verò cum de necessitate laicorum tantum agitur, quod nullo modo dici potest, nam, vt supra diximus debet, quod omnes tangit, ab omnibus approbari, & non ab vna parte tantum. Nec necessitas Ecclesiasticorum dat maiorem autoritatem laicis supra ipsos, & eorum bona, quam haberent, cum talis necessitas erat tantum laicorum, quo enim iure, aut qua ratione probari potest, ea maior autoritas acquisita ob indigentiam, seu vtilitatem Ecclesiasticorum? Adde quod si Ecclesiastici deberent cõtribuere cùm solum agitur de laicorum bono sine proprio consensu, & tunc solum consulere Rom. Pontificem, non possent dici subuenire in necessitate, vel vtilitate communi, sed laicorum, nec ea necessitas dici possit communis, sed laicorum cum praeiudicio Ecclesiasticorũ, nam tenerentur eis cõtribuere sine sua vtilitate. Textum autem intelligendum de necessitate vtriusq; communi patet, quia pro exemplo adducit Fossata, quae non

b Diana 1. p. tr. 1. res. 39. & 132. & glos. Margin. in c. Nõ minus de immun. quae nititur legibus Ciuilibus quae Ecclesiasticos nõ obligãt, & citat Lucã de Penna, Ancharanum. Philippum Decium & Philippum Corneum.

non minus laicis, quam Ecclesiasticis erant necessaria pro defensione Ciuitatis, vt etiã expeditiones, quod est alterum exemplum à textu adductum, nam hę etiã suscipiebantur pro communi vtilitate, & necessitate, tum laicorum, tum Ecclesiasticorum, vt hostes communes vtrisque debilitarentur, nec auderent aggredi loca eorum. Quod si pars laica suam tantum vtilitatem, & necessitatem vocat communem, quo nomine eam appellabit, quę tum laicos, tum Ecclesiasticos ex ęquo attingat?

4. Cum autem Doctores a aliqui dicunt, non requiri consensum Pontificum in necessitate laicis, & Ecclesiasticis communi intelligendi sunt, vel de necessitate, in qua periculum est in mora, vt explicat Sanch. loco in margine citato n. 28. 33. multos Doctores citans, vel de necessitate veluti priuata, cum vtilitas proximè, & directè concernit Ecclesias, & Ecclesiasticos, non vt sunt pars reip. sed vt se habent ad modum priuatarum personarum, licet hinc deinde vtilitatem Resp percipiat, vt si deuastentur prædia Ecclesiæ, & laicorum à prædonibus, & opus sit aliquid soluere, vt apponantur custodes, & defensores, cum enim sit hęc contributio pro priuata vtilitate Ecclesiasticorum, quos proximè tangit, & textus loquatur, cùm adest communis necessitas, non extenditur ad alium casum, sic Sanchez loco in margine citato n. 5. citans alios, vide Lugo de iust. & iur. d. 36. sect. 8. n. 121. cum seqq. t. 2. in quo casu etiamsi communitatis facultates sufficerent ad eam necessitatem expellendam, adhuc debent Ecclesiastici contribuere, quia hæ debent expendi pro vtilitate, & necessitate communi primario publicum bonum respiciente, in hoc autem casu est priuata vtilitas primariò, pu-

a Mol. de iust. d. 663. Marhin. de bel. p. 4. c. 4. n. 22. Sanch. opusc. l. 2. c. 4. d. 55. Duar. in bul. cæn. can. 18. q. 12. Azor. p. 3. l. 5. c. 19 q. 14. Laym. l. 4. tr. 9. c. 6. n. 7. Dian. 1. p. tr. 2. resol. 40. 41. 78. 132. 133.

blica verò secundariò, vt explicat Auendanno cap. Prætorum 2.p. c.10. num.23. 24. & ideo non est opus consulere Rom. Pontificem, nec ab Episcopo, & Clero inspici, an laicorum facultates sufficiant, nec ne. Non tamen satis est laicos decernere esse cõtribuendum pro ea necessitate, sed ab Ecclesiasticis etiam est decernendum, & approbandum ob rationem alias adductam, quod omnes tangit, ab omnibus approbãdum est; Nec laicorum decreta ligant Ecclesiasticos, nec vnus priuatus alium non volentem potest obligare. Quare à Principe laico circa hoc nihil decerni potest faciendum per Ecclesiasticos, neque hos cogere potest ad contribuendum, res eorum molestando, aut vi capiendo, quia licet clerici sint in hoc casu obligati, non tamen à laico superiore, sed ab Ecclesiastico compellendi sunt suæ obligationi satisfacere, quia hic solus est eorum superior, vt optimè Sanchez cum alijs. a

a Sanch. in opusc. l.1. c.4. dub.53. n.31. cum Couar. Gutier. Sarmiento &c.

5. Non nego tamen quin si negarent Ecclesiastici contributionem in tali casu, nec superior vellet eos cogere, & laicis magnum inde damnum sequeretur, quia eorum possessiones vastarentur, possit Princeps, & alij priuati Ecclesiasticorũ res accipere pro rata eius quod debent, nam in hoc casu non se gerit ille, vt Princeps, sed vt priuatus, quilibet autem priuatus in tali casu potest se immunem seruare, etiam accipiẽdo vi armata ab alio, vt graue suum damnum vitet. Et si hanc vocant laici in Principe potestatem oeconomicam, & eum vt defensorem laicorum, id facere, non recuso.

6. At non disputo de hoc, an id liceat, cum agitur de priuata, vel quasi priuata vtilitate, quæ proximè, & directè quemlibet Ecclesiasticum tangit. Sed cum

de

de communi necessitate, seu vtilitate agitur, in qua Ecclesiasticorum bona non proximè, sed remotè, non directè, sed indirectè in periculo versantur, qua in re Ecclesiastici se habent, vt ciues, & vt pars reip., non vt priuatæ personæ, Et hic est casus tempore belli, in quo hostes ditionem aliquam primario aggrediuntur, seu aggressi sunt, vt ea potiantur, nec possessiones vexant, vt eorum dominium habeant, sed vt arces capiant, & totam ditionem sibi subijciant, & ideò defensor exercitus non agros, & possessiones priuatorum custodit seruat, seu primario defendit, imò ipse etiam eas dirigit, sed Vrbis, & loca munita ne capiantur seruat.

7. In quo casu dico non posse imponi onera Ecclesiasticis, vt ciuibus à Principe laico, vt defensore reip. seu potestate oeconomica, sed debere seruari præscripta à iure canonico citato, vt scilicet Episcopus, & Clerus considerent necessitatem, & an laicorum facultates sufficiant, & si videant eam esse talem, vt hæ non sint satis, decernant contributionem, quæ tamen non detur, nisi ante consulatur Rom. Pontifex, tum eam illi accipiant sine coactione, sed deuote, humiliter, & cum gratiarum actione. Et ratio est, quia si clerici absolutè tenerentur, cum concernitur publica vtilitas onera soluere, vt soluunt laici, tenerentur ad omnia onera, quia nullum est onus iustum laicis impositum, quod non concernat publicam vtilitatem, & necessitatem, & ideò nullam haberent exemptionem, quod est absurdum, vt sentiunt Driedo, & alij apud Sanchez. a

a Dried. de libert. Christ. l. 2. c. 5. Castr. l. 1. de leg. pen. c. 11. conclus. 2. Rich. quodl. 3. q. 27 Caiet. ver. Vectigal. Sanch. opusc. l. 1. c. 4 d. 55. n. 4.

S. Quin.

§. Quintus, An Princeps laicus, vt reip. defensor, possit exigere Ecclesiasticos, vt ciues sunt ad dandum subsidium reip. cum ad illud tenentur.

1. Cogi non possunt Ecclesiastici à Principe laico ad dandum subsidium Reipublicæ.
2. Ipsi Principes sentiunt debere laicorum facultates esse insufficientes, vt Ecclesiastici subueniant Reip.
3. Distinctio, quod Princeps cogere Ecclesiasticos possit, non vt Princeps, sed vt reip. defensor, nec vt Ecclesiasticos, sed vt Ciues, eliminanda est extra casum extremæ necessitatis.
4. Primò quia nullo iure probatur.
5. Secundò quia omnia priuilegia Ecclesiastica facile eludit, nec Principes laici in sua causa sunt admissuri.
6. Tertiò quia in qualibet necessitate poterunt laici Principes grauare Ecclesiasticos, & punire.

1. Præterea dato, quòd teneantur Ecclesiastici in maxima necessitate reipub. quod etiam supra cap. isto concessimus, at à laico Principe cogi non possunt, vt soluant, vt etiam diximus cogi non posse, cùm iudicant adesse necessitatem, quæ euitari per laicorum facultates non possit, & ideo à se aliquid dandum iudicare tenentur, & tamen post ista cogi non possunt à laico Principe ad soluendum quod decreuerunt pro reparatione verbi causa murorum Ciuitatis, refectione pontium, ac viarum frequentium, aut pro præseruanda Ciuitate, aut liberanda à peste, alendo exercitu contra hostes, pro defensione status &c. quia iura iubent solutionem sine coactione, & in sacris Canonibus

bus decernentibus exemptionem Ecclesiasticorum à laicorum potestate, aut in alijs non inuenitur exceptus casus necessitatis publicæ grauis, & ita vsu seruatur in ditionibus Christianorum Catholicorum, vbi non est aliquod priuilegium Pontificium, vt Regi Galliæ concessisse refert Guillelmus Benedictus Bonifacium VIII. apud Sanchez. a & ideo nil mirum est, si Rebuffus, & aliqui alij, dicant cogi posse Ecclesiasticos à laico Principe, quia loquuntur in locis, in quibus est illud priuilegium. At in ditione, in qua non est tale priuilegium, ad Pontificem faciendus est recursus.

a Sãch. opus l.2.c.4. d. 55. nu.30.

2. Imò laicorum facultates debere esse insufficiẽtes ad subueniendum graui necessitati publicæ, ipsi Principes sentiunt; & ideò in supplicatione data Vrbano VIII. Summo Pontif. à Mediolanẽsi Magistratu, expresserunt attritum esse ærarium, & facultates communitatum, & hominum status Mediolanensis non sufficere, teste Diana, b Agnoscunt ergo esse necessarium Papæ consensum ad onera Ecclesiasticis imponenda, nec àte imponi posse, aut exigi, & tunc solum consensum esse dandum, cum laicorum facultates non sunt satis ad necessitatem communem auferendam. Nec præsumunt potestate œconomica, aut vt defensores reip. se posse Ecclesiasticos grauare, vt ciues sunt, quia vident temporis præsentis necessitatem non esse extremam, & nullum esse periculum in mora recurrendi ad Summum Pontificem.

b Dian. p. 8. tr. 1. resol. 12. cum Marchino de peste p.4.c. n.10.

3. Nec possunt se laici tueri distinctione, de qua superiori, & hoc capitibus agimus, Principem accipere, non vt est Princeps, sed vt defensor est reip. & ab Ecclesiasticis, non vt tales sunt, sed vt Ciues sunt, & pars reip. atque non vi iurisdictionis, sed potestatis

œco-

œconomicæ ea fieri. Hanc enim distinctionem, Præclarum esse effugium existimo ab aliquo inuentum, vt apparenti aliquo prætextu bona Ecclesiasticorum grauari posse assereret.

4. Dico ergo hanc distinctionem esse omnino eliminandam si de casu nõ extremæ necessitatis, sit sermo, & in qua non sit periculum in mora. Primò, quia in nullo iure, siue Canonico, siuè Ciuili habet fundamẽtum, cùm tamen erubescere se dicant Doctores sine textu loqui, l. Dissentientis C. de Regul. & ibi notat Albericus, l. si vero, § de viro ff. soluto matr Addamus, & sine firma ratione, non est autem nouis inuentionibus quærendum, aut præsumendum, quod iure, adde, vel ratione, cautum non reperitur cap. consuluisti 2. q 5.

5. Secundò quia si hæc distinctio locum haberet, eluderentur omnia priuilegia Ecclesiastica, & sic, quod vna via auferri non potest, altera auferretur cõtra regulas iuris. Quæ autem priuilegia subsistent Ecclesiasticorum, si ea distinctio subsistit? Nulla erit immunitas Ecclesiarum, si rei ad eas confugiant, quia extrahentur à laico Principe, non vi iurisdictionis, sed vi defensionis, seu œconomicæ potestatis, nec extrahentur ab Ecclesia, vt locus sacer est, sed vt est pars territorij illius Principis. Nulla erit exemptio Ecclesiasticarum personarum, nec Episcoporum, & Cardinalium, quia si capiantur, aut trahantur ad iudicia secularia, dicentur capi, & trahi, non vt Ecclesiastici sunt, nec vi iurisdictionis, sed vt Ciues, & vi oeconomicę potestatis, ideoque poterunt iudicari, damnari, percuti, suspendi sine vllo metu excommunicationis En ergo vt sus, deq; priuilegia Ecclesiæ vertuntur, & nulla fiunt. Parum enim refert exemptionem

nem habere Ecclesiasticos quoad iurisdictionem laicam, & vt Ecclesiastici sunt; si quoties volunt Princeps, eiusq; Magistratus in eos, vt Ciues sunt, & vi potestatis oeconomicæ, possunt manus inijcere, oneribus eorum bona grauare, & vi ab eis auferre. Et si huiusmodi distinctio vim aliquam, obtinet, obtinebũt etiam aliæ similes, quas tamen non admissuros puto Principes laicos, & Magistratus; quare à grauissimo supplicio non eximeretur, qui Principi alapam infligeret, verbi gratia, diceretq; se non vt Principi eam inflixisse, sed vt homini sibi simili, & in humanitate æquali, vel vt inferiori in prudẽtia, & scientia gubernandi, Nec excommunicationem effugeret, qui sacerdotem iniustè percuteret, non vt charactere clericali insignitum, sed vt Ciuem reip. aut vt oeconomum suæ domus: quare si hæc distinctio locum haberet, multa possent in remp. & Principem committi licitè, quæ tamen nullo pacto sunt concedenda. Fingamus aliquem in eius personam, aut alios reip. Gubernatores coniurare, dicatq; se id facere in eos, non vt Principes sunt, sed vt se tueatur ab eorum aliqua iniuria, num ne à rebellionis, aut læsæ Maiestatis crimine immunis erit?

6. Tertiò quia si hæc distinctio subsistit, quoties erit aliqua necessitas, poterunt à laico Principe grauari Ecclesiastici, etiamsi laicorum facultates sint sufficientes, & possint ei consulere; Dicere enim semper poterit potestatem oeconomicam exigere, vt non soli laici grauẽtur, nec se Ecclesiasticos grauare, vt tales, sed vt Ciues, quos æquum est omnes subsidia reipub. conferre, nec se vt Principem ea imperare, & exigere, sed vt Reip. defensorem. Poterit etiam eosdem errantes corrigere, ac punire, afferendo camdem excu-

sationem per illam distinctionem, cùm tamen sacri Canones vetent correctionem Ecclesiasticorum fieri per laicos. Imo poterit quoslibet Ecclesiasticos, etiam Episcopos morte afficere, sub prætextu potestatis œconomicę, & defensionis reip. à delictis, & dicendo se eos occidere, non vt Episcopos, & Ecclesiasticos, sed vt ciues; cùm tamen S. Ecclesiæ vsus sit vt Minores Clerici ab Episcopis, hi à Rom. Pontifice, vel sacris concilijs corrigantur, & puniantur. Quòd si summus Pontifex delinquat, aut sacra Concilia, non à laico Principe sunt puniendi, etiam vt Ciues, aut vi potestatis oeconomicæ, quæ nulla est in Papam, & Concilia, sed à Deo, ad cuius tribunal sunt remittendi. Vt etiam si grauiter peccet ipse Princeps, nec Summus Pontifex, aut sacra Concilia possint adhibere remedium, ad Dei tribunal est remittendus, nec quisquam eum punire potest, vt ciuem, seu partem reipub. aut dicens se non vt priuatus est Ciuis eum punire, sed vt defensor reip. quam vnusquisque tenetur tueri.

§. *Sextus Potestas œconomica non datur in Principe laico respectu Ecclesiasticorum.*

1 Neq; priuata, neq; publica est autoritas Principis in Ecclesiasticos, vt est defensor reip.
2 Arguuntur dicentes esse publicam autoritatem, sed œconomicam.
3 A nullo accepta est dicta potestas œconomica.
4 Si ea daretur, essent deterioris conditionis Ecclesiastici, quàm laici.
5 Ecclesiastici, etiam vt Ciues, & pars reipub. non sunt subiecti Principi laico.

6 Oe-

6 Oeconomica potestas euertit œconomiam Ecclesiasticæ, & politicæ reipub.
7 Exercentes potestatem œconomicam laici ob vtilitatem publicam non excusantur ob obligatione restituendi ablata ab Ecclesiasticis.
8 Publica vtilitas non debet auferre libertatem Ecclesiasticam.
9 Ex præcepto consulendus est. Rom. Pontifex cùm onera sunt imponenda Ecclesiasticis, non ex consilio. Quid sit consulere Rom. Pontificem.
10 Est præceptum sequendi in hac re, quod responderit Papa.
11 Epilogus totius capitis.

1 Quartò si vt Defensor reip. potest Ecclesiasticos grauare, peto an hæc defensio fiat priuata autoritate, an publica? Si priuata, non maiorem potestatem habebit, quàm quælibet alius priuatus, qui iustè grauare, punire, & cogere Ecclesiasticos non potest: Si publica, ergo inuoluitur in ea iurisdictio, nam potestas publica non est sine iurisdictione, atq; adeo Ecclesiasticos grauando, & cogendo iurisdictionem exercebit, quod esse contra sacros Canones, hi qui ea distinctione vtuntur, apertè confitentur, & ideo potestatem oeconomicam, à potestate iurisdictionis distinxerunt, vt tuerentur quomodo Princeps non exerceat iurisdictionem in Ecclesiasticos.

2 Dicent fortè esse publicam, sed œconomicam, & ideo nullam iurisdictionem exerceri. Audio; sed cōtra arguo. Primò Quare priuata, & publica potestas œconomica constituitur, non autem priuata, & publica potestas iurisdictionis? Secūdo, in quo distinguitur potestas œconomica à potestate iurisdictionis, cum vtraq; possit imponere tributa, vtraq; cogere vi ar-

mata, vtraq; delinquentes punire, & alia facere non minus vna, quam altera potestas? Imo sine ordine iudiciali vtraq; procedere potest, de œconomica certum est, de alia non est dubitandum, cùm Princeps, aut Resp. non seruato ordine iuris possit multa facere, modo rei veritas sit certa, quę inferior Iudex non potest, cuius rei ratio est, quia ipse est supra ius positiuum, nec illud tenetur seruare, quod tulit, occurrentibus casibus, in quibus iudicet non expedire iuris ordine procedere.

3 Demum à quonam accepit eam potestatem œconomicam? A sola parte reip. laica, an à laica, & Ecclesiastica simul? Si primum, ea nihil potest in Ecclesiasticos, atq; adeo nec potestatem concedere in ipsos, quęcumq; illa sit, siue œconomica, siue iurisdictionis, cùm paris in parem nulla sit potestas, c. Innotuit de elect. 1. l. Ille a quo §. Intempestiuum ff. ad Trebel. atq; adeo hanc alteri concedere non potest, cùm nemo det, quod non habet. Secundum dici non potest, quia Ecclesiastici laico in se ipsos dare potestatem non possunt sine Summo Pontifice, nullum autem ius affertur, quo talis consensus Papæ probetur, aut etiam quo ostendatur sola concessio Ecclesiasticorum. Quod si dicant laici datam esse hanc potestatem à Deo, sed Iure naturali, posito quod aliquis sit Princeps constitutus, & ex officio defendere debet rempub. Contra à Deo, aut iure naturali datam esse etiam in Ecclesiasticos quanam ratione probatur? Nulla profectò. Sed gratis omnino asseritur. A Deo enim, seu iure naturali data est etiam potestas iurisdictionis, & tamen in Ecclesiasticos non est data. Vnde ergo habent laici datam esse in eos œconomicam, & non illam iurisdictionis? Et si est à Deo, & iure

iure naturali, quanta nam est? Et quomodo potest solùm exerceri in necessitate reip. non autem extra eam? neq; enim laici asserunt Principem posse grauare Ecclesiasticos extra magnã necessitatem Reip. cùm ipsi non possunt ei subuenire. Quę satis ostendunt improbabilitatem eius potestatis.

4 Quintò, si ea potestas danda esset in Principe, deterioris essent conditionis Ecclesiastici, quàm laici, quod est absurdum, cùm personæ Deo dicatę maioribus priuilegijs potiantur, quàm alij. Probatur sequela, quia haberent superiorem Ecclesiasticum in rebus temporalibus, & laicum, qui ambo possent potestate œconomica eis imperare, grauare, cogere, cui tenerentur obedire, laici verò vnum laicum Principem haberent. Dicendum ergo est, cùm posse aliquid potestate œconomica, non videatur posse explicari, nisi ratione supremi dominatus in repub. vt in familia, aliquid posse, quod ad rectam illius gubernationem conferat, Principem laicum respectu Ecclesiasticorum non habere hunc supremum dominatum in rep. quia illi superiorem Ecclesiasticum habent, cuius gubernationi, tum in spiritualibus, tum in temporalibus subsunt, ne ergo duos habeant, qui potestate ęconomica in eos vtantur, hanc laicus Princeps non habet in ipsos, nisi Ecclesiastici superioris consensus interueniat.

5 Sunt quidem Ecclesiastici ciues eiusdem reip. cuius sunt laici, eiusq; pars, & quidem dignior, vt pote Sacra: sunt sub protectione eiusdem Principis, qui laicis imperat, at non ideo desinunt esse Ecclesiastici; Nec priuilegia, & immunitates amittunt, vt ciues sunt, & pars reip. Nam exemptio Sacerdoti v.g. concessa, quo ad tributa, est ei simpliciter conces-

ſa, vt talis perſona eſt, atq; adeo etiam, vt ciuis eſt, & pars reip. & conſequenter eius bona, quæ ſunt acceſſoria perſonæ, ſunt exempta, vt ſunt ciuis Eccleſiaſtici, & partis reip. Eccleſiaſticę.

6 Cauendum ergo eſt ne huiuſmodi poteſtas oeconomica omnem Eccleſiæ oeconomiam auferat & ipſius etiam politicæ reip. euertat, cum ſine recto ordine non poſſit bona oeconomia ſubſiſtere: non eſt autem rectus ordo, vbi minor maiori preeſſe conatur, & poteſtatem aliorum, quam habent, vſurpare, minor autem eſt laica poteſtas, licet oeconomica, quàm Eccleſiaſtica, reſpectu Eccleſiaſticorum, & tamen hanc laici ſibi ſubijcere prætendunt, & Epiſcoporum poteſtatem, quæ etiam eſt oeconomica, ſibi vendicare. Quare nulla poteſtas oeconomica Principis laici in Eccleſiaſticos exerceri poteſt, cùm Eccleſiaſtici laico capiti non ſubſint, nec ab eo gubernentur.

7 Neq; ratio boni publici excuſabit à peccato, & obligatione reſtituendi eam poteſtatem in Eccleſiaſticos exercentes, quia, an adſit bonum, ſeu vtilitas publica, examinandum prius eſt ab Eccleſiaſticis, ita vt laicorum facultates non ſufficiant iuxta Sacrorum Canonum præſcripta: tum ſi iudicarint ita eſſe, ipſi ſibi imponere contributionem debent, quæ preſenti tempore non ſeruantur.

8 Præterea publica vtilitas non debet auferre Eccleſiaſticam libertatem, nam hęc æquiparatur illi l. Iubemus C. de Sacr. Eccl. & ideo etiamſi publicæ vtilitati ſit expediens Eccleſiaſticos conferre ſubſidia reip. non eſt auferenda libertas Eccleſiaſtica, nam publicæ vtilitati fieret nocumentum; auferretur autem hæc libertas ſi laicorum eſſet Eccleſiaſticos grauare

nare in necessitate non extrema reip. antequam ipsi Ecclesiastici examinarent laicorum facultates, & determinarent subsidium, consuleretur; Rom. Pontifex.

9 Cuius consilium ex præcepto est. Quicquid aliqui negent, quia textus ait, Rom. Pontifex consulatur, quare censent ipsum dare consilium, vt id fiat, non præcipere; nam verbum, *Consulere*, significat petere consilium, consilium autem non est sub præcepto. Sed falluntur hi, & magna vtuntur æquiuocatione, nam consilium quidem non est preceptum, sed illud petere, & sequi, potest esse sub præcepto. Papa autem iubet peti ipsius consilium, cùm ait, Rom. Pontifex prius consulatur. Puto tamen non iuberi petitionem consilij ea locutione, sed præcipi, vt ipse Pontifex interrogetur, quid velit fieri, cùm Ecclesiastici statuerunt aliquod esse subsidium conferendum publicæ necessitati, An scilicet velit conferri, nec ne, Nam consulere in iure, est quærere, & interrogare, vt leg. Item quia ff. de pact. cum glos. & in nostro casu eumdem esse sensum arbitror, non enim consilium solet à Summo Principe peti, sed solet de sua voluntate interrogari, vt fiat, quod faciendum esse responderit. Sed quamuis verbum illud, *consulatur*, vsurparetur pro, *Petatur consilium*, non est tamen hoc consilium, sed præceptum petendi cosilij, & cùm sit præceptum in re valde graui, in qua videlicet de seruanda immunitate Ecclesiastica agitur, obligat ad graue peccatum, & si subeatur onus impositum pro subsidio reip. sine ea petione, forte erit obligatio restitutionis in eo, qui accepit, quia non est seruata forma à Summo Pontifice præscripta in huiusmodi re, & ideo vel res aliena accipitur inuito Domino, si, velint, nolint Ecclesiastici, tributa ab eis

exigan-

exigantur; cùm id fieri vetet supremus bonorum Ecclesiasticorum Dominus, seu Administrator, Summus scilicet Pontifex; vel accipitur ab ijs, qui non possunt de ea re disponere, nisi sub conditione, si consuluerint Rom. Pontificem.

10 Puto autem non solum esse præceptum petendi consilij, seu interrogandi Pontificem, quid velit ea in re fieri, sed etiam exequendi quod ipse responderit. Nam licet communiter dicatur. Cõsilium nemo sequi cogitur l. cum Pater §. mando ff. de leg. 2. & l. 2. ff. mandati, & cap. cum olim de arbitr. cum glossa, vt videri potest in Menochio, & Sanchez, a fallit tamen non raro, & multi casus referuntur à Doctoribus apud Molinum, b in quibus est obligatio sequendi consilij, vnde etiam Bartolus c docet, cùm est præceptum faciendi aliquid cum consilio alterius, huius esse sequendum consilium, si est particeps officij eiusdem cum eo, qui iussus est agere cum tali consilio; & in aliquibus iudicijs audio peti consilium sapientis, periti, vt puto, Doctoris, & iuxta hoc Iudicem teneri ferre sententiam. Cur ergo non tenebimur sequi eius consilium, si ille, à quo iubemur illud petere, sit supremus Princeps, supremusq; Episcopus, ne dum particeps officij Episcopalis, & Coepiscopus habens autoritatem non a lege, aut ab homine, sed à Deo? Certe reuerentia Summo Pontifici debita exigit, vt eius consilium sequantur Ecclesiastici, nec petatur, vt pro libito illud amplectantur, sed vt ei tamquam præcepto obediant; si enim preces Principum, vt est commune prouerbium, sunt præcepta, etiam consilia, talia erunt.

a Menoch. consf. 69. n. 17. 18. Sanch. de matr. l. 1. d. 34. n. 24.
b Mol. l. 2. de primog. c. 13 n. 38.
c Bart. in l. si plures ff. de exercit.

Ex dictis habes Lector, Primò in necessitate extrema teneri Ecclesiasticos ad subueniendum reip. cùm

hęc

hæc alia via non potest sibi consulere, & etiam in graui, quæ tamen prius ab ipsis Ecclesiasticis examinanda est, an vere adsit, & ita adsit, vt laicorum facultates non sufficiant:& si laici nolint hoc examen fieri, ad nihil tenentur Ecclesiastici, quia eis non constat de grauitate necessitatis, & de insufficientia facultatum laicorum; Quæ obligatio non solùm Ecclesiasticos obligat, sed omnes alios, & præsertim primores ciues, qui multa commoda à Rep. percipiunt.

Secundò tunc solum teneri Ecclesiasticos graui necessitati Reip. subuenire, postquam iudicarint eam adesse, nec laicorum facultates sufficere; tunc autem tenentur cum Episcopo decernere quantitatem contributionis, quæ postquam decreta fuerit, non tenentur decretum executioni mandare, nisi prius summum Pontificem consulant, ab eoq; approbetur ea subuentio.

Tertiò laicorum non esse exigere eam summam, quam Ecclesiastici dare statuerunt, sed eam recipere illos debere cum gratiarum actione, vt rem non debitam ex iustitia commutatiua.

Verùm quia magna vis fit in eo, quod Princeps, vt reip. defensor, grauare potest Ecclesiasticos, licet hoc capite contra hoc multa dixerimus, tamen ne longius, quam par est producatur, capite sequenti id etiam tractemus.



œconomicæ ea fieri. Hanc enim distinctionem, Præclarum esse effugium existimo ab aliquo inuentum, vt apparenti aliquo prætextu bona Ecclesiasticorum grauari posse assereret.

4. Dico ergo hanc distinctionem esse omnino eliminandam si de casu nõ extremæ necessitatis, sit sermo, & in qua non sit periculum in mora. Primò, quia in nullo iure, siue Canonico, siuè Ciuili habet fundamẽtum, cùm tamen erubescere se dicant Doctores sine textu loqui, l. Dissentientis C. de Regul. & ibi notat Albericus, l. si vero, § de viro ff. soluto matr Addamus, & sine firma ratione, non est autem nouis inuentionibus quærendum, aut præsumendum, quod iure, adde, vel ratione, cautum non reperitur cap. consuluisti 2. q 5.

5. Secundò quia si hæc distinctio locum haberet, eluderentur omnia priuilegia Ecclesiastica, & sic, quod vna via auferri non potest, altera auferretur cõtra regulas iuris. Quæ autem priuilegia subsistent Ecclesiasticorum, si ea distinctio subsistit? Nulla erit immunitas Ecclesiarum, si rei ad eas confugiant, quia extrahentur à laico Principe, non vi iurisdictionis, sed vi defensionis, seu œconomicæ potestatis, nec extrahentur ab Ecclesia, vt locus sacer est, sed vt est pars territorij illius Principis. Nulla erit exemptio Ecclesiasticarum personarum, nec Episcoporum, & Cardinalium, quia si capiantur, aut trahantur ad iudicia secularia, dicentur capi, & trahi, non vt Ecclesiastici sunt, nec vi iurisdictionis, sed vt Ciues, & vi oeconomicę potestatis, ideoque poterunt iudicari, damnari, percuti, suspendi sine vllo metu excommunicationis En ergo vt sus, deq; priuilegia Ecclesiæ vertuntur, & nulla fiunt. Parum enim refert exemptionem

nem habere Ecclesiasticos quoad iurisdictionem laicam, & vt Ecclesiastici sunt; si quoties volunt Princeps, eiusq; Magistratus in eos, vt Ciues sunt, & vi potestatis oeconomicæ, possunt manus inijcere, oneribus eorum bona grauare; & vi ab eis auferre. Et si huiusmodi distinctio vim aliquam, obtinet, obtinebūt etiam aliæ similes, quas tamen non admissuros puto Principes laicos, & Magistratus; quare à grauissimo supplicio non eximeretur, qui Principi alapam infligeret, verbi gratia, diceretq; se non vt Principi eam inflixisse, sed vt homini sibi simili, & in humanitate æquali, vel vt inferiori in prudētia, & scientia gubernandi, Nec excommunicationem effugeret, qui sacerdotem iniustè percuteret, non vt charactere clericali insignitum, sed vt Ciuem reip. aut vt oeconomum suæ domus: quare si hæc distinctio locum haberet, multa possent in remp. & Principem committi licitè, quæ tamen nullo pacto sunt concedenda. Fingamus aliquem in eius personam, aut alios reip. Gubernatores coniurare, dicatq; se id facere in eos, non vt Principes sunt, sed vt se tueatur ab eorum aliqua iniuria, num ne à rebellionis, aut læsæ Maiestatis crimine immunis erit?

6. Tertiò quia si hæc distinctio subsistit, quoties erit aliqua necessitas, poterunt à laico Principe grauari Ecclesiastici, etiamsi laicorum facultates sint sufficientes, & possint ei consulere; Dicere enim semper poterit potestatem oeconomicam exigere, vt non soli laici grauētur, nec se Ecclesiasticos grauare, vt tales, sed vt Ciues, quos æquum est omnes subsidia reipub. conferre, nec se vt Principem ea imperare, & exigere, sed vt Reip. defensorem. Poterit etiam eosdem errantes corrigere, ac punire, afferendo eamdem excu-

ſationem per illam diſtinctionem, cùm tamen ſacri Canones vetent correctionem Eccleſiaſticorum fieri per laicos. Imo poterit quoslibet Eccleſiaſticos, etiam Epiſcopos morte afficere, ſub prætextu poteſtatis œconomicę, & defenſionis reip. à delictis, & dicendo ſe eos occidere, non vt Epiſcopos, & Eccleſiaſticos, ſed vt ciues; cùm tamen S. Eccleſiæ vſus ſit vt Minores Clerici ab Epiſcopis, hi à Rom. Pontifice, vel ſacris concilijs corrigantur, & puniantur. Quòd ſi ſummus Pontifex delinquat, aut ſacra Concilia, non à laico Principe ſunt puniendi, etiam vt Ciues, aut vi poteſtatis oeconomicæ, quæ nulla eſt in Papam, & Concilia, ſed à Deo, ad cuius tribunal ſunt remittendi. Vt etiam ſi grauiter peccet ipſe Princeps, nec Summus Pontifex, aut ſacra Concilia poſſint adhibere remedium, ad Dei tribunal eſt remittendus, nec quiſquam eum punire poteſt, vt ciuem, ſeu partem reipub. aut dicens ſe non vt priuatus eſt Ciuis eum punire, ſed vt defenſor reip. quam vnuſquiſque tenetur tueri.

§. Sextus Poteſtas œconomica non datur in Principe laico reſpectu Eccleſiaſticorum.

1 Neq; priuata, neq; publica eſt autoritas Principis in Eccleſiaſticos, vt eſt defenſor reip.
2 Arguuntur dicentes eſſe publicam autoritatem, ſed œconomicam.
3 A nullo accepta eſt dicta poteſtas œconomica.
4 Si ea daretur, eſſent deterioris conditionis Eccleſiaſtici, quàm laici.
5 Eccleſiaſtici, etiam vt Ciues, & pars reipub. non ſunt ſubiecti Principi laico.

6 Oe-

6 Oeconomica potestas euertit œconomiam Ecclesiasticæ, & politicæ reipub.

7 Exercentes potestatem œconomicam laici ob vtilitatem publicam non excusantur ob obligatione restituendi ablata ab Ecclesiasticis.

8 Publica vtilitas non debet auferre libertatem Ecclesiasticam.

9 Ex præcepto consulendus est. Rom. Pontifex cùm onera sunt imponenda Ecclesiasticis, non ex consilio. Quid sit consulere Rom. Pontificem.

10 Est præceptum sequendi in hac re, quod responderit Papa.

11 Epilogus totius capitis.

1 Quartò si vt Defensor reip. potest Ecclesiasticos grauare, peto an hæc defensio fiat priuata autoritate, an publica? Si priuata, non maiorem potestatem habebit, quàm quælibet alius priuatus, qui iustè grauare, punire, & cogere Ecclesiasticos non potest. Si publica, ergo inuoluitur in ea iurisdictio, nam potestas publica non est sine iurisdictione, atq; adeo Ecclesiasticos grauando, & cogendo iurisdictionem exercebit, quod esse contra sacros Canones, hi qui ea distinctione vtuntur, apertè confitentur, & ideo potestatem oeconomicam, à potestate iurisdictionis distinxerunt, vt tuerentur quomodo Princeps non exerceat iurisdictionem in Ecclesiasticos.

2 Dicent fortè esse publicam, sed œconomicam, & ideo nullam iurisdictionem exerceri. Audio; sed cõtra arguo. Primò Quare priuata, & publica potestas œconomica constituitur, non autem priuata, & publica potestas iurisdictionis? Secũdo, in quo distinguitur potestas œconomica à potestate iurisdictionis, cum vtraq; possit imponere tributa, vtraq; cogere vi ar-

 mata

mata, vtraq; delinquentes punire, & alia facere non minus vna, quam altera poteftas? Imo fine ordine iudiciali vtraq; procedere poteft, de œconomica certum eft, de alia non eft dubitandum, cùm Princeps, aut Refp. non feruato ordine iuris poffit multa facere, modo rei veritas fit certa, quę inferior Iudex non poteft, cuius rei ratio eft, quia ipfe eft fupra ius pofitiuum, nec illud tenetur feruare, quod tulit, occurrentibus cafibus, in quibus iudicet non expedire iuris ordine procedere.

3 Demum à quonam accepit eam poteftatem œconomicam? A fola parte reip. laica, an à laica, & Ecclefiaftica fimul? Si primum, ea nihil poteft in Ecclefiafticos, atq; adeo nec poteftatem concedere in ipfos, quęcumq; illa fit, fiue œconomica, fiue iurisdictionis, cùm paris in parem nulla fit poteftas, c. Innotuit de elect. 1. l. Ille a quo §. Intempeftiuum ff. ad Trebel. atq; adeo hanc alteri concedere non poteft, cùm nemo det, quod non habet. Secundum dici non poteft, quia Ecclefiaftici laico in fe ipfos dare poteftatem non poffunt fine Summo Pontifice, nullum autem ius affertur, quo talis confenfus Papæ probetur, aut etiam quo oftendatur fola conceffio Ecclefiafticorum. Quod fi dicant laici datam effe hanc poteftatem à Deo, fed Iure naturali, pofito quod aliquis fit Princeps conftitutus, & ex officio defendere debet rempub. Contra à Deo, aut iure naturali datam effe etiam in Ecclefiafticos quanam ratione probatur? Nulla profectò. Sed gratis omnino afferitur. A Deo enim, feu iure naturali data eft etiam poteftas iurisdictionis, & tamen in Ecclefiafticos non eft data. Vnde ergo habent laici datam effe in eos œconomicam, & non illam iurifdictionis? Et fi eft à Deo, &

iure

iure naturali, quanta nam est? Et quomodo potest solùm exerceri in necessitate reip. non autem extra eam? neq; enim laici asserunt Principem posse grauare Ecclesiasticos extra magnã necessitatem Reip. cùm ipsi non possunt ei subuenire. Quę satis ostendunt improbabilitatem eius potestatis.

4 Quintò, si ea potestas danda esset in Principe, deterioris essent conditionis Ecclesiastici, quàm laici, quod est absurdum, cùm personæ Deo dicatę maioribus priuilegijs potiantur, quàm alij. Probatur sequela, quia haberent superiorem Ecclesiasticum in rebus temporalibus, & laicum, qui ambo possent potestate œconomica eis imperare, grauare, cogere, cui tenerentur obedire, laici verò vnum laicum Principem haberent. Dicendum ergo est, cùm posse aliquid potestate œconomica, non videatur posse explicari, nisi ratione supremi dominatus in repub. vt in familia, aliquid posse, quod ad rectam illius gubernationem conferat, Principem laicum respectu Ecclesiasticorum non habere hunc supremum dominatum in rep. quia illi superiorem Ecclesiasticum habent, cuius gubernationi, tum in spiritualibus, tum in temporalibus subsunt, ne ergo duos habeant, qui potestate ęconomica in eos vtantur, hanc laicus Princeps non habet in ipsos, nisi Ecclesiastici superioris consensus interueniat.

5 Sunt quidem Ecclesiastici ciues eiusdem reip. cuius sunt laici, eiusq; pars, & quidem dignior, vt pote Sacra: sunt sub protectione eiusdem Principis, qui laicis imperat, at non ideo desinunt esse Ecclesiastici; Nec priuilegia, & immunitates amittunt, vt ciues sunt, & pars reip. Nam exemptio Sacerdoti v. g. concessa, quo ad tributa, est ei simpliciter concessa

sa, vt talis persona est, atq; adeo etiam, vt ciuis est, & pars reip. & consequenter eius bona, quæ sunt accessoria personæ, sunt exempta, vt sunt ciuis Ecclesiastici, & partis reip. Ecclesiasticę.

6 Cauendum ergo est ne huiusmodi potestas oeconomica omnem Ecclesiæ oeconomiam auferat & ipsius etiam politicæ reip. euertat, cum sine recto ordine non possit bona oeconomia subsistere: non est autem rectus ordo, vbi minor maiori preesse conatur, & potestatem aliorum, quam habent, vsurpare, minor autem est laica potestas, licet oeconomica, quàm Ecclesiastica, respectu Ecclesiasticorum, & tamen hanc laici sibi subijcere prætendunt, & Episcoporum potestatem, quæ etiam est oeconomica, sibi vendicare. Quare nulla potestas oeconomica Principis laici in Ecclesiasticos exerceri potest, cùm Ecclesiastici laico capiti non subsint, nec ab eo gubernentur.

7 Neq; ratio boni publici excusabit à peccato, & obligatione restituendi eam potestatem in Ecclesiasticos exercentes, quia, an adsit bonum, seu vtilitas publica, examinandum prius est ab Ecclesiasticis, ita vt laicorum facultates non sufficiant iuxta Sacrorum Canonum præscripta: tum si iudicarint ita esse, ipsi sibi imponere contributionem debent, quæ pręsenti tempore non seruantur.

8 Præterea publica vtilitas non debet auferre Ecclesiasticam libertatem, nam hęc æquiparatur illi l. Iubemus C. de Sacr. Eccl. & ideo etiamsi publicæ vtilitati sit expediens Ecclesiasticos conferre subsidia reip. non est auferenda libertas Ecclesiastica, nam publicæ vtilitati fieret nocumentum; auferretur autem hæc libertas si laicorum esset Ecclesiasticos gra-

uare

nare in necessitate non extrema reip. antequam ipsi Ecclesiastici examinarent laicorum facultates, & determinarent subsidium, consuleretúrq; Rom. Pontifex.


9 Cuius consilium ex præcepto est. Quicquid aliqui negent, quia textus ait, Rom. Pontifex consulatur, quare censent ipsum dare consilium, vt id fiat, non præcipere; nam verbum, *Consulere*, significat petere consilium, consilium autem non est sub præcepto. Sed falluntur hi, & magna vtuntur æquiuocatione, nam consilium quidem non est præceptum, sed illud petere, & sequi, potest esse sub præcepto. Papa autem iubet peti ipsius consilium, cùm ait, Rom. Pontifex prius consulatur. Puto tamen non iuberi petitionem consilij ea locutione, sed præcipi, vt ipse Pontifex interrogetur, quid velit fieri, cùm Ecclesiastici statuerunt aliquod esse subsidium conferendum publicæ necessitati, An scilicet velit conferri, necne, Nam consulere in iure, est quærere, & interrogare, vt leg. Item quia ff. de pact. cum glos. & in nostro casu eumdem esse sensum arbitror, non enim consilium solet à Summo Principe peti, sed solet de sua voluntate interrogari, vt fiat, quod faciendum esse responderit. Sed quamuis verbum illud, *consulatur*, vsurparetur pro, *Petatur consilium*, non est tamen hoc consilium, sed præceptum petendi cōsilij, & cùm sit præceptum in re valde graui, in qua videlicet de seruanda immunitate Ecclesiastica agitur, obligat ad graue peccatum, & si subeatur onus impositum pro subsidio reip. sine ea petione, fortè erit obligatio restitutionis in eo, qui accepit, quia non est seruata forma à Summo Pontifice præscripta in huiusmodi re, & ideo vel res aliena accipitur inuito Domino, si, velint, nolint Ecclesiastici, tributa ab eis exigan-

hæc alia via non potest sibi consulere, & etiam in graui, quæ tamen prius ab ipsis Ecclesiasticis examinanda est, an vere adsit, & ita adsit, vt laicorum facultates non sufficiant: & si laici nolint hoc examen fieri, ad nihil tenentur Ecclesiastici, quia eis non constat de grauitate necessitatis, & de insufficientia facultatum laicorum; Quæ obligatio non solùm Ecclesiasticos obligat, sed omnes alios, & præsertim primores ciues, qui multa commoda à Rep. percipiunt,

Secundò tunc solum teneri Ecclesiasticos graui necessitati Reip. subuenire, postquam iudicarint eam adesse, nec laicorum facultates sufficere; tunc autem tenentur cum Episcopo decernere quantitatem contributionis, quæ postquam decreta fuerit, non tenentur decretum executioni mandare, nisi prius summum Pontificem consulant, ab eoq; approbetur ea subuentio.

Tertiò laicorum non esse exigere eam summam, quam Ecclesiastici dare statuerunt, sed eam recipere illos debere cum gratiarum actione, vt rem non debitam ex iustitia commutatiua.

Verùm quia magna vis fit in eo, quod Princeps, vt reip. defensor, grauare potest Ecclesiasticos, licet hoc capite contra hoc multa dixerimus, tamen ne longius, quam par est producatur, capite sequenti id etiam tractemus.



Q CAPVT

CAPVT NONVM

An Princeps, vt Reip. defenſor grauare poſsit Eccleſiaſticos in neceſsitate graui eiuſdem Reipublicæ,

§. Primus

Princeps non poteſt omnia in Republica:

1 *Omnia poſſe Principem in rep. aliqui aſſerunt.*
2 *Refutatur in pluribus.*
3 *De ſubditis, & eorum rebus, prudenter vt diſponat, Principi conceſſum eſt.*
4 *Exemptio Eccleſiaſticorum auferri non poteſt, ſiue à Principe, ſiue à conſuetudine, ſiue per præſcriptionem.*
5 *Princeps non habet dominium immediatum in bonis ſubditorum, ſed mediatum, quod in odium Eccleſiæ exerceri non poteſt.*

1 ST aliquorum ſententia, Principem pro defenſione reip. poſſe omnia pro ſuo libito adminiſtrare, partemq; exponere, vt tota reſp. ſeruetur. Cùm ergo Eccleſiaſtici ſint totius Reip. pars, poterit Princeps ijs, eorumq; bonis vti pro libito, vt tota reſp. ſarta, tectaq; ſit.

2 Magnam ſane poteſtatem Principi ſuo concedunt laici: ſi omnia poteſt pro defenſione reip. Poterit ergo etiam Miſſas celebrare, Sacramentaq; miniſtrare, ſi Reip. defenſio iſta exigat. Si enim omnia

poteſt

potest, hæc etiam poterit pro libito facere. De spirituali non loquimur, inquiunt, potestate: scimus esse præter potestatem ciuilem, aliam spiritualem, quę ad laicos Principes non spectat: assereréq; Hierarchicum Ecclesiæ ordinem esse tantummodo politicum Principibus secularibus subiectum, scimus, inquiunt, id asserere ab hæresi non esse seiunctum; Quare si qui Principes laici leges de spiritualibus rebus condiderunt, volueruntq; Episcopis, & Clericis facienda præscribere, vt de Theodosio, Iustiniano, Alphonso Rege, & alijs historiarum monumenta referunt, vel potestatis suæ limites transgressi sunt, vel non vt leges, sed vt Instructiones ea tulerunt [a] Bene est. Temporalium ergo rerum finibus potestatem Principum Laicorum concludunt, & bene scentiunt. At hasne potest omnes pro arbitrio administrare? Asserrunt! Videant quæso dum hæc adducunt, & affirmant, ne sibi aditum præcludant ad iustas querimonias, si Princeps eos nimis grauet pro defensione reip. Nam si libere potest de omnibus disponere pro reip. ac Ditionis suæ defensione, non est quod iustè doleant sibi eripi annuos reditus, census, possessionum fructus, & alia omnia; Imo nec si innoxios occidat, eosq; ac filios, & familias in vltimam adducat perniciem pro reip. incolumitate. Nã vt asserunt isti Doctores, potest partem exponere, vt totum conseruetur, exponit huius, & illius subditi bona, vitam, facultates, vt milites totius reip. custodes alantur, eisq; stipendia suppeditentur, ac Resp. defendatur, non est quod doleant laici, facit, quod licitè potest Princeps, sunt ipsi pars reip. Pereat ergo pars, vt totum corpus viuat. Si hoc non placet, vt verè placere non potest, non applicetur Ecclesiasticis, quod

[a] Suar. contra Reg. An. l. 4. c. 2. n. 10.

vobis, laici, si applicetur, dolebitis.

3 Dicant igitur laici, Principi potestatem esse concessam ea conditione, vt pro defensione Reip. de subditis, & subditorum bonis disponere prudenter possit, & cùm debito respectu ad eorum vires, & facultates, quod si non seruet, tyrannicè se potius geret, quam vt bonus Princeps, qui Pater, ac Pastor populorum esse debet. Certè non puto eam fuisse rerump. mentem cùm suam in Principem autoritatem transtulerunt, ac potestatem, vt ea maior esset, quam ipsæ haberent; hoc enim fieri non potest, vt quis plus iuris alij concedat, quam ipse habeat. l. Nemo plus iuris, & l. in omnibus §. Nō debeo ff. de reg. iur. & c. Nemo potest de reg. iur. in 6. & l. Conditio ff. de acquir. rer. dom. Cum ergo ipsę resp. de singularibus personis, eorumq; bonis non possent ad libitum licitè decernere pro sui defensione, sed cum debita prudentia, iustitia, ac proportione, eamdem Principi suo commisere potestatem, nec aliam maiorem concedere potuerunt. Verùm istud omittamus.

4 Possit Princeps Laicus pro reip. defensione prolibito de laicis disponere, at non potest de Ecclesiasticis, qui subditi ei non sunt, neq; quo ad personas, neq; quo ad bona, cum iam diu exempti fuerint, tum ciuili, tum Canonico iure, vt supra probatum est cap. Sexto; quę exemptio à Principe Laico, & Magistratu auferri non potest, cum suprema Principis autoritate à Christo Domino concessa, sit constituta, & inter Ecclesiastica bona numeretur, super quæ potestatem non habet Princeps Laicus, nec ei cedere quisquam potest, cùm priuilegio communitati concesso cedere nullus possit: Nec consuetudine laico-

rum

rum *a* auferri potest, cum hi sicut legem concedere non possunt de personis, & bonis Ecclesiasticis, sic neq; consuetudinem facere: Nec præscriptione, cùm quotannis in Bulla cænę Summus Pont. vetet aliquid contra Ecclesiasticam libertatem agi, & tributa, oneraq; Ecclesiasticis personis, & bonis imponi, iamq; alias Sacra Concilia Lateranense, & Tridentinum, *b* decreuerint nullam esse consuetudinem, & vsum contra libertatem Ecclesiasticam, sublata autem consuetudine præscriptio non potest introduci; Neq; necessitatis excusatio obtendi potest, cùm hæc non det autoritatem, & potestatem in non subditos, aut condendi legem ipsos obligantem, solumq; det, si sit extrema, seu in qua periculum sit in mora, vt iure defensionis, atq. ad tuendam vitam, vitæq; necessaria possit quilibet etiam priuatus, bona aliàs non sua capere, ijsq; vti dum ea necessitas durat; ad quam auertendam non obligantur Ecclesiastici donare. Satis suæ obligationi satisfaciunt, si mutuo dare reip. non renuant, vt infra dicemus. Alia verò necessitas non obligat, vt sæpè dictum est, Ecclesiasticos ad subuentionem, nisi seruentur ea, quę à Summo Pontifice præscripta sunt, de quibus abundè in superioribus capitibus diximus.

a Less. l. 2. de iust. c. 33. d. 31. Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 30. Cap. si diligenti de foro compet.

b Conc. later. sub. Leon. X. Sess. 10. Trid. ses. 25. c. 20.

5 Neq; his temporibus Ecclesiastici renuunt suæ obligationi satisfacere, modo possint, & ad suum decentem statum conuenientia habeant, atq; à Summo Pontifice consensus obtineatur. Princeps autem laicus non habet verum, ac reale, & immediatum dominium in bona subditorum, multo minus nō subditorum, cuiusmodi sunt Ecclesiastici, quare vendere ea non potest, oppignorare, alienare ipsis inuitis: Habet tantummodo superioritatem, & dominiū

quod

quoddam mediatum in ordine ad defensionem boni communis, quod exerceri non potest in damnum, & odium Ecclesiæ; nam leges, & Præcepta respicere in primis debent Dei seruitium, & Ecclesiæ eius sponsę, Matrisq; nostræ, alioqui iusta, & bona non erunt, teste Bartolo communiter recepto, & alijs. a

a Bart. in l. 1. §. Per hanc ff. de rei iudic. Cattald. tr. de Imp. q. 197. plura iura, & Doctores allegans Nau. de Regul. cō. 2. n. 3. u. Ad horum pri mum, & 26. Turrecr. in Summa l. 2. c. 88.

§. *Secundus An Ecclesiastici sint subditi Principi laico ratione protectionis.*

1 Ramirez opinio de subiectione Ecclesiasticorum Principi laico ratione protectionis.

2 Refellitur. Pro extrema necessitate reip. bona Ecclesiæ sunt obligata.

3 Extra extremam necessitatem nunquam licitum est Principi laico grauare bona Ecclesiastica, & multo minus annuis tributis.

4 Quid sit esse subditum ratione protectionis. Id non dat autoritatem imponendi onera ipsis subditis hoc modo.

5 Quomodo Ecclesiastici vocari possint subditi Principis laici.

6 Cauenda est fraus, cùm aliqui Doctores dicant Ecclesiasticos esse subditos politicè, vel oeconomicè Principi laico; & ideo termini sunt explicandi.

1 Nec illud effugium Ramirez de leg. Reg. §. 27. n. 7. quicquam valet, quod scilicet Ecclesiastici sint subditi laico Principi ratione protectionis, atq; ad corporis politici defensionem, seu ratione politica, & oeconomica, quare eos cogere potest, vt arma sumant, Ducum munere fungantur, & alia præstent, quæ quiuis Ciuis præstare tenetur, vt pote qui sint pars

2 Non valet, inquam, hoc effugium, quia si de extrema reip. necessitate, in qua periculum est in mora, nec Superior Ecclesiasticus prouidet requisitus, loquatur, non abnuo posse Principem laicum pro totius reip. conseruatione, pro laicis scilicet, & Ecclesiasticis conseruandis, ab his aliqua exigerę, quæ extra eam necessitatem, non potest, cùm adiri Papa facile potest, & Cleri assensus haberi. Pro casu ergo necessitatis extremę, concedo etiam esse Ecclesiæ bona obligata, & veluti hypothecata pro tributis, tum impositis antequam ad eam peruenirent bona illa, tum imponendis; cùm ratio naturalis dictet extremum reip. periculum esse à ciuibus auertendum pro viribus, & ideo potest reip. Dux, & caput Ecclesias, & earum bona grauare, aurum ab ijs accipere, & alia huiusmodi patrare, quæ extrema tantum necessitas licita facit, vt sensit Driedo, licet alij non omnino consentiant, velintq; pro impositis oneribus tantùm esse Ecclesiastica bona obligata a At extra eam necessitatem non potest Laicus Princeps Ecclesiasticos, aut eorum bona grauare, nisi ipsimet iudicent necessitatem adesse, & laicorum facultates non esse ad eam tollendam sufficientes, accedatq; Papę consensus, vt à sacris Canonibus stabilitum est.

a Dian. 3. p. tr. 1. res. 17. Dried. de lib. Christ. l. 2. c. 3.

3 Nec vnquam licitè poterit laicus Princeps tributum, aut onus Ecclesiasticis bonis imponere sine Papę consensu, & multo minus annuum, nam cum de isto agitur, non de extrema necessitate agitur, quæ ad annos non extenditur, sed de alia, ad quam auferendam, dato quod Ecclesiastici teneantur contribuere, vt pro reparatione pontium, & viarum, pro manutenendo exercitu extra ditionem, aut in ditione, vt hæc salua sit, atque aliquibus alijs casibus, vt

tenent aliqui Theologi cum nonnullis iuris peritis, quamuis plures negant *a* licet, inquam, demus ad eam auertendam teneri Ecclesiasticos pro viribus; an tamen verè adsit necessitas, in qua laicorum facultates non sufficiant, ab ipsis Ecclesiasticis examinandum est, neq; id iudicium laicorum est, qui si illud vsurpent, iniustè agent, cùm summus Pont. alium constituerit eius rei iudicem, nempe Episcopum cùm Clero.

a u. D. ar. 1. p. tr. 1. ics. 32. & 73. & tr. 3. de parlam.

4 Præterea esse subditum ratione protectionis, nō est propriè esse subditum, sed valde impropriè, cum hæc subiectio non det aliquod ius ei, sub cuius protectione quis existit, non enim est aliud esse subditum Principi laico ratione protectionis, nisi sub eius protectione esse, & Principem in se suscepisse onus eum defendendi, cùm opus erit. Tritum est hoc, & Populi aliqui liberi aliquando sunt sub protectione magnorum Principum, nec tamen hi ius aliquod, aut autoritatem habent eis imponendi onera, & tributa, aut cogendi ad aliquid, si forte aliqua necessitate graui premantur ipsi Protectores; Quare cùm in ea sunt, non imperant ijs populis aliquid, sed petunt, ac suam necessitatem exponunt, vt aliquid consequantur cum omni eorum libertate. Eodem modo Ecclesia, eiusq; Ministri sunt sub Principum laicorum protectione, debent enim Principes illam, eiusq; ministros protegere contra quoscumq; hostes, at non possunt ob hanc susceptam protectionem ipsis tributa, vel aliquod onus imponere; hoc enim esset vere, & propriè eos habere subiectos, quod nullo modo salua fide, seu Summorum Pontificum, & sacrorum Canonum autoritate asserendum est.

5 Aut si verè subditos appellare Ecclesiasticos

pla-

placet, lato modo accipiendum est subditi nomen, ita vt subditus sit idem, ac non extraneus, quare negatiuè non positiuè *a* erunt subditi laico Principi, & Reip. Et ista subiectio si dicatur oeconomica, aut politica subiectio non disputabo de nomine: verè enim non sunt extranei Ecclesiastici in Regione, Ciuitate, seu Rep. in qua degunt, sed Incolę, & Ciues, ac nomine Ciuium, & incolarum veniunt ex Doctoribus ex cap. fin. de off. de leg. in 6. & ex Cap. Dilecti de foro Compet; & ex Cap. si sententia de sent. excom. in 6. *b*

a Bos. tit. de pæn. n. 43. 44.

6 Dictos tamen terminos melius est omittere, quia subesse aliqua ijs fraus potest in præsenti materia, quare cùm ijs vocibus vtuntur aliqui iurisperiti, subiecti sunt Ecclesiastici oeconomicè; politicè, antequam concedat aliquis ita esse, petendum prius est abijs iuris peritis, vt quid sibi velint ijs terminis explicent, ne per ignorantiam significationis gemant Ecclesia, & Ecclesiastici se esse potestati laicę subditos non secus ac alij ciues, si concesserint se non iuridicè, sed politice, seu oeconomice subditos putantes per hos terminos se solùm impropriam admittere subiectionem, vel lato modo acceptam, ita vt esse subditum nihil aliud sit quàm non esse extraneum in rep. aut esse protegendum à Principe laico, quod est esse subditum eius protectioni; Cùmq; in hoc sensu sine suo præiudicio possint concedere se esse subditos, si tamen concedant nulla petita eorum terminorum explicatione, poterunt Doctores, qui eos afferunt, accipere quod dant Ecclesiastici, eos scilicet esse politicè, & oeconomicè subiectos Principi laico, vt defensori reip. eo modo, quo alij ciues dicuntur esse eidem Principi subiecti politicè, quæ subiectio

b Oldra. cōs. 132. Mandos sen. alleg. 101. n. 6. & 24. mand. iun. consi. 180. Plot. in. l. si quando. nu. 854. Bursat. cons. 59. n. 31.

est cum libertate coniuncta, quia de ijs Princeps, & resp. non possunt decernere, vt de mancipijs, quæ despoticè dicuntur esse subiecta, non politicè, vt ab Aristotele, & alijs explicatur; Atq; ideo si Ecclesiastici absolutè concedant se esse subiectos, vt sunt ciues liberi, non vt mancipia, magnum præiudicium afferent libertati Ecclesiasticę, & ideo explicent Doctores quo sensu vocent Ecclesiasticos politicè, aut oeconomicè subiectos, nam si in hoc posteriori sensu dicant se accipere subiectionem politicam, negabunt semper Ecclesiastici se esse subiectos hoc modo, concedent tamen se esse ciues liberos, non mancipia.

§. Tertius.

Quomodo explicetur subiectio dicta.

1 Explicatio subiectionis dictæ ab aliquibus.
2 Supponit ex primo Principem laicorum nullum habere superiorem, neq; indirectè, quod est falsum.
3 Secundo supponit omnes reip. partes à Principe laico dependere, vt cæli inferiores à primo mobili, quod est falsum.
4 Quandonam Ecclesiastici censendi sint iniqui aggressores reip.
5 Tertio supponit allata explicatio posse cogi Ecclesiasticos à Principe laico, quod est falsum.
6 Refellitur dictum illud non cogi Ecclesiasticos à laica potestate, vt a Iudice, sed vt à defensore reip.

1 Video quo se conferant istius subiectionis assertores. Dicunt omnem multitudinem in rep. ad vnum gubernantem potestate ciuili reduci, vt omnes Cęli

ad primum mobile, atq; eam potestatem à Deo datam, vt remp. sibi commissam gubernans ille, qui est Princeps, tueatur; quare, cùm necessitas adest, potest quamlibet reip. partem, atq; ideo etiam Ecclesiasticos cogere ad totius defensionem, ad quam quælibet pars tenetur, quæ coactio potest esse vel compellendo ad murorum custodiam, aut ad arma sumenda, aut ad tributa soluenda, aut ad alia huiusmodi, cùm de cuiuslibet partis salute agatur.

2 Qui discursus supponit, Primo Principem Laicum nullum habere, neque indirectè, superiorem in rep. à quo eius potestas in aliquo casu limitari possit, cùm supponat ad Principem, vt ad primum mobile omnia in rep. reduci: quod falsum est in Euangelica Lege, nam ciuilis gubernatio in ea præsertim Lege moderanda est iuxta regulas rationis, & ad bonum animæ est dirigenda. Recta autem ratio dictat vt Religio in rep. primum obtineat locum, vt pote quæ Deum respicit, qui super omnia est obseruandus, ac diligendus, etiamsi tantùm, vt naturæ autor respiciatur. Tum dictat vt quæ ad animæ bonum, & salutem pertinent, præferantur alijs, siuè ad corpora, siuè ad facultates spectantibus. Si ergo ciuilis administratio ea fit, vt quæ ad Religionis, & animę bona spectant, postponat temporalibus reip bonis, poterit Summus Pontifex eam pro potestate corrigere, cùm ita expediat animarum saluti, & Dei honori, defendendo, quod est esse superiorem, non quidem directè, sed indirectè, quatenus videlicet in ciuilem administrationem ingerere se non potest extra suum temporale dominium, nisi animarum bonum, & necessitas id exigat. Videns igitur Summus Pont. Dei cultui, ac religioni, nec non animarum vtilitati

valdè expedire, vt Ecclesiæ ministri, Deoq; dicatæ personæ à laica potestate essent exemptę, eos, eorumq; bona exemit, à Christo potestate accepta, cùm Petro post Resurrectionem suam Oues, & Agnos suos, omnem videlicet populum Christianum pascere iussit, in quam exemptionem Principes ipsi, ac Populi, ac Resp. consenserunt. Quare Ecclesiasticos esse politicè subiectos Principi Laico, idest Principem Laicum posse disponere de ijs, eorumq. bonis, vt de ceteris ciuibus, à veritate, & à Sacrorum Canonum definitione valdè alienum est. Quod si ad necessitatis grauis tempus id restringatur, huic etiam Summus Pontifex prouidit, dum concessit, vt illi subuenirent Ecclesiastici, si verè eam adesse iudicarent, nec satis esse ad eam expellendam laicorum facultates, accederetq. ipsius Pontificis assensus. Quam doctrinam discursus ille allatus non refugit, nam licet omnes cęli motus ad vnius primi mobilis motum reducantur, tamen hic directioni motoris subest, qui eum potest vel sistere, vel variare, si ita Dei honori expediens fuerit, vt tempore Iosuę, & Isaię accidisse Sacrę narrant Scripturæ.

3 Supponit secundò ille discursus à Principe laico omnes reip. partes dependere quoad gubernationẽ vt cęli inferiores à primo mobili. Quæ suppositio est etiam falsa, cum vsus, & experientia aliud suadeant. Pars enim reip. Deo dicata suis regitur legibus, & statutis, in quibus condendis, nullam partem habet laicus Princeps, nisi concedente Papa.

4 Non ergo hęc pars Deo dicata à Principe laico pendet in sui gubernatione, si dicant laici id esse verum extra necessitatem reip non autem in necessitate. Recurrendum erit ad sępius allatam distinctionẽ

necessitatis

necessitatis extremę, in qua periculum sit in mora, & nõ extremę, in qua non sit tale periculum, ideoq; superiores Ecclesiastici sine magno detrimẽto consuli possint, nam in illa potest Princeps Laicus ea exigere ab Ecclesiasticis, quę dicta sunt non iure alicuius subiectionis, siue politicę, siue œconomicæ, sed iure necessariȩ defensionis ad se, & remp. conseruandam, si enim Ecclesiastici tunc non subueniant, vt iniqui aggressores reip. reputantur, ideoq; potest reip. defensor contra eos licitè agere, bona ad defensionem illam necessaria ipsis inuitis auferre, aliaq; præscribere, sine quibus resp. periclitaretur, cùm possit quælibet Resp. se indemnem seruare contra quoslibet iniquos aggressores etiam Ecclesiasticos.a At extra eam necessitatem nõ habet tale ius defensionis, cùm in extremo periculo non versetur, nec periculum sit in mora, dum Episcopus, & Clerus deliberant, ac Rom. Pon. consulitur, debeatq; illi prouidere Princeps per laicos, eorumq. facultates, quòd si hę non sint satis, per Ecclesiasticorum bona eo modo accepta, quem sacri canones præscribunt. Et si antequam Episcopus, & Clerus necessitatem examinarint, & Laicorum facultates, an per ipsas illi consuli possint, nec ne & decreuerit quod subsidium sit ab Ecclesiasticis conferendum, Romanusq; Pont. consultus sit, si, inquam, ante has actiones Ecclesiastici non subueniant ei necessitati reip. nõ sunt iniqui aggessores, cùm iure non subueniant, nec sint obligati subuenire, imo nec licitè possint grauare bona sua, nisi præstitis prædictis, vt eam non extremam necessitatem expellant.b

a Mol. apud Dian. 1. p. tr. de res. 7.

5 Tertiò supponit allatus discursus posse à Principe laico cogi Ecclesiasticos ad subueniendum reip. quod extra extremã necessitatem iam probaui falsum

cap.

cap. 6. & aliijs cap. antecedentibus, in quibus Ecclesiasticos non solum quo ad personas, sed etiam quo ad bona esse exemptos à potestate laica pluribus iuribus ostendi, nec Laicum Principem, aut Magistratum esse illorum idoneum iudicem.

6 Dicere autem Clericum cogi à laico Principe, vel Magistratu, non vt à Iudice, sed vt à reip. defensore in eiusdem defensionem; Vel est id asserere in omni casu, & hoc est sacros Canones eludere, quorum decreta essent inania, cùm Clericos molestans Princeps, aut Magistratus possit hac vti excusatione contra arguentem Pontificem, se vt reip. defensorem pro eius defensione id facere, non vt Iudicem Clericorum, atq; adeo Sacri Canones laicorum iniurijs contra Clericos non occurissent, nec opportunum remedium attulissent, nec aliquam realem exẽptionem concessissent: Vel est id asserere in aliquo casu tantùm, necessitatis videlicet in quo si sit extrema, vel cum periculo in mora, nec ego inficias eo, cùm id fiat non iurisdictionem in Ecclesiásticos exercendo, seu in vim iurisdictionis, vt alij loquuntur, sed in vim necessariæ defensionis, seu de facto iuris, vt aliorum est phrasis; At si necessitas non sit extrema, & sine periculo in mora, numquam concedam rectè affirmari eam coactionem, cùm sacrorum Canonum decisio obstet. Quod autem periculum in mora potest esse, in Italia verbi gratia, quando bellum vrget dum hostis est in Hybernis, & magna ex parte Alpes est transgressus, nec vult, & si vult non vires habet sufficientes ad ditionem aliquam ex improuiso infestandam, Romam mittere, aut scribere, vt Pon. iubeat Ecclesiasticos contribuere, quo sequenti vere exercitus in campum educatur extra hyberna ad

eius

eius status defensionem? nullum certè est, cùm per aliquos menses nulla sit molestia timenda ab hoste, & Romam paucorum dierum spatio peruenire litteræ, aut Orator possit. Quod si abstinetur, quia non est spes aliquid obtinendi, signum ergo est, non adesse eam necessitatem, quam prætendunt laici; Si enim Pontifex videret eam adesse optatis profectò annueret pro sua pietate, & caritate, cùm non sit præsumendum de tanto Pastore, eum velle hac in re peccare, & tantæ necessitati non subuenire, dum diligenter examinatis Ecclesiasticorum, & laicorum rationibus, iudicat validiora esse Ecclesiasticorum argumenta, quàm laicorum, & ab his non ostendi veram necessitatem, atq; ideo petita non concedit; Asserere autem eum iniuste negare, est ei grauissimi voluntarij criminis culpam inurere sine alio fundamento, quàm propriæ opinionis non æqua lance ponderantis momenta rationum, sed cæco affectu ductæ erga propriam vtilitatem.

§. IV. Princeps laicus non potest, vt mercedem suæ defensionis, vel vt stipendij militum partem, accipere bona Ecclesiastica.

1 Non potest Princeps laicus accipere bona Ecclesiastica, vt mercedem suæ defensionis, vel vt partem stipendij militum, & cur.

2 Bona Ecclesiastica non sunt sub dominio Principis laici, & ideo de ijs non potest sua autoritate disponere, quod probatur ex varijs iuribus.

3 De rebus temporalibus Ecclesiæ non potest Princeps Laicus aliquid decernere.

4 Solus Papa est bonorum Ecclesiæ administrator, cùm sint bona pauperum.

5. Ec-

5 Ecclesia non possidet bona temporalia, vt communitas ciuilis est, sed vt Corpus Christi Mysticum, & ideo non subest ciuili potestati laicorum, sub aliquo respectu.

1 At inquiet aliquis bonorum Ecclesiasticorum Princeps est defensor, ex ijs ergo accipere partem aliquam poterit pro eorum defensione, vel vt mercedem sui operis, & defensionis, vel vt partem stipendij militum, quos ad ea defendenda conducit. Respondeo sua auctoritate non posse ea accipere; primò quia id vetitum est à Sacris Canonibus, quibus ipse parere debet.

2 Secundò quia bona Ecclesiastica non sunt sub ipsius dominio, sed Dei, cùm enim sint Deo dicata, & verę religionis, veriq; Dei cultus vsibus, atq; eiusdem Dei ministrorum, vt pauperum alimentis destinata, dicuntur esse sub dominio Dei, quare de ijs ille tantum, vel eius Supremus Vicarius administrator eorum bonorum ab eo constitutus disponere potest. a Et ideo in Principis Laici bonis nõ sunt, cùm inter res sacras computentur. b Nam cùm sint Deo dicata quãdam Sanctitatem participant, ratione cuius debent debito modo, & cùm pietate expendi, vt colligitur ex Cap. sine exceptione, & Cap. aurum, & Cap. Gloria, & alijs textibus 12.q.2. vt videri potest apud Sarmientum tract. de Redit. Eccl. Ad debitum autem modum pertinet, vt non nisi per Ecclesiæ ministros custodiantur, distribuantur, conseruentur, & alienentur, laicis enim nulla est attributa facultas, ac potestas in res Ecclesię, teste Sacro Concilio Lateranensi sub Leone X. in Bulla de Reform. Curiæ §. & cùm fructuum, in qua dicitur prohibitum esse iure Diuino ne laici ius administrandi bona Ecclesiastica vsurpent: & ante illud

a Suar. cõtr. Reg. Angl. l.4.c.16.n.11.

b D. Th. 2.2. q.99.ar.4. & q.185.a.7. l.1. ff. de rerũ diuis c. nulli 12. q. 2.

dixerat

dixerat Bonifacius VIII. cap. nulli 12. q. 2. Quidquid Domino consecratur, siuè homo, siuè Animal, siuè Ager, vel quidquid aliud, Sanctum Sanctorum est Domino, & ad ius pertinens Sacerdotum, & ideò Sacrilegus est, qui illud aufert à Domino, & Ecclesiâ, Vastat, incendit, vel eripit, quod asserit nixus Sacræ Scripturæ autoritate, dicentis Possessio consecrata ad ius pertinet Sacerdotum. a Tum iubet excommunicari eum, qui postquam quid simile ab Ecclesiâ abstulerit, nolet ei restituere. Stephanus verò Papa cap. qui Christi 12. q. 2. ait, qui Christi pecunias, & Ecclesię aufert, fraudat, & rapit, vt homicida in conspectu iudicis Dei videlicet, deputabitur. Puto autem puniri, vt homicidam, quia Pauperum alimenta aufert, & Ministrorum Ecclesię, atq; adeo quantum in se est, eos occidit. Idem repetit Anacletus Papa Cap. Qui abstulerit 12. q. 2. cùm concludit, Ergo qui Christi pecunias, & Ecclesię rapit, vel fraudat, homicida est. Quare ea verba Canonis Indigne 12. q. 2. diligenter sunt ponderanda, Valde iniquum, & ingens sacrilegium est; vt quęcumq; vel pro remedio peccatorum, vel pro salute, ac requie animarum suarum vnusquisq; venerabili Ecclesię contulerit, aut certè reliquerit, ab ijs, quibus maxime seruari conuenit, idest à Christianis, & Deum timentibus hominibus, in aliud transferri, vel conferri permittatur, cuiùs indignitatis ratio est, quam subdit idem Pontifex Symmacus, quia temporalia religiosis animabus ad substantiam pauperum sunt relicta. Notentur ea verba, Valde iniquum, Ingens Sacrilegium. Magnam ergo iniquitatem, & ingens sacrilegium reputant Pontifices bona Ecclesię in alios vsus conuerti sine Papę autoritate, ab ijs, propter quos

a Leuit. 27. 21.

relicta sunt. Cùm enim sint destinata ad finem supernaturalem, nempe ad cultum Dei conseruandum, & augendum, & ideo sint Dei ex Conc. Tridentino sess. 25. c. 1. de refor. vbi prohibet Episcopis, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, donent consanguineis, & ex cap. Cum secundum Apostolum de præb. & Cap. Tua nobis eod. & cap. cum ex eo de elect in 6. & alijs iuribus in 12. q. 2. & 16. q. 1. & 7. Sintq; Patrimonium Christi, vt ea vocat caput Cùm ex eo de elect. in 6. non debent administrari, & dispensari, nisi per spiritualem potestatem, & per administratores, & dispensatores à Deo constitutos, qui sunt Rom. Pontifex, Episcopi, & alij Ecclesiastici.

3 Ex quibus satis concluditur nullum Principem Laicum posse concedere statutum, aut aliquid decernere de rebus temporalibus Ecclesiæ, vt etiam statuitur Cap. Bene quidem 96. d. cap. Ecclesià, & cap. Quę in Ecclesiarum de constit. & cap. vlt. de rebus Eccl. non alien: sunt enim extra obiectum temporalis potestatis laicorum, & ideo si quid de ipsis laici statuant, irritum erit, vt pote de re ad ipsorum potestatem non spectante. [a] Quod etiam ex ciuili lege probari potest. Nam §. Nullus Inst. de rerum diuis. dicitur. Quod Diuini iuris est, id nullius in bonis est: Non est videlicet sub puri hominis dominio, sed solius Dei, vt explicat glossa 161. & in l. 2. ff. de rerum diuis.

4 Et cùm sint bona Pauperum cap fin. 16. q. 1. eorum solus Papa est administrator, vt ex mente D. Th. probant Archidiaconus & alij, [b] qui idcirco dicunt eum peccare si alienet sine causa. Nec mirum est Synodum Ro. 4. sub Symmacho illud asserere, nempè non posse laicos aliquid quomodolibet de Ecclesiasti-

[a] Suar. contr. Reg. Ang. l. 4. c. 17. n. 6. cum. seq.

[b] Archid. in C. non debet 12. d. Bellarm. in C. non liceat Papæ 12. q. 2. Abb. Castr. Gem Iason. apud Thulcum u. Bona Ecclesiarum concl. ur.

siasticis facultatibus decernere, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscusè à Deo cura commissa docetur. Aduerte illud verbum, Qu...odlibet, satis enim indicat ex Sacri Concilij sen...ntia nullum omnino ius habere Principem Secularem disponendi de bonis temporalibus Ecclesiæ, siuè vt Princeps, siuè vt œconomus, siuè vt Defensor reip. quia non solùm vt Princeps, sed etiam vt œconomus, & defensor non deserit statum, & conditionem laici: non autem laici, sed Sacerdotum suorum Deus dispositioni facultates Ecclesię commisit Confirmatur quod dictũ est, quia etiam vt œconomus, & vt defensor reip. non potest grauare tributis, seu oneribus Deum, & Christum Dominum, cui sub quacumq; consideratione, siuè Principis, siuè œconomi, siuè defensoris reip. subiectus est. Ergo nec eius bona grauare potest, eiusq; patrimonium, cùm bona sequantur conditionem personæ tamquam accessorium principale, cui quasi adhærent; & quia solutio oneris super bona in ipsum dominum redundaret, cùm non nisi ab eo, vel eius administratoribus peti possint. Quæ ratio militat, etiamsi laici sequi nolint sententiam Nauarri dicentis bona Ecclesiastica esse sub dominio Dei proprio, ita vt nec Pontifex habeat eorum dominium, sed tantùm administrationem supremam, [a] nam etiam si sint sub dominio Ecclesiæ, & Pontificum, tamen ad ius Christi peculiari modo pertinent, cùm ad eius cultum, & honorem peculiariter sint donata, & ideo eius Patrimonium dicantur, & Bona Dominica, seu res Dominicę in Can. Apost. 39. quare Bona Christi sunt, & consequenter à laicis onerari non possunt.

[a] Nau. apol. de redit Eccl. q. 1. mon. 8. & 14. & nouori dic. tr. de red. Eccl. q. 1. mon. 16. 21. & 40. & q. 3. mon. 31. n. 7.

5 Adde quòd Ecclesia, & Pontifex sub cuius dominio sunt ea bona, non sunt subiecti Principibus

Laicis, nec ea bona possidet Ecclesia, vt Communitas Ciuilis, sed vt Ecclesiastica, & vt Corpus Christi Mysticum, atq; idcircò non subest Ciuili potestati Principum Laicorum sub aliquo respectu, siuè vt Principes sunt, siuè vt œconomi, ac defensores reip. sub his enim terminis maiorem potestatem non habent, quàm Ciuilem; & consequenter nec eius bona, cùm sint sibi accessoria, & suam conditionem sequantur, ciuili potestati sunt subiecta, quomodo libet, vt loquitur Concilium Rom. citatum, hęc potestas consideretur. a

a Suar. contra Reg. An. l.4.c.18.

§. V. *Argumentum ex dictis conficitur.*

1. Iniquum est bona Ecclesiastica grauari à laicis, quia non sunt ipsorum.
2. Idem ostenditur à simili.
3. Pro defensione bonorum Ecclesiasticorum non potest Princeps Laicus mercedem exigere ab Ecclesia.
4. Ponderantur verba textus dicentis nullam laicis esse attributam facultatem in res Ecclesiæ. Administratio rerum Ecclesiæ fuit iuris Ecclesiastici ab initio Ecclesiæ.
5. In quo sensu concedatur posse Ecclesiasticos ligari lege Principis Laici.
6. Ecclesiasticus non seruans Legem Principis Laici non peccat contra obedientiam ei debitam. Contra quid peccat.
7. A legibus laicis quomodo Ecclesiastici discedere non debeant.

1 Imo ex dictis loquendi modis à sacris Concilijs, & Summis Pontificibus vsurpatis, sic mihi videor arguere

guere posse: Extra necessitatem extremam Aliena bona grauare,quę sub nostra non sunt potestate, aut ea vsurpare inuito,&non consentiente Domino,iniquum, & iniustum est; At bona Ecclesię, & Ecclesiasticorum non sunt sub potestate Principum, & Magistratuum Laicorum, ergo Principes hi, & Magistratus ea bona grauare non possunt, aut vsurpare extra extremam necessitatem, inuita, aut non consentiente Ecclesia. Maior propositio ex se nota est: Minor ex dictis patet, quia bona Ecclesiæ sunt res Deo dicatæ,Diuini iuris, Ad ius Sacerdotum pertinentia, Patrimonium Christi. Quare optime ab Honorio Imperatore dicitur in leg. Placet C. de Sacrosſ.Eccl. Non decere res Deo dicatas humano seruitio esse obnoxias, & quæ Domini sunt, non debere seruo sub esse. Et ideo si quod Christus Dominus iussit, seruandum est, Reddite quę sunt Dei Deo, *a* cùm Ecclesiæ bona non sint Cęsaris, seu Principis Laici, sed Dei, non Cęsari, seu Principi Laico redenda sunt, sed Deo: Non in Principis videlicet laici vsus sunt impendenda, sed Dei.

a Matth. 22. 21.

2 Demum quod supra etiam innuimus, sicut iniustè, & iniquè ageret, qui Heluetiorum, verbi causa, bona in ditione Mediolanensi posita grauare vellet, collectas vi exigere ijs impositas, & talleas sine eorum reip. consensu, quia non sunt Principis Mediolanensis, neq; sub eius potestate, licet olim fuerint: sic iniquè, & iniustè agit laicus, qui Bona Dei,eiusq; Ministrorum grauat sine Ecclesiasticorum, Summi præsertim Pontificis consensu, quia non sunt Principis Secularis, nec sub eius potestate, licet aliquando fuerint, antequam ad Ecclesiam peruenirent, & quamuis ad eum spectet & à communi hoste defendere, cùm sit Ecclesiæ defensor.

3 Ob

3 Ob quam defensionem exigere non potest stipendium, aut vi auferre, si non detur; Sed Pietas, Religio, & Spiritualia emolumenta, quę ab Ecclesiasticis subministrantur, ad eam illum obligant. Quemadmodum si sub sua protectione haberet Rex Hispanus, v.g. aliquam Rem. aut Principem non subditum, non ideo auferre eorum bona posset, aut ea grauare in sua graui necessitate, non tamen extrema, nec leges ijs dare inuitis, aut aliquid pręcipere, vel cogere, vt pręcepta obseruarent à se imposita: cuius rei nō aliam rationem esse puto, nisi quia patrocinium non dat ius inuadendi in eius vitam, ac bona, qui sub eius patrocinio est constitutus. Supponamus ergo Heluetios, aut Genuenses, vel Venetos, aut alios Principes, vel Populos sub patrocinio Regis Hispani existere, obq; varia eorum Principum, ac rerum publicarum merita teneri ad eorum contra hostes defensionem, numquid hoc tempore grauis necessitatis in ditione Mediolanensi poterit Rex ille, aut Senatus Mediolanensis iubere illis annuam contributionem, aut si eam nolint admittere, in eorum bona insilire, & ea vi auferre? Non puto equidem id quemquam affirmaturum non alia de causa, nisi quia licet sint sub patrocinio Regis Hispani, non sunt tamen sub iurisdictione, & potestate. At Ecclesia, eiusq; bona pari passu procedunt cum Principe Laico, sunt scilicet sub eius patrocinio, & hic tenetur eam protegere vt etiam asserit Geminianus, a dicens Ecclesiam, & pia loca habere hoc priuilegium, vt licet Principibus Laicis non subsint, teneantur tamen hi ea protegere. Sunt ergo Ecclesia, eius bona, & Ecclesiastici sub patrocinio Principis Laici, at non sub eius potestate

a Gemin. cōs. 81. fin. v. sicut patet. Cap. Princeps 33.

potestate, & iurisdictione, vt pluribus iuris canonici textibus supra cap. 2. probauimus, in quibus Summi Pontifices Callixtus, Symmachus, Innocentius III. Nicolaus constanter asserunt in Ecclesiæ prædia, & facultates nullam esse de ijs disponendi attributam laicis facultatem.

4 Quorum Pontificum dictis si quis obsistat, de fide suspectus merito reputari potest; qui cum dicant, Nullam laicis esse attributam facultatem, excludunt omnem facultatem; quam prætendunt laici, non vt Principes, sed vt œconomi, & defensores, nam si sub his respectibus aliquam haberent, non dicerent cum veritate Pontifices nullam esse attributam facultatem, nam aliqua esset attributa ijs, vt reip. œconomis, & defensoribus. Quam veritatem illud verbum, laicis, confirmat, nam si laicis non est attributa facultas in Ecclesiæ bona, cum Principes, vt œconomi, & vt Defensores reip. semper sint laici, neq; sub his respectibus habent aliquam potestatem, siuè ciuilem, siue œconomicam in ea bona, alioqui non verè diceretur absolutè laicis nullam esse attributam facultatem, nam in aliquo respectu, seu consideratione laici aliquid possent in ipsa. Si ergo Ecclesiarum prædia non sunt sub potestate Principis laici, non poterit hic quicquam de ijs disponere, nec talleas, collectas, tributa, aut alia quæcumq; onera imponere, etiam ob communem vtilitatem, ac necessitatem non extremam, quia hæc non tribuit iurisditionem in non subditum, & contra Ecclesiæ priuilegia, vt cap. p. diximus. Et ideo administratio bonorum Ecclesiasticorum etiam immobilium à primis temporibus fuit Ecclesiastici iuris, & sub pote-

testa-

testate Ecclesiæ, vt habetur cap. Videntes 12. q. 1. Vbi Vrbanus primus, qui vixit anno 227. à Christo nato ait, Iam antea esse ordinatum à Summis Sacerdotibus, vt prędia, quæ dabantur Ecclesiæ, non venderentur, vt tempore Apostolorum fiebat, sed sub potestate Ecclesiæ conseruarentur, vt ex reditibus eorum melius prouideretur pauperum necessitatibus *a* Nec vllus textus reperitur, qui excipiat tempus grauis necessitatis Reip. & ideo hoc etiam tempore sunt sub potestate Ecclesiæ, vt pauperum necessitatibus prouideat ex eorum reditibus, non autem sub potestate alicuius laici, siuè vt Principis, siuè vt œconomi, siuè vt Defensoris reip. vt ex eorum reditibus consulat necessitati suæ, seu reip. sine Ecclesiasticorum approbatione.

a Suar. contr. Reg. Angl. l. 4. c. 31. n. 4.

5 At inquies supra cap. 1. concessum est posse Ecclesiasticos ligari lege laici Principis, ergo si Princeps legem ferat, vt omnia bona in suo territorio subeant tale onus, aut Collectam, ligabuntur etiam Ecclesiastici.

Respondeo me concessisse Ecclesiasticos in aliquibus posse ligari à lege laica, non tamen in ijs quæ sunt contra Ecclesiæ priuilegia, vt esset ea lex. Secundò, me concessisse posse teneri quoad vim directiuam, non quoad coactiuam, nam hæc ad Solos iudices Ecclesiasticos spectat. Tertiò me concessisse obligari quoad vim directiuam non vi iurisdictionis, avt potestatis alicuius ciuilis, aut œconomicæ, quam Princeps Laicus habeat in aliquo casu in Ecclesiasticos, cùm nullam habeat, & ideo ad eum non spectat condere leges pro Ecclesiasticis ad bonum reip. regimen pertinentes cùm nunquam sit eorum Superior. Sed si obligantur, obligantur ex approbatione

Summi

Summi Pon. tacita, quæ in nostro casu nulla est; imo oppositum statuit donec examinata sit necessitas communis ab Ecclesiasticis, & an laicorum facultates sufficiant, tum decernant an aliquid sit contribuendum, & consuluerint demum Ro. Pontificem. Aut etiam obligantur ob æquitatem naturalem, quæ dictat esse succurrendum à parte toti, quæ tamen non semper seruatur vt patet, cùm non omnes in eadem rep. subeant eadem onera, & multi sint priuilegiati, & exempti ab aliquibus oneribus, à quibus alij non sunt exempti, cuiusmodi sunt viri aliqui insignes, Doctores, duodecim habentes liberos, ac non nulli alij bene de rep. meriti.

6 Atq; ideò Ecclesiastici non seruantes legem Principis Laici non peccant contra obedientiam ei debitam, cùm nec ipse sit eorum Superior, nec illi eius subditi; sed peccabunt vel contra obedientiam debitam Papæ, qui sciens eam legem latam à Principe Laico non pro laicis tantùm, sed & pro Ecclesiasticis, & tacens cùm facile reclamare possit, videtur eam approbare, & Ecclesiasticam facere: vel contra legem naturalem iustitię, aut charitatis ad idem obligantem, etiam si nulla esset facta lex à Principe Laico: Verbi gratia Princeps Laicus statuit ne seratur oriza intra distantiam quattuor milliariorum alicuius ciuitatis, aut oppidi, quia res est valdè noxia saluti incolarum, tenetur Ecclesiasticus non serere, non quia Princeps Laicus iusserit, sed quia charitas exigit vt non faciamus id, quod valdè nocet proximo, aut etiam quia Pontifex sciens talem Legem à Principe Laico factam, nec contradicens pro Ecclesiasticis, cùm facile possit, eam pro ijs approbat. Idem est, cùm Princeps statuit pretium frumento, aut alteri rei

venali; si enim Ecclesiasticus pluris eam vendat, & supra pretium taxatum, non peccat, quia non seruat legem, seu taxam Principis Laici, nec iniustitiam committit quasi taxatum pretium sit iustum, & ideo plus iusto pretio vendat, nam iustitia pretij respectu Ecclesiasticorum non potest taxari à laico, qui in eos nullam habet potestatem: sed peccabunt vel contra iustitiam, quia res illa fortè secundùm se non tanti valet, quanti eam vendunt: vel contra obedientiam debitam Pontifici, qui in eam taxam tacitè saltem consensit *a*

7 Et hinc patet quare in temporalibus non debeant Ecclesiastici discedere à Ciuilibus sāctionibus; *b* quæ non sint contrariæ Pontificijs cap. 1. de noui operis nunt. vbi Lucius III. Papa vult causam inter clericos super capellæ constructionem terminari secundùm leges, quia Sanctorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuuantur. Et cap. innotuit de arbrit. vbi Gregorius IX. Papa dicit legali prouisione statutum est, vt compromissum de incerta persona in arbitrum non teneat. Quæ prouisio est in l. Item si vnus ff. de arbitr. §. si in duos; Vnde cap. si in adiutorium d. X. D. Augustinus ait se non reprehendere eum, qui leges terreni imperij in adiutorium assumendas putat. Et cap. de Capitulis d. X. ait Leo Papa IV. Lothario Imperatori curare se, vt eius leges custodiantur. Et cap. cùm ad verum d. 96. Nicolaus Papa testatur Pontifices pro cursu temporalium rerū imperialibus legibus vti. Quæ intelligenda sunt, vt dictum est cap. 1. Cùm Principum leges non sunt cōtrariæ sacris Canonibus, vt capite lege Imperatorum d. X. deciditur, dicitur enim imperiali iudicio non posse iura Ecclesiastica dissolui, & can. Inter hæc 33. q. 2. asse-

a Suar. de leg. l. 3. c. 34 Lud. Lopez de contr. c. 1 Grat. l. 2. dec. c. 57. Ignat. Lop. ad prax. can. c. si. Banne: de iust. & iure q. 6. a. 1. u. Ad 2. respon. ide . Garz. de vit. fin. a u. 158. ad. 163.

b Dried. de liber. Christ. l. 2. c. 1. propos 4. D. Th. de regim. Princ. l. 1. c. 12. Bel. l. 3. c. 6. Henr. l. 3. c. 15 r. 4.

2. asseritur, Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam legibus constringitur. Fauetq; Concil. Tridentinum sess. 25. c. 20. & caput Nouerit de sent. Excom. & lex cassa. C. de Sacr. Eccl. apud Sanch. l. 1. de matr. d. 6. n. 24 & in decal. l. 7. c. 3. n. 20. & Suar. l. 3. de leg. c. 34. Quare cùm grauare Ecclesiasticos, & eorum bona sit contra Sacros Canones, lex eos grauans non valet, etiamsi fiat tempore grauis necessitatis reipublicæ, modò periculum non sit in mora.

§. VI. *Idem suadetur, quia bona Ecclesiæ sunt deputata vsibus Sacris.*

1 Vsibus sacris deputata non sunt in alios vsus conuertenda inscio Papa.
2 Prædia Ecclesiæ non defenduntur à militibus.
3 Nec hostis pro ijs acquirendis bellum infert.
4 Defensio rerum temporalium Ecclesiæ, est vtilis reip. & ad eam tenentur Principes laici.
5 Ecclesiastici defendunt remp. orationibus, & alijs pijs operibus.
6 Valde prosunt tempore belli orationes, & sacrificia.
7 Aequitas non postulat vt Ecclesiastici grauentur tempore belli.

1 Illud etiam addendum in hac materia, deputata certo vsui sacro largitione fidelium non debere sine Papæ consensu ad alium vsum non sacrum conuerti. Clem. Quia contingit de relig dom. At bona Ecclesiastica sunt deputata certis vsibus sacris, cultui scilicet Dei conseruando, Missis celebrandis, spiritualibus subministrandis, orationibus faciendis, pro reip. imo totius mundi salute, Pauperibus, &

Ecclesiæ ministris alendis, ergo ad alium vsum, nisi Papa consentiat, non possunt transferri, idq; siuè ab Episcopis, siuè ab alijs Ecclesiasticis, & multò minus à laicis, quocumq; titulo prætendant, se id facere extra extremam reip. necessitatem. Nam tempore etiam grauis necessitatis debent spiritualia ab Ecclesiasticis persolui, & ipsi Ecclesiæ Ministri, ac Pauperes sustentandi sunt, & Dei cultus est in primis conseruandus. Quare quæ ad hos vsus sunt destinata non potest oeconomus, seu reip. defensor in alios conuertere, alioqui maiora incommoda patietur resp. Si Dei cultus non conseruetur, nec Pauperes, ac Dei ministri alantur.

2 At hi, inquiunt laici, commoda reip. participant, nam res ipsorum defenduntur, vt Prædia, Domus, suppellex, & ideo debent ad onera concurrere, vt ista defendantur. Sit ita. At quomodo temporalia Ecclesię bona defenduntur, si ipsi milites, qui dicuntur defensores, ea rapiunt impunè? Si primarij belli administratores illud vsurpant, se non agrorum custodes esse positos, sed Arcium? Si nullæ ergo priuatæ possessiones defenduntur hoc tempore belli, nec arcentur hostes ab earum infestatione quo pacto Ecclesiastica prædia defenduntur?

3 Præterea bellum in Italia verbi gratia non fit hoc tempore ab hoste Christianæ Religionis destructore, & ideo non contra Ecclesiæ possessiones arma directè impugnat, sed contra Arces, & Ciuitates; Agitur ergo directè de bono publico laicorum, non de priuato Ecclesiasticorum, nisi indirectè, & ideò, cùm non æquè agatur de necessitate publica, & de priuata, non tenentur Ecclesiastici quamdiù laicorum facultates sufficiunt, ei necessitati consulere. An

vero

verò laicorum facultates sufficiant, ipsi Ecclesiastici debent examinare, & nos cap. sequenti videbimus. Certe In Italia nunc res Ecclesiæ ab hostè non vexantur, nisi ob coniunctionem, vel commixtionem, aut vicinitatem, quam habēt cum rebus laicorum, & ideo vexantur ne Arcibus subsidio sint fructus Ecclesiastici; Multa etiam furto, & rapina auferuntur, nec miles amicus ea tuetur, sed si Ecclesiastici aliquid seruant, ex industria potius propria illud seruant, quàm ex domesticorum militum virtute.

4 Sed defendantur, vt asseritur. Non ideo persoluere aliquid debent Principi defendenti, nam tenetur res Ecclesiæ tueri, cùm ex earum defensione maxima vtilitas in ipsum, remp. & laicos omnes redundet: Nam si ac non defendantur, non habebunt Ecclesiastici quibus sustententur, quare nec sacrificia pro laicis, Principe, & rep. offerre, nec Sacramenta ministrare, nec in Verbi Dei prędicationem incumbere, nec in alijs se Christianæ pietatis operibus poterunt exercere, à quibus si abstineant, maximum erit laicorum damnum.

Præterea multa Principibus laicis concesserunt Pontifices priuilegia, & alia, vt eam defensionem susciperent, non concessissent autem si eam putassent deserturos tempore belli, vel alio eam exigente. Tenentur ergo ad hanc defensionem, quasi ex contractu cum Ecclesia, & ideo aliud ijs dare ipsa non tenetur.

5 Demum non ne Ecclesiastici tempore tante necessitatis defendunt rempub. suis orationibus, sacrificijs, & alijs pijs operibus? Cur ergo volunt Principes laici, & Magistratus etiam tributa ab ipsis? Certè id est maiorem obligationem ijs imponere, quàm

quàm laicis, ab ijs enim exiguntur temporalia, & spiritualia pro defensione reip. ab his sola temporalia. Satis autem esse grauatos, qui in orationes, & alia spiritualia incumbunt pro populo ex obligatione sui status, ac muneris testantur Ancharanus, Castrensis & Abbas *a* dum propterea Ecclesias meritò dici subire onera in populo, pro vt alij, asserunt, & quidem meritò, nam laici onera subeunt militiæ temporalis, Ecclesiastici verò militiæ spiritualis.

a Anchar. cons. 61. Cas cons. 157. l. 2. Abbas cons. 3. l. 1.

6 Nisi quis forte velit remp. ad sui defensionem egere tantùm temporalibus subsidijs, & per orationes, sacrificia, & alia Spiritualia non conseruari lares ab hostium aggressione, nec esse apta media in bello humano contra Bombardas, Sclopos, enses, & inimicorum ferociam. Neminem id, non dico Pium, & Catholicum sentire arbitror, sed historiarũ lectione parumper aspersum. Quis autem Pius, & Catholicus hanc impiam, & hęreticam vocem proferet. Non prosunt tempore belli Orationes, & Sacrificia, prosunt tantùm nummi, & alia temporalia subsidia? Nonne olim Gentiles Romani, & aliæ etiam nationes ad numen confugiebant per preces supplicationes, & sacrificia, vt victoriam ab hostibus reportarent, aut eos à muris arcerent, aut longe à propria ditione detinerent? Sine ope diuini numinis Rẽp. gubernari non posse aiebat Plato *b* vnde Ciuitas Leodicensis in domus publicæ antipagmentis eum inscripsit versum stare diu nescit, quod non fulcitur ab alto. Iure ergo, ac meritò Cambyses Persanum Rex filium Astyagem ad bellum proficiscentem eo monito *c* veluti firmissimis Clypeo, gladio, & omnibus armis muniuit: Dei esto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediaris nisi diuino numine implorato.

b Plat. l. 1. de leg.

c Cochier. in aphor. pol. t. l. 2. c. 11.

Non

a Non ante negotia siue publica, siue priuata aggrediebatur Scipio Aphricanus quàm ad Iouis Capitolini Sacellum se contulisset. b Gentilibus ergo erit Christi sacris imburus, magis impius, & infidelis, qui neget Orationes, & sacrificia valde prodesse in armorum tumultibus? Quòd si ab hac impietate non desistat, eum ad historias prouocabo, eas adeamus, & inueniemus Constantinum Magnum S. Antonij Eremitæ precibus se per litteras commendasse, multasq; victorias contra Sarmatas, Gothos, & alias barbaras nationes precibus magis, quàm armis esse consecutum, c quare tum ipse, tum Constans pronunciarunt ea verba, scientes magis religionibus, quàm officijs ex labore corporis, vel sudore nostram remp contineri, vt refertur cap. In qualibet 23 q. 81. Martinianum Imp. precibus S. Leonis, & Sacrificijs Imperij sui firmitatem niti putasse. Nisibem Vrbem Iacobum eius Episcopum à Saporis Persarum Regis obsidione, cùm iam muri deiecti essent, liberasse culicum, & huiusmodi animalculorum immisso in eius copias exercitu. d Aurelianę Ciuitati Anianum Episcopum Oratione celerrimum impetrasse subsidium cū iam fere in hostis Attilæ manus ruitura cecidisset: e Ab Ottone Rege orante cum suis fusas esse magnas hostiū copias nullo suorum, quamuis paucorum amisso milite; f A B. Laurentio Iustiniano Venetorum res iam perditas instauratas esse oratione: Seruatum exercitum Aurelij Antonini, Imp. ab innumera Barbarorum multitudine, pluuia eidem exercitui iam siti enecto, cùm quinq; diebus potu caruisset impetrata atq; in hostiles turmas grandine fulminibus mitta orationum vi immissa; g Teodosium iuniorem pro militibus fulmina, pestem, ignesq; è Cęlo orationis beneficio conscripsisse

a Herodotus apud cochle. l. c.

b Plut. apud eundem.

c Ruf. l. 1. hist. Eccl. c. 8.

d Niceph. Eccl. hist. l. 9. apud Baron. an. 338.

e Greg. Tur. l. 2. c. 7. hist. Franc. apud Baron. an. 45. & Surium 17. Nou.

f Luitpr. l. 4. c. 11. Sigeb. an. Dom. 938.

g D. Iust. ep. 5. ad calcem apol. 2. pro Christ. Oros. l. 7. c. 15. Niceph. l. 4. hist. Ec. c. 12. Amm. Marcel. in vita M. Antonij.

scripsisse, barbarisq; Romani Imperij fines inuadentibus extremam cladem intulisse; *a* Famæ laboranti Amaseę Ciuitati tum propter amicos exercitus, tum propter hostiles S. Eutychij precibus per multos dies copiosa annona consultum fuisse. Inclinatum Theodosij maioris exercitum ita oratione confirmatum fuisse, vt tela ab hostibus iacta in eosdem retorquerentur: *b* Vi orationum, & sacrificiorum à Monachis quibusdam factorum Sartum, tectumq; seruatum esse castrũ Antisiodorense à validissimo exercitu Roberti Regis; *c* Innumera alia facile quiuis leget, quæ tempore belli, & aliarum necessitatum reip. plus orationes, & sacrificia Religiosorum Virorum, ac Mulierum, & Sacerdotum profuisse ostendent, quàm integros, ac validos exercitus, & plega ęraria. Et ideo forte in grauissimis afflictionibus S. Leo, alijq; Summi viri frequentiora Missarum, & Orationum adiumenta comparabant, quàm alijs temporibus. *d* Meminisse etiam oportet Moysis precibus Amalechitas debellatos, qui armis vinci non poterant, dum ab oratione ille desistebat, vincebantur autem, cùm orabat, *e* Samuele orante victos fuisse Philisteos, *f* Presbyteris deprecantibus bene cessisse Iudithe consilium contra Holophernem Betulię obsessorem. *g* His enim armis se imprimis protegendam curauit, Ciuitatem suam ab obsidione potentissimi exercitus liberatura, Sacerdotum scilicet orationes poposcit, orate, inquit, vt firmum Deus faciat consilium meum. Nihil aliud fiat nisi oratio pro me ad Dominum Deũ nostrum. Dauidem, Ezechiam, Iosiam, Asam, Nemiam, Machabęos, & alios veteris testamenti Patres per preces, & Sacrificia feliciorem reddidisse temp. quàm per arma. Idem nostris temporibus

accidere

a Hist. Trip. l.12.c.12.

b Ruf. l. 2. c. 33. socr. l. 5. c. 4. Theod. l. 5. c. 24 Baron. an. 934.

c Glaber. l. 2. c. 8. Baron. an. 998. Vedi delle dette cose il Dauouitio al c. 2. tit. x1. col. c. 5. tit. 25. n. 1.

d Baron. an. vib. n. 4.

e Exod. 17. 11.

f 1 Regum. 7

g Iudit. 8. u. 31 33. & c. 13. u. 9.

accidere arbitror, quibus Mediolanensis ditio non exercituum valde imminutorum virtute, non militum multitudine, non plurimorum ducum peritia, non copia pecuniarum valde munita, ab hostibus non subiugatur, id enim plus Ecclesiasticorum sacrificijs, precibus, & alijs pietatis operibus ascribendum est, quàm militari scientiæ, aut potentiæ. Sed de his hactenus, non enim pluribus puto confirmandum, quod apud pios homines certissimum est, plus orationibus, & sacrificijs in Regnorum defensione, & Ciuitatum tribuendum esse, quàm armis, cùm illæ diuinum numen placent, & ad custodiam eorum illud impellant, non hæc ideo illis validius pugnari contra hostes, quàm his, easq; omni validissimo apparatui præualere, cùm fidendum sit diuinæ potius, quàm humanæ potentiæ.

7 Cùm ergo Ecclesiastici orationibus, & sacrificijs Vrbes, tum in pace, tum in bello maximè iuuent, non postulat æquitas vt temporalibus oneribus grauentur ob earum defensionem tempore belli sine eorum consensu, si prǽsertim laicorum facultates satis sint ad eam. Nec æquum est laicum aliquem, bonorum Ecclesiæ suo arbitratu esse quasi dominum sub prætextu defensionis reip. aut politicæ, vel œconomicæ potestatis, velleq; eorum fructus, velint, nolint Ecclesiastici in militum vsum consumi, vt laicorum facultates seruentur, superfluæ præsertim ad eorum moderatum statum, & conditionem. Imo Principes lege religionis, obseruantiæ, & gratitudinis obligati sunt, teste doctissimo Viro Lessio,[a] ad habendos Ecclesiasticos exemptos, & ad eos eximendos à tributis, & oneribus.

[a] Less. de iust. l. 2. c. 33. d. 4. n. 31.

Imo tantùm ab est, vt æquum sit tributa, & onera

V. solui

solui ab Ecclesiasticis in necessitate Reip. vt illos æquius sit tributis, vel saltem stipendijs honorari, vt ponderat Albanus tract. de immun. Eccl. cùm magis defendant ipsi Remp. orationibus, & sacrificijs quam alij armis; vt enim Moyse orante vincebant Hebræi pugnantes, eo ab oratione desistente arma ijs non proderant, sed hosti succumbebant, sic nisi Ecclesia per suos ministros oraret, nihil arma Christianis prodessent. Tributa tamen ob id, aut Stipendia non petit Ecclesia, illud orat tantummodo vt exemptionis suę à tributis, & oneribus priuilegia sarta, tectaq; sint, & bona propria ad moderatum victum, & vestitum suorum ministrorum, & ad Dei cultum conseruandum necessaria, immunia relinquantur, nec ad contributiones compellantur sui ministri cum ea vix satis sint ad modestas impensas iuxta eorum status decentiam, & diuini cultus necessitatem.



CA-

CAPVT DECIMVM

An in Italia ſit tanta neceſsitas belli præſentis tempore, vt poſsint, ac debeant Eccleſiaſtici grauari contributionibus.

§. 1. Non eſt arguendus Summus Pontifex, nec Eccleſiaſtici, ſi in contributionem petitam non conſenſerint.

1 *Ad extremam neceſsitatem non ſunt res hucuſq; redacta.*

2 *Grauis eſt neceſsitas reip. hoc tempore belli. Nondum tamen Epiſcopi cum Clero examinarunt an laicorum facultates ſufficiant.*

3 *Non ſufficere laicorum facultates ſentiunt laici eſſe manifeſtum.*

4 *Excuſatio eorundem ab inobſeruantia ſacrorum Canonum in procuranda contributione ab Eccleſiaſticis.*

5 *Rogatus Summus Pontifex non iniuſtè egit, ſi petitis non annuit, vt nec alij Eccleſiaſtici.*

6 *Papa à nullo corrigi poteſt.*



Em arduam aggredior, nam ſi affirmem eſſe tantam neceſſitatem, vt poſſint Eccleſiaſtici grauari, vereor ne Eccleſiaſticorum, ſi negem, ne laicorum offenſionem incurram. Rogabo tamen vtroſ-

que vt indignationi parcant, dum rei veritatem inquirimus. Pro qua ſtatuenda.

1 Illud quod eſt certiſſimum, ſupponendum eſt, In extrema neceſſitate non eſſe hucuſq; Dei beneficio res in locis bello ſubiectis conſtitutas, cùm nec Arces obſideantur, nec hoſtes ſint ad Vrbium muros, nec ità ijdem in aliqua ditione verſentur, vt eam ad vltimam redigant inopiam.

2 Grauem eſse neceſſitatem nemo ambigit, quę longo temporis decurſu durauit, & fortè etiam durabit, niſi ſupremum numen ſubueniat. An vero laicorum facultates ad eam auertendam ſufficiant, nec ne, nondum Epiſcopi cum Clero deliberarunt, vt Sacri Canones faciendum eſse præſcribunt; An etiam ſit tanta neceſsitas, vt in petendo ſubſidio ab Epiſcopis, & Clero, & à conſulendo Rom. Pontifice, periculum aliquod in mora ſubeatur, controuerſum eſt.

3 Neceſſitatem eſſe talem, vt in magno ſit periculo reſp. res eſt manifeſta, inquiunt laici, vt etiam eſt manifeſtum laicos ſuis facultatibus non poſſe illi ſufficere, atq; adeò opus eſſe Eccleſiaſticos ſubſidia miniſtrare, ęrarium enim publicum eſt exinanitum, tot ſunt laicis impoſita onera, vt ęgrè admodum ſibi, ſuęq; familiæ neceſsaria prouidere poſſint, multi etiam non habent vnde ea onera poſſint ſuſtinere, qui idcirco vel mendicare coguntur deſertis poſſeſſionibus ſuis, vel ad eam conditionem reduci, vt priſtinum familię ſplendorem conſeruare non valeant. Quæ cùm ſit res omnium oculis ſubiecta, maiori non eget probatione, aut examine.

4 Si ita eſt, vt dicunt laici, cur ob reuerentiam

sacris Canonibus debitam, & ipsi Ecclesię non petũt ab Ecclesiasticis, vt necessitatem considerent, & facultatum laicarum impotentiam, statuantq; idcirco subsidium aliquod? Aut si hoc recusant, cur non ad Summum Pontificem recurrunt, vt eos ad id compellat? Factum est, iniquiunt laici, & nihil obtentum est. Cùm ergo Summus Pontifex non prouiderit, ac iustè requisitus subsidium negare non potuerit, censetur concessisse quod petitum est. Atq; idcirco nulla iniquitas admittitur si contra bona Ecclesiasticorum aliquid admittitur sine lęsione personarũ, cùm id fiat ex tacito consensu Summi Pont. nam qui ad iustè petita non respondet, ea censetur tacitè concedere ex Doctoribus apud Dianam. *a* Et ea regula iuris vsurpari potest, qui tacet consentire videtur.

a Dian. t. p. tr. 2. res. 49.

5 Sit ita sanè. Papa non concessit petita, Ecclesiastici in petitam contributionem non consenserunt, ergo ne arguendus est de iniustitia Summus Pontifex, & Ecclesiastici omnes? Iustè petitis non respondens, aiunt, ea concedit; Vultis ergo Summum Pontificem tacitè concessisse, quia tacuit? At id negant Ecclesiastici, quia allata iuris regula tunc locum habet, vt ipsi iuris periti explicant, cùm quis in rebus sibi vtilibus tacet, non verò cùm in noxijs sibi, vt puto, vel alijs, in quibus silentium non consensus, sed dissensus reputatur, iuxta aliam iuris regulam, qui tacet, non consentire videtur. Nam in maximè præiudicialibus sciens, & tacens non habetur pro consentiente l. penult. ff. de furtis, & ibi Doctores, *b* vnde Iason optime docet requiri expressum consensum, tacitum non sufficere. Illudq; addit cum alijs, *c* nempe Sciens, & Tacens non pręsumitur consentire quando non potest impedire actum.

b Glos. in l. 2. C. de acquirendi posses. Bart. n l. Quæ dotis ff. solut. matr. Iason. ibid. n. 104.

c Iason, l. c. n. 95. Rec. in C. causã matr. n. 7. de offic. de leg. Paris. cõs. 93. n. 45. apud Menoc. consil. 402. n. 78. 79.

In

In nostro autem casu petita sunt Ecclesiasticis noxia; nempe, vt ij grauari possent, & vt tenerentur sua dare reip. ante examinatam iuxta Sacros Canones necessitatem. Quare iustè peti contributionem negant Ecclesiastici, aut saltem de iustitia ambigunt. A Laicis ergo iniquè agitur, cùm iniustitię, & iniquitatis arguuntur Summus Pontifex, & Ecclesiastici omnes. Impium est id, cùm Ouium non sit condemnare pastores; Nec laici plerumq; Theologię ignari sibi iustè vsurpant potestatem asserendi Summum Pontificem, & Ecclesiasticos omnes peccare non annuendo petitis. Iustè hæc esse petita prius probandum esset, quod tamen non fit. Sed demus iustè petita esse.

6 Supponamus ergo Episcopum cum Clero noluisse examinare necessitatem communem, & laicorum facultates, aut ijs examinatis negasse subsidium reip. Ad Papam itum est, vt Ecclesiasticos compelleret ad contributionem, nil concessit. Num ab alio corrigi potest, si fortè iniustitiam committit? Non arbitror, cùm non habeat in terris Superiorem. Idem in hoc casu faciendum est, quod fit, cùm supremus reip. Princeps iniustè aliquid agit; Ab inferiori corrigi non potest, Superiorem non habet, quid agendum? Nihil aliud superest, nisi patienter tolerare, & à Deo vindictam expectare, nec bonum esset remedium alterius Prouincię Principem adire, aut Magistratum, vt nostrum Principem, aut Magistratum compelleret ad iniustè actorum emendationem, cùm hic nihil iuris habeat in alterum non subditum. Malum esset hoc vti remedio, at cur non erit malum negante, aut nolente Pontifice contributionem pendi ab Ecclesiasticis in aliqua ditione ad Magistratus seculares recurrere,

vt

vt cogant ad eius solutionem? Id nihil aliud est, nisi per alterius ditionis Principem cogere, imo quod peius est per inferiorem, supremam potestatem in terris, Pontificiam videlicet, ad id, quod volumus. Quod ponderat Suar. l. 4. contra Reg. Angl. c. 34. n. 7. Sed his ommissis.

§. *II. Ponderantur rationes, quibus motus Summus Pontifex non annuit postulatis laicorum.*

1 Facultates laicorum sufficere primò probatur pompis, & superfluis expensis laicorum.
2 Secundò probatur non teneri Ecclesiasticos contribuere, quia si velint laici, possunt se à necessitate eximere, bene dispensando, quæ accipiunt ob belli sumptus à populis.
3 Tertiò subsidium ab Ecclesiasticis dandum non liberaret remp. à necessitate, in qua est, sed Ecclesiam ei subijceret. Quod subductis calculis probatur.

1 Iniustè agere Summum Pontificem, & Ecclesiasticos immeritò conqueruntur laici, cùm pluribus rationibus ad postulata non concedenda permoti fuerint. Eas oratorem Ecclesiasticum proposuisse hoc modo supponamus ante annum millesimum sexcentesimum quadragesimum sextum.

Beatissime Pater, Laici contributionem ab Ecclesiasticis petere non debent, non enim hucusq; ea est necessitas, cui subueniendę ipsorum facultates non sufficiant, licet sibi credi velint eas esse insufficientes ad onera belli sustinenda, quare non sumus in casu, in quo Sacri Canones concedant ab Ecclesiasticis subsidium conferri, atq; ideò nec nos concedendum putamus

putamus, nec Sanctitas veſtra laicorum petitis annuere debet. Sufficere ipſorum facultates luce clarius Sanctitati veſtræ oſtendam. Quis enim credat eas facultates eſse belli oneribus ſuſtinendis inſufficientes, quæ tot pompis ſufficiunt, quæ inter ipſa bella cernuntur in veſtitu, rhedis, famulis, equis? Cur tot expenſæ ſuperfluæ fiunt, quarum dimidia pars ſi in onera belli conferretur, maius conferretur ſubſidium reip. quàm ex opibus Eccleſiaſticorum ſperari poſſit? Mirum eſt quanta expendantur in muliebribus veſtibus, & ornamentis, in Rhedarum curioſitate, in famulorum numero, in eorum veſtium vniformi diuerſitate, in Equorum multitudine, in menſarum apparatibus, in Chorearum frequentia, in recreationum aſſiduitate, quarum rerum ſi modeſtior eſſet vſus, nullum exiſtimationis, & conditionis ſuę facerent detrimentum laici, & haberent quibus Principi ſuo abundè ſubuenirent. Non omnium hæc ſunt, veriſſimum eſt; At ſunt multorum, & ideo ſatis oſtendunt non eſſe remp. in tanta neceſſitate, quantam prædicant laici, cùm parcendo ſuperfluis ſumptibus poſſint multi ei conſulere ſine Eccleſiaſticorum ſubſidio.

2 Præterea poſſunt Principes viri, poſsunt Magiſtratus ſine Eccleſiaſticis opibus ſubuenire reip. modò velint ea, quę à laicis ſubminiſtrantur, bene diſpenſare. Non eſt ergo neceſsitas inuoluntaria, cùm facile ei occurri poſsit, ſi voluntas adſit: quod ſi non occurrunt, non alia de cauſa id agunt, niſi vel vt Eccleſiaſticorum grauaminum aliqua ſit excuſatio, vel vt ipſi, ad quos id ſpectat, diteſcant. Quod ſi fortè negent id eſse verum. Hoc nos Eccleſiaſtici pactum cum ipſis libenter inibimus: Dent nobis, quę amicę

Prouincię

Prouinciæ submittunt, & quæ in ditione, in qua bellum viget, à laicis subministrantur pro sustinendo exercitu, & militibus, nosq; omnes expensas faciemus opportunas, stipẽdiaq; militibus dabimus, quodq; deerit ex, nostro supplebimus. Renuunt? Certè id indicat sufficientia haberi sine Ecclesiasticorum cõtributione, sed illa male dispensari, cùm nolint illa Ecclesiasticis concedere cum hoc pacto, vt si quę deerunt, nos suppleamus. Aut saltem si nobis dispensatoribus non fidunt, non negent Prudentes aliquos, & bonæ conscientiæ viros, siue laicos, siuè Ecclesiasticos, siuè ex vtriusq; mixtos eligi à nobis, quibus ab amicis Prouincijs missa, & collecta ex laicorum bonis in ditione bello vexata ad onera belli sustinenda, dentur, vt bellici sumptus fiant, & militibus stipendia soluantur; Si huic conditioni annuant bellicarum rerũ administratores, non solùm numerosus exercitus aletur, sed & supererunt, quę in alios vsus expendantur. Quòd si verè illa ad hæc non sufficient, tunc nos Ecclesiastici omnia libenter suppeditabimus, quę laici suppeditant, ęquamq; cùm ijs sortem subibimus in oneribus, & tunc, vt id concedat Sanctitas vestrà, enixe rogabimus. Si neq; id à laicis administratoribus admittitur, certissimè tenendum est, non esse remp. in angustijs ob defectum laicarum façultatum, sed ob defectum iustę distributionis pecuniæ ipsius, tum aliundè missę, tum ex tributis, & alijs oneribus collectæ; atq; adeo necessitatem, quæ affertur, prouenire ex aliquorum vitio, furto, vel mala administratione; cui Principales Ministri prouidere tenentur sub graui peccato inuigilando, curandoq; vt exactores, & alij, quorum est munus, iustè, rectèq. suas expleant partes, non autem contendendo contra Ecclesiam, Ec-

clesiæq; Ministros, vt ab his tributa, collectæ, aliaq; extorqueantur, quæ modicè admodum remp. subleuarent, si concederentur, nec in necessitatibus subuenirent, quin eę perduraturæ essent, & in angustijs adhuc Respub. esset futura. Etenim cùm per vim ab Ecclesiasticis nunc extorqueantur ea onera, & contributiones, quę laici vellent ab ipsis sponte, & vestræ Sanctitatis consensu solui, quid leuaminis sentit Respub. ob id subsidium violenter exactum? Nullum profectò ipsis laicis testibus, qui adhuc remp. suam esse in grauissimis necessitatibus conquerùntur; Dei fortè hæc est iustissima dispositio in pęnam violentiæ rebus suo cultui, ac suorum Ministrorum vsui dicatis adhibitę. Si ergo nunc subsidium ab Ecclesiasticis inuitis extortum Reip. miserias, ac necessitates parùm, aut forte nihil imminuit; imminuent ne, si idem sponte, & cùm vestræ Sanctitatis approbatione dabunt? Voluntas, & consensus, non augent subsidij quantitatem, si ergo istud coactum non subleuat Remp. vel parùm admodum, nec subleuabit, si erit idem spontaneè datum.

3 Vt autem Sanctitatis vestræ oculis subijciam parùm, aut nihil profuturum reip. subsidium, & contributionem, quam à Sanctitate vestra supplices exposcunt laici, hoc breuiter vtar computo. Triginta nouem ab hinc annis acepta sunt bella in Italia (anno enim millesimo sexcentesimo decimo, & ante etiam Milites sustentari cæperunt, pręsens autem annus est millesimus sexcentesimus quadragesimus nonus) belli sumptus fuere semper continuati, atq; hoc paucorum annorum spatio in sola Mediolanensi ditione supra ter millies, & centies centena millia nummorum aureorum, ideſt plusquam trecenti, & decem millio-

nes

nes. Rem magnam, veriſſimam tamen aſſero, quam peritiſſimus earum expenſarum Vir ſubductis calculis vſque ad annum 1645. comprobauit, comprobarem ego etiam fuſius, ni vererer ne Sanctitas veſtra tędio afficeretur. Id eſſe certiſſimum ſciat Beatitudo veſtra. Iam verò ſi tot milliones in triginta quinq; annos diſtribuamus. (omittimus autem omnes proximè pręteritos ab anno 1645. vſque ad 1649. quia expenſarum eo tempore factarum non eſt hucuſque ſubducta ratio: quas tamen alijs inferiores non fuiſſe vnuſquiſque, qui eius ditionis bello vexatæ onera, & pecunias aliunde aduectas nouit, ſibi facile perſuadebit) ſingulis annis expenſi ſunt nouem ferè milliones, & adhuc expenduntur, hi collecti ſunt potiſſimùm ex mercibus, vectigalibus, ſalis venditione, ac bonis immobilibus, quæ in ditione Mediolanenſi reperiuntur, in qua ſunt ad centies octingenties centena millia perticarum, vt vocant, id eſt Quadragies, centena millia, & quingenta alia millia iugerum, camporum, vinearum, pratorum, nemorum, ideſt Decem, & octo milliones, vt ex peritiſſimo viro curioſus hoſpes didici, ex quo etiam accepi Eccleſiaſticos minus quarta earum parte poſſidere quatuor videlicet milliones perticarum ſeu decies centena millia iugerum, ad Eccleſiam pertinere. Pingui enim Mineruа, non adamuſſim ago, & plus tribuo, quàm re ipſa habeant: Ex his eam partem tantùm non eſſe exemptam contendunt laici, quæ ab anno milleſimo ſexcenteſimo ad hoc vſq. tempus Eccleſiaſticis eſt attributa; reliquam partem non ſubiacere oneribus à Principe impoſitis ab eo anno, & in poſterum imponendis concedunt, cùm in libris communitatum non ſit deſcripta; Demus ergo ijs decies centena millia

perticarum, ſeu ducenta quinquaginta millia iugerum eſſe Eccleſiæ acquiſita ab eo anno milleſimo ſexcenteſimo, pro his onera ſi ſoluant Eccleſiaſtici ęquè ac laici bonis immobilibus impoſita etiam pro militum hoſpitatione vix centum quinquaginta millia nummorum aureorum colligentur. Quid hi ſunt ad nouem milliones comparati? Exigua certè particula, quæ ſuſtentationi exercitus per vnam hebdomadam vix ſufficit. Vt hinc ſatis appareat, laicos, onera Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum velle, non vt reſp. ſubleuetur magnitudine ſubſidij, cùm hoc exiguum ſit futurũ, & ea, illo conceſso, nihilominus ſit in eadem neceſſitate futura, ſed vt ſubiectam habeant Eccleſiam, & ipſius miniſtros vectigales per tributa efficiant. Et hinc Sanctitas veſtra colligat veriſſimum eſſe quod ſupra dixi, neceſſitatem Reip. ex mala nummorum diſtributione prouenire: Nam ſi quatuor milliones aureorum dati eſſent ſingulis annis prudenti, verſato in his rebus, ac bonæ conſcientiæ diſpenſatori, non ſolùm pluſquam viginti millia peditum, & quinq; millia equitum commodè ſuſtentata eſsent, & alia neceſsaria pro tanto exercitu comparata, ſed & ſuperfuiſsent totidem milliones ſingulis annis. Fiat ſequentibus temporibus hęc experientia; Aut laici Eccleſiaſticis eamdem ſummam ſubminiſtrent cum obligatione alendi exercitum viginti millium peditum, & quinq; millium equitum, vel eum quem hoc tempore alunt, ac ſubminiſtrandi omnia ad bellum neceſſaria, & ſupplendi ex bonis Eccleſiaſticis ſi quid forte deerit. Eccleſiaſtici hanc conditionem libenter accipient, Vt id laici facturi ſint, valde vereor.

§. III.

§. *III. Iniustitia seruatur in exigendis oneribus, ide o vrget necessitas.*

1 Iustitia non seruatur cum omnibus, quia non compelluntur omnes laici soluere onera, quæ deberent.
2 In hospitatione militum eadem iniustitia cernitur.
3 Eadem cernitur iniustitia, quia militum furta impunè tolerantur.
4 Non opus erit grauare Ecclesiasticos, si iustitia in dictis seruetur.
5 Exactorum iniustitia cum rusticis.

1 Illud tertio loco addam Beatissime Pater (quod tamen cum superiori argumento conuenit, quo posse subueniri Reip. necessitati, si Principes viri, & Magistratus velint sine Ecclesiasticorum contributione ostendi) si iustitia cum omnibus seruaretur, & compellerentur omnes laici soluere onera imposita, quæ debent, non esset ea necessitas, quæ prætenditur. At multi Magnates se propria potentia eximunt ab ijs soluendis, ideoq; vel Resp. eo subsidio careat necesse est, quod non est leuis momenti, vel si eo non fraudetur, grauentur alij minus potentes, & onera à potentioribus debita inter eos distribuuntur, cõpelluntur q; supra taxam proportionatam contribuere, & hinc est quòd multi ad grauissimam necessitatem rediguntur, alijs interim iniquè ditescentibus, quorum minas, artes, & potentiam verite rusticorum turbæ, imo & locorum, Ciuitatumq; Communitates, in quibus vel ipsi Magnates dominantur, vel alij

coniunctione

coniunctione sanguinis, vel amicitia, ac familiaritate eis iuncti, aut aliquid ab ijs sperantes, vel timentes, hiscere non audent, aut quicquam petere, vel vi agere vt soluant quod debent. Imo quod accidisse aliquando mihi nunciatum est, dicam Beatissime Pater, Delegantur Viri nobiles non rarò, qui pro militibus, & exercitu fęnum, & alia, quæ opus sunt, imperent. Venit eorum aliquis in Prouinciam sibi destinatam, in qua bona immobilia possident tum aliqui Ecclesiastici, tum aliqui laici primarij. Expectabis Beatissime Pater, illum laicis iussisse frumentum, fęnum, & alia dare, de Ecclesiasticorum bonis nihil decreuisse, vt ęquum erat; Fallitur Sanctitas vestra, Parcat quęso, si hoc vti compellor verbo, Non enim ita factum est. Quid igitur? Imperauit ne, vt ab Ecclesiasticorum domibus, ęquè ac laicorum acciperētur suppeditanda exercitui? Tolerabile id esset, si ęquale onus vtrisq; esset impositū. Ergo ne ęquitas seruata non est, sed plus imperatum est Ecclesiasticis, quàm laicis? Hoc etiam ferendum esset. Accipe Beatissime Pater, insignè iniustitiæ, iniquitatis, atq; irreuerentiæ erga Ecclesiam exemplum. Laicis ditioribus pepercit, ab Ecclesiasticis iussit fænum auferri, quo opus habebāt pro suis iumentis sustentandis ad colendas Ecclesiæ possesiones necessarijs. En ęquitas Laicorum erga Ecclesiasticos. Cùmq; delegatus moneretur esse multam fęni copiam in hac, & illa domo rustica quorundam Laicorum, ab jis prius acciperet, tùm ab Ecclesiasticis, Non id faciam, inquit, ne inimicitias contraham cum ijs laicis, qui si aliquando eligentur Delegati in ea Prouincia, in qua meę sunt possessiones; par pari referent. Animaduertat nunc Sanctitas vestra, an credendum sit non habere

laicos

laicos facultates sufficientes subleuandæ Reip. cùm seruentur laicorum bona, vt Ecclesia contribuat, magisq; timeant delegati iram laicorum aliquorum, quàm Dei. Vnum hoc attuli factum, plura similia afferrem, nisi vestræ Sanctitatis satietatem vererer.

Iniustè ergo agunt laici Magistratus, ac Princeps, cùm potentiam aliquorum non comprimunt, ab eisq; onera non exigunt, quæ debent, maluntq; alios tenuiores laicos grauari, & Ecclesiasticos, quàm Magnates illos. Quæ iniustitia in hospitatione etiam militum maximè cernitur.

2 Nam si illi æquè per villas, & oppida distribuerentur, onera facilius sustinerentur. At quiamodo vnum, modò aliud oppidum supra vires grauatur, cogiturq; magnum numerum militum hospitio excipere, ideo illius oppidi homines ad inopiā breui temporis spatio rediguntur, idemq; multis alijs oppidis accidit cum magno totius Reip. incommodo.

3 Illud etiam adiungam, Milites non rarò in huiusmodi oppidis pro arbritratu viuere, atq; à suis hospitibus plura exigere, quàm per statuta conueniat, quę si iubent subsidium decem obolorum, vnicuiq; militi numerari, pleriq; militum non ijs contenti sunt, aut paulo pluribus, sed ni sexaginta, vel octoginta numerentur, pessimè accipiunt hospites suos. Neq; huic rei remedium adhibent ij, ad quos spectat, licet ita fieri optimè norint, atq; nil mirum si cogantur aliqui desertas relinquere possessiones, atq; ad egestatem redigantur, non culpa Ecclesiasticorum, qui eadem pati non rarò coguntur, neq; militum intolerabilem auaritiam explere tenentur, sed Laicorum iniustitia. Quare facultates Laicorum sufficerent Beatissime Pater, si iustitia seruaretur cum laicis omnibus.

Curent

4 Curent ergo Ministri Principum, vt iustitię locus sit, nec opus erit Ecclesiastica bona grauare, quę si grauanda sunt, ob defectum laicarum facultatum id præstandum est, non ob defectum iustitię Principis, eiusq; Ministrorum. Cùm ergo si velint Principes, ac Ministri ipsorum, possint inopiam laicorum ita subleuare vt eorum facultates sint suffecturę Reip. necessitati, non conquerantur se onera belli sustinere non posse, nisi subueniant Ecclesiastici; Nam Reip. egestas est voluntaria, ob voluntarium scilicet defectum non seruatæ iustitiæ, quam seruabunt si ęquè onera ob omnibus exigantur, si militum auiditas coerceatur, puniantruq; tum ipsi, tum eorum Duces, si supra taxatum subsidium aliquid accipiant; si eorum hospitatione supra vires oppida non grauentur; si exactorum etiam, Metatorum, & Prænuntiorum exercitus rapacitas comprimatur, quorum ea est iniqua industria, imperare rusticorum communitatibus plurium militum hospitia, pluresq; boues, & currus, quàm opus sit ad eorum sarcinas asportandas, à quibus rebus sibi valde incommodis, vt se eximant communitates, plures nummos iis officialibus aut aliquando etiam militum ductoribus soluunt, vt ad alia oppida transeant, quibus acceptis aliò migrant quidem, sed à pluribus oppidis nummos corrogant, ac tandem vnum aliquod, cùm obtenebrescit maximè grauant.

5 Quas iniustitias, si non corrigant Principes ac Ministri ipsorum, ideoque Resp. in graui necessitate versetur, non tenentur Ecclesiastici ei subsidium ferre, cùm possint ipsi alio modo prouidere laboranti Reip. & quidem ęquius, quàm grauando Ecclesiastica bona. Petij ego non multis ab hinc annis à quodā

cohortis

quodam cohortis Centurione, qui modestus, minimèq; auarus videbatur. Dic quæso quot tibi nummos numerat Communitas, in qua in hybernis commoraris? Quinq; inquit, aureos singulis diebus: præter supellectilem conuenientem & fænum pro equis; Tum ego, Quot Princeps tuus pro tuo stipendio soluit, quadraginta, inquit, nummos singulis mensibus. Bone Deus, exclamare coactus sum, qua conscientia eam Communitatem sic grauas, vt vno mense, quatuor ferè mensium stipendium accipias? Ac ille omnium ferè centurionum hic est vsus, quin minus cæteris ego accipio, videnturq; sibi mei hospites digito Cælum tangere, quia ea tantum pecunia contentus sum. Viue felix, aio, Nollem ego sequenti Paschate tibi esse à Confessionibus. Ille vero subridens, Ne mihi, inquit, huiusmodi scrupulos inijcias, cum hospitibus enim meis modestissimè versor, beatamq; se illa prędicat Communitas, quæ me in hybernis habet centurionibus alijs hac in re modestiorem. Hęc sunt Beatissime Pater, quibus resp. concidit, nec suis facultatibus eam sic ruentem Ecclesiastici vnquam sustentabunt, sustētare verò possunt Princeps eiusq; Ministri iustitiam, quam debent exercendo. Verùm ad alia properemus.

§. IV. *Multi aluntur in exercitu sine necessitate.*

1 Duces, & Magnates reip. succurrere deberent ex ijs quæ à Principe accipiunt, cùm sint maximè obligati ad id.
2 Soluta onera in reip. beneficium non transeunt, sed paucorum priuatorum.
3 Si insudant pro rep. onera non soluentes Duces,

& Principis stipendijs egent, etiam Ecclesiastici pro rep. laborant, & egent suis stipendijs.

4 Stipendijs non debent Duces, ac Ministri Principum vti ad superflua, & inutilia.

5 Laborantibus omnibus stipendia debentur, & ideo non sunt neganda Ecclesiasticis, Religiosis præsertim.

6 Stipẽdia magis debẽtur Ecclesiasticis, quàm alijs.

1 Si tanta est necessitas reip. quanta asseritur, cur multi Ministri Principis, cur multi duces exercitus, cur multi alij, quorum stipendia, & lucra, quę à Principe accipiunt, sufficerent plurimorum sustentationi, communes miserias ex ijs non subleuant, sed sua ferè omnia intacta esse volunt cum aliorum maximo damno, cùm tamen non minus ipsi, quàm Ecclesiastici teneantur subuenire publicę necessitati? Eadem enim charitas obligat omnes, imò illorum fortè maior est obligatio erga remp. ac Principem, quia plus vtriq; debent, quàm debeant alij, cùm eorum sumptibus sustententur, & honoribus ab ijs acceptis perfruantur. In alios tamen vsus potius, quam in reip. vtilitatem pleriq; eorum expendunt omnia, in pompas videlicet, ludos, choreas, vestium, seruorumq; multitudinem, domus ornamentorum copiam, faxit etiam Deus, vt non in valde illicita insumant, quæ si in Principis, ac reip. commoda erogarent, maximæ egestati plurimorum prouiderent. Cur ergo tumultus in Ecclesiasticos excitantur, contra hos, bonos semper excipio, Principis, ac reipub. populiq; bonorum consumptores nihil dicitur, quos tamen Principi, ac Reip. Magis obligatos nemo ibit inficias? Siletur ne de his, vt de Ecclesiasticis, si fieri possit obloquantur omnes! Eximun-

muntur ne hi cum alijs multis ab oneribus, & contributionibus, vt Ecclesiastici grauentur? Parcitur his, vt seuerius Ecclesiastici puniantur? Eorum bona incolumia seruantur tamquam res sacræ, vt Ecclesiastica, tanquam res profanę tractentur? Certè id indicat laicorum facultates non esse adeo imminutas, quin possint belli onera sustinere, cùm quamplurimi eorum sint, qui possunt, ac debent contribuere, & nihil contribuunt.

2 Quin etiam ab Ecclesiasticis nihil omnino contribuendum esse certissimè assero Beatissime Pater, quia si contribuent, maxima pars solutæ pecunię non in Reip. ac Principis beneficium vertetur, sed in paucorum commodum, qui bonis, & fructibus Ecclesiasticis vtentur in vsibus omnino superfluis, cum animarum suarum detrimento, & Principis, ac Reip. dispendio. Non ne id accidit per summam commiserationem in Laicorum contributionibus, nouis quotidie vectigalibus, tributis, oneribus vexantur, nec temen Reip. aut Principis ęrarium restauratur, sed aliquorum priuatæ crumenæ replentur: A Confęderatis populis, & eidem Principi subiectis magnæ submittuntur pecuniarum summæ, magnæ à grauatis bello incolis quotidie conferuntur; nec tamen ab inopia extractum Reip. aut Principis ęrarium videmus, licet supra ducentos quinquaginta milliones aureorum nummorum dicti incolæ paucis annis exbursarint. Quænam tanta vorago, aut quæ Charybdis tam profunda potuit tantam auri, & argenti copiam absorbere sine Principis, aut communium opum incremento, cum maximo tamen priuatorum aliquorum emolumento?

3 At inquient illi, Principi, ac Reip. inseruimus, illis-

quę omnium nostrum frontes, ac membra desudant, quare æquū est nostris nos stipendijs vti, fruiq; sine vllo onere, Quis id negabit vnquam, modò stipendijs contenti sitis? At vos gaudere, lugere Ecclesiasticos, vos luxuriari, & vt magis luxuriemini Ecclesiasticos grauari, Abundare vos, penuriam non Ecclesiasticos tantummodo, sed & totam Remp. ac Principem ipsum pati, id demun intolerandum dico. Reip. inseruitis, At etiam Ecclesiasticæ personæ eidem inseruiunt in maioris momenti muneribus, in spiritualibus scilicet conferendis, & in placando supremo numine: Æquum ergo est eas etiam suis stipendijs frui sine vllo onere, stipendia autem ipsarum sunt bona Ecclesiastica cum obligatione populis, ac Deo inseruiendi in spiritualibus ministerijs accepta.

4 At egent stipendijs jidem Ministri Principis, Duces, & alij vt se sustentent pro Reip. ac Principis seruitio, administratione, ac defensione. Egent quidem, vt se sustentent. Cur autem acceptis non solùm vtuntur ad sui sustentationem, sed ad ostentationem, ad pompas inutiles, ad superfluos sumptus, ad lucra conseruanda, & alia huiusmodi non Principi, non Reip. non populo vtilia, sed noxia? Egent stipendijs: Libens id concedo, modò sint moderata, modò sine Reip. ac populorum iniuria, notabiliq; damno accipiantur; modò sint stipendia à Principe, & Rep. data, non vi pro arbitrio à colonis, & alijs priuatis personis accepta. Egent stipendijs; At quibus Rempub. tueantur, non quibus ludorum, & aliorum huiusmodi inutilium vsum conseruent. Egent stipendijs: At etiam Ecclesiastici suis egent stipendijs, bonis videlicet sibi relictis cum prædicto onere, vt pro Dei cultu, ac Reip. commodo se sustentent,

tent, illumq; & hanc per sacrificia, Preces, & alia pia opera conseruent: Nec magnum est ipsos temporalia metere, cùm spiritualia seminent, teste Paulo Apostolo ad Corinthios scribente. a

a 1. Cor. 11.

5 Omnibus laborantibus danda sunt conuenientia stipendia, ad victum nemo negat, Dentur ergo etiam Ecclesiasticis, qui pro Reip. ac populorum salute occupantur. Attamen hęc Ecclesiasticis negantur, laicis conceduntur: Religiosis præsertim Viris, ac monialibus negantur, licet nec proprijs rhedis, aut superfluis seruis, equis, aut alijs commoditatibus vtantur, sed habeant solum, quæ ad victum, & vestitum sunt necessaria, & quidem parcè. Negantur, inquam, stipendia ad victum, quia laici eorum possessiones oneribus grauant, quæ ipsorum sunt stipendia, & ex quibus vix, quæ ad decentem victum, & vestitum sunt necessaria percipiunt, quorum tamen partem non exiguam sibi deberi contendunt laici pro militibus exercituq; alendis. Negantur autem huiusmodi stipendia, non ijs solum qui spiritualia ministrant, sed alijs, qui temporalia, vt Xenodochijs, multis, & alijs pijs locis: Imo & ijs, qui laicos docent scientias, vt sunt Mediolani Clerici regulares S. Pauli decollati, ac Iesuitæ, qui etiamsi in spiritualibus conferendis non occuparentur, ob hanc solam causam docendarum publicè litterarum sinè stipendio ab oneribus, gabellis, & collectis, essent eximendi, vt in Ticinensi Academia Doctoribus ab omni onere exemptum stipendium persoluitur. Sed ijs ommissis.

6 Egent stipendijs, & quidem exemptis à tributo Ministri Principis, Duces militum, & alij huiusmodi, iureq; debetur, quia publicæ vtilitati dant operam.

ram.

ram. At etiam Ecclefiaftici id faciunt, & quidem fublimioribus, ac nobilioribus exercitijs, vt nobilior eft anima, quàm corpus, refq; externæ; Illi verò corpora, & bona exftrinfeca tuentur, hi animas, & eorum bona interna; Illi autem lautè viuunt pro conditionis fuæ dignitate, cùm non folùm fua habeant neceffaria alimenta, fed & feruos, rhedas, equos, fortè atiam aliqui concubinas alant. Ecclefiaftici verò, Regulares prefertim, vix habeant conuenientia pro fuæ vitæ conditione alimenta, multiq; ea non habeant fufficientia, Imo Regularibus vix à Monafterio fuppeditentur ea, quibus veftiantur, & alantur fine feruo, fine equo, fine rheda. Cur ergo fi illi fe eximunt à folutione tributorum, non eximuntur Ecclefiaftici? Quorum aliqui, fi qui funt, qui lautius viuant, quàm par eft, pluribufq; abundent, quàm equum fit, quos pauciffimos reor, & fortè nullos, iubeat eos Sanctitas veftra, onera pro Reip. vfu foluere, non alios compellat, qui vix habent vnde fuftententur; & vt quod dico verum comperias.

§. V. *Exigua portio bonorum Ecclefiafticorum contingit vnicuique Ecclefiaftico.*

1 Reditus Ecclefiaftici fatis non funt ad alendos Ecclefiafticos.

2 Locorum piorum bona funt cum bonjs Ecclefiafticis computata.

1 Reditus Ecclefiafticos, fi placet, ditionis Mediolanenfis in eiufdem viros Ecclefiafticos partiamur, reperiemus exiguam admodum portionem vnicuiq; contingere, nec fufficientem ad illos alendos, fi vni-

si vnicuiq; conueniens assignetur, quod idem in alijs Italiæ Regionibus euenire arbitror, sed de Mediolanensi exemplum adducimus, quia res euidentius probari potest & ibi diligentius rem examinaui, cùm ibi commorabar. Viginti millia hominum Ecclesiasticorum ad minimum puto esse in ea ditione, nam in sola diœcesi Mediolanensi plusquam octo millia Ecclesiasticorum olim numerabantur, vt ex tabella D. Caroli ætate confecta habetur, qui numerus ab eo tempore non est imminutus, sed valde auctus in Religiosis præsertim tum viris, tum fæminis, quas solas ad quinq; millia eorum numerari audio, totidem saltem sunt virorum regularem obseruantiam profitentium, clericorum sæcularium ad tria millia; sed duodecim millia Ecclesiasticorum in Mediolanensi, octo in alijs sint.

Si dentur vnicuiq; centum nummi aurei pro victu, ac vestitu suo, & pro paramentorum Ecclesiæ manutentione, ædificiorum, & aliarum rerum ad sacrificium necessariarum restauratione, modestiæ Ecclesiasticę limites non præteribimus. Ad hęc ergo præstanda vicies centena millia aureorum annua opus erunt, quæ profectò ex quadragies centenis millibus perticarum quas Ecclesiastica bona immobilia esse diximus, non colliguntur; cùm ex singulari pertica, vna cum alia computata, dimidius aureus nummus singulis annis non habeatur, vt ipsi laici experiuntur hoc tempore. Deerunt ergo plusquam quingenta millia nummorum aureorum, vt tota Ecclesiasticorum multitudo sustentari decenter possit; Atque ideo si contribuere cogentur pro necessitate publica, de suo necessario, & parcissimo victu, ac vestitu, demere necesse habebunt, & aliunde sibi, &

diuino

diuino cultui cum decore externo conseruando necessaria comparare, negotiatione videlicet, vel secularium virorum familiaritate, cum Ecclesiastici status dedecore, non sine plurimorum laicorum murmuratione, si ad hæc præsertim deueniant Moniales, ac regulares viri, vt deuenire compelluntur, si vitę necessaria habere volunt, quæ à Monasterijs sufficientia, vel non suppeditantur, vel admodum parcè. Quòd si multi Regulares ex eleęmosynis viuunt, nulla in communi possidentes bona stabilia, ex quibus annuos reditus colligant, & ab eo numero viginti millium dicat aliquis esse demendos. Meritò id exposcit.

2 At ex quatuor millionibus perticarum, quas ad Ecclesiasticos pertinere concessimus, demat etiam ipse eas, quę Xenodochijs, & alijs pijs locis sunt applicatæ, quas inter spectantes ad Ecclesiasticos computauimus, licet ex ijs non alantur Ecclesiastici, sed fere omnes in laicorum pauperum vtilitatem expendātur, factaq; erit, vt puto æqua compensatio, & nostra computandi ratio non erit corrigenda; Tot enim sunt reditus Xenodochiorum, & aliorum piorum locorum, vt si ex ijs Regulares Mendicantes essent alendi, abunde sufficerent.

§. VI. Ex eo, quòd aluntur plures Principis, ac Reip. ministri, & milites in exercitu, probatur Ecclesiasticos non teneri contribuere.

1 Sine vtilitate dantur stipendia pro militibus, quos vocant, Piazze morte.

2 Magna pars officialium est superflua.

3 Stipendia etiam, & mercedes aliquibus concessę imminui possunt.

Demum

1 Demum si tanta est necessitas, quanta prętenditur, cur aluntur mortui milites, quasi viuerent, ac pugnarent? Ideſt cur grauantur laici pluribus sumptibus, & oneribus, vt sustententur ij, quos vocant, Piazze morte, qui nec ditionem tueri posſunt, vaſtant tamen, nec pugnare in hoſtes valent, domeſticos tamen debellant? Auferantur hi, qui nec Principi prosunt, nec Reip. eiusq; subditis, sed obsunt, & satis, superq; erunt laicorum facultates ad suſtinenda onera belli; Ingens eſt enim numerus mortuorum militum, qui incolarum, ac ciuium sumptibus aluntur; Inter milites non sunt, & tamen pro militibus habentur, ac si exiſterent; Veri Milites vix ad octo, vel decem millia numerantur; pro triginta tamen, vel quadraginta millibus parata exiſtant alimenta, & subsidia oportet, quę à populis sub miniſtrantur. Si Laici Magiſtratus, hos milites mortuos, vt viuos recipiunt cum summo Populorum, imo & Principis damno, non eſt æquum vt Ecclesiaſtici mortuis contribuant, qui viuis egent militibus, egetq; Princeps ipse, vt Principatus ei seruetur. Nullum afferunt commodum prędicti milites, seu Piazze morte, nisi paucis quibusdam, qui eorum alimentis impinguantur, eorumq; occasionę ditantur cum Reip; detrimento, sine vlla Principis vtilitate, quos impinguare, ac ditare cum prouentuum Ecclesiaſticorum dispendio æquum non eſt: Nec optimi Principis mens vnquam fuit vt id fieret. Qui concedit quidem ex sua liberalitate primoribus exercitus aliquos huiusmodi milites dictos, Piazze morte, at non vt subditi ijs grauentur, & multò minus Ecclesiaſtici, sed vt suam liberalitatem in eos oſtendat cùm ſtipendia de suo tribuet: Tunc enim ea etiam

 persoluet

perſoluet pro aliquibus militibus non exiſtentibus, quos Ducibus concedit quaſi verè exiſtentes. Satis ergo erit Duces tunc ea ſtipendia recipere à Principe, non autem nunc à Populis, & Eccleſiaſticis velle, cùm illi milites nec pugnent, nec defenſionem pro ditione ſuſcipiant, imo nec ſint in rerum natura. Si ergo huiuſmodi milites mortui Eccleſiaſticos non defendunt, nec eorum bona, cur obligari debent Eccleſiaſtici ad eos ſuſtentandos, quaſi viuerent, ac decertare parati eſſent?

2 Huc etiam reuocabo multitudinem officialium ſuperfluorum in exercitu paucis ab hinc annis introductorum, qui omnino Principi, ac Reip. ſunt inutiles, quibus tamen ſtipendia ſoluuntur cum Summo ærarij publici, & populorum diſpendio. Olim maiores exercitus ſine tanta officialium multitudine rectè adminiſtrabantur, cur nunc militum numero imminuto excreſcit officialium? Nulla eſt horum non modo neceſſitas, ſed nec vtilitas.

3 Minuantur hi ſumptus, & alia ſtipendia, ſeu Mercedes aliquibus conceſſa ob aliquod præclarè geſtum in Principem, ſi enim tanta eſt neceſſitas Principis, ac Reip. non eſt æquum grauari ſubditos, & Eccleſiaſticos, vt munificentia Principis celebretur. Aequo autem animo ferre debent Officiales non neceſſarij, & ſtipendarij illi ſua minui officia, & ſtipendia cùm videant Principem, ac populos in ſumma eſſe neceſſitate, hac elapſa dabuntur copioſiora fauente Deo, interim communi neceſſitati compatiantur, eamq; ſubleuari cum proprij officij, & lucri diminutione, non indignè ferant; plura enim amittent, niſi huic neceſsitati prouideatur. Minuantur, inquam ſumptus hi ſuperflui nec opus

erit

erit Ecclesiasticos grauare cùm maxima ex parte necessitas imminutione eorum sit minuenda.

§. VII. *Alijs rationibus idem suadetur.*

1 Priuilegia laicorum, doctorum &c. seruantur, ergo debent seruari etiam illa Ecclesiasticorum.
2 Dei cultus minuetur, & pauperes non alentur.
3 Loca pia multa impendunt in beneficium militum, ergo pro ijsdem grauari non debent.
4 Soluunt Ecclesiastici onera Papæ, & alia spiritualia, ergo eximi debent ab alijs soluendis.
5 Multa commoda afferunt laicis Ecclesiastici, etiam temporalia, ergo non debent ad onera pro ijsdem compelli.
6 Quęnam sint ea commoda.
7 Damna, quæ imminent ex solutione onerum pro bonis Ecclesiasticis
8 Totius capitis epilogus, ex quo concluditur Summum Pontificem iustè non annuisse postulatis laicorum,

1 Illa etiam addamus Beatissime Pater. Primò à laicis Magistratibus intacta custodiri multis in locis Priuilegia Doctorum iuris ciuilis in Collegium ascriptorũ, Medicorum, Magistrorum, in publicis Academijs, Causidicorum, Notariorum, aliorumq; multorum quo ad exemptionem certæ partis determinatę bonorum ab oneribus, & tributis; Cur ergo debent Ecclesiastici grauari cùm ęquius sit res Diuino cultui, eiusq; Ministrorum sustentationi destinatas eximi ab oneribus, quàm illas, quæ humanis tantùm vsibus inseruiunt, sitq; magis rationi consonum Ecclesiæ,

 quam

quàm aliorum priuilegia conferuari, si vtraq; non possunt, ea enim Christi Domini autoritate à Summo Pontifice sunt concessa, & ab Imperatoribus, Principibus, & populis per multa secula approbata, alia verò à laicis tantùm Principibus sunt data, illa Ecclesię, non autem alia, in Dei cultum, ac venerationem redundant.

2 Meminisse etiam debet Sanctitas vestra Ecclesiarum bona ad ministrorum Dei sustentationem, ad eiusdem Dei cultus conseruationem, & augmentum, ad pauperum, & miserorum alimenta esse destinata, si ergo militibus redituum suorum partem Ecclesiastici compellentur tribuere, tum ipsi, tùm Dei cultus non modicum sentient detrimentum, & quàm plurimi egeni non alentur cum magno publici boni damno.

3 Addat tertiò, loca pia, vt Xenodochia, multa insumere pro militum ad ea delatorum sanitate reparanda, & sæpè etiam militum ipsorum pauperum familijs suppeditant eleęmosynas, non est ergo cur oneribus alijs grauentur, pro eorundem militum sustentatione, si enim id fiat, sæpe cogentur eleęmosynis parcere, & ægrotorum multorum curationem abijcere cum publici boni non exiguo detrimento.

4 Quartò subijcio, Non esse ęquum duplici onere aliquem grauari, vt ipsæ leges ciuiles testantur *a* cum iuris vtriusq; Doctoribus *b*. At Ecclesiastici soluunt ob bona, quæ possident, onera Sanctitati vestræ, vt quindennia, & contributiones alias, quas pro temporum, ac negotiorum exigentia Sanctitas vestra imponit; Non est igitur æquum, vt ob eadem bona soluant etiam onera Laico Principi, alioqui deterior esset Ecclesiasticorum conditio, quàm laicorum

a L. Nauis onustę §. cùm autē ff. Ad l. Rhod. de iac. l. Titia §. qui in vita de legat. 2.

b Barb. cons. 1. l. 3. Neutz. cons. 665. n. 50. Crau. cōs. 11. n. 8. & cōs. 120. n. 23. & cons. 263. Brun. cons. 33. apud Menoch. cōs. 31. n. 40. Natta cons. 160. l. 1. n. 34. Crau. cons. 115. n. 8. ex eodem Menoch. cōs. 75. n. 9.

Soluunt

Soluunt præterea onera Spiritualia suæ Reip. vt dicitur cap. Ad vestra de cohab. Cleric. ac Mulier. *a* non ergo alijs grauentur.

a Ancha. cõs. 61. Bos. tit. de pen. n. 43. Plotius in l. Si quando n. 854.

5 Demum oculos conijciant laici in commoda non spiritualia tantùm, sed temporalia, quæ ab Ecclesiasticis percipiunt, & videbunt æquissimum esse, vt pro ijs aliquid maioris oneris sustineant, quàm fortè sustinerent si Ecclesiastici ex vestræ Sanctitatis consensu oneribus à Principe Laico impositis subiacerent.

6 Commoda verò perpendere poterunt, primò, animaduertentes à multis Ecclesiasticis multa suppeditari Parentibus, Cognatis, Affinibus, Fratribus, Sororibus, eorumq; filijs, quos non raro domi alunt, cùmq. id multis accidat, non exigua est laicorum vtilitas. Secundò idem perpendere poterunt ex eo, quod si multi Ecclesiastici, Regulares præsertim, tum viri; tum fæminæ laicorum statu mansissent, bona sua patrimonialia retinuissent, atq; adeò minus lautè quamplurimi laici viuerent, quàm nunc viuant. Tertiò illud etiam perpendant laici, quòd emolumẽtum ipsorum est magnum, nempe se facilius honores, tum militares, tum ciuiles, & frequentius, si temporales ij sint, seu determinato temporis spatio concedantur, in Rep. consequi, vel posse consequi, quibus annua lucra sunt annexa. Nam si Ecclesiastici in laicali statu permansissent, plures essent, qui eos honores ambirent, quamplurimi enim eorum, qui nunc Deo se dicarunt, illos expeterent, procurarent, & valdè probabiliter consequerentur, cùm non pauci Ecclesiastici habiliores appareant ad eos honores, quàm multi laici, qui illos obtinuere.

7 Grauant ergo immeritò laici, aut grauanda esse contendunt Ecclesiasticorum bona, cùm multas ab

Ecclesiasticis vtilitates consequantur in dies, & sint in posterum consecuturi, quas amittent profectò si imminutis reditibus cogentur Ecclesiastici parcere sumptibus pro ipsis laicis, vel à statu Ecclesiastico suscipiendo abstinebunt eorum filij, si exiguos esse reditus Ecclesiasticos animaduertent, ac labores pro ijs exantlandos multos esse; aut Religiosorum monasteria multos à Regulari vita excludent, cùm non habeant reditus ad eos alendos sufficientes. Et si Sanctitas vestra iuberet nunc Moniales non recipi ad Regularem professionem, nisi cùm dote ad connubium temporale sufficiente, vel ad Cognatorum domos redire illas, quę à Monasterijs sufficientia ad victum, & vestitum non recipiunt, silerent profectò laici, grauiora enim hinc incommoda sentirent, quàm ab exemptione Ecclesiasticorum sentiant: & hæc augerentur, si iuberet etiam Sanctitas vestra nullum admitti ad Religionem, ni secum ferret paternæ hæreditatis portionem, ad se spectantem, aut tantam saltem partem, quanta conuenienti victui satis esset futura; & si hanc laicis optionem darent, vt vel Ecclesiasticorum exemptio auferretur, vel ad monasteria hæreditates deferrent, quicumq; religiosam vitam amplecterentur, mallent profectò exēpta esse bona Ecclesiastica, quā alia in monasteria trāsferri, cùm maius ex hoc ipsis incommodum esset futurum, quàm ex illo, breui enim familiæ ad paupertatem redigerentur, si quoties aliquis Regulari vitæ se dedicat, toties bonorum laicorum portio esset minuenda. Cùm ergo multa commoda non solū spiritualia, sed & temporalia in Laicos ab Ecclesiasticis proueniant, non inuiti tolerent se aliquantò amplius grauari, vt Ecclesiasticorum exemptio in illorum

illorum vtilitatem magnam redundans conseruetur.

8 Hęc Oratorē Ecclesiasticū Summo Pontifici exposuisse fingamus, quæ à laicis non sunt soluta. Quid ergo mirum, si Summus Pontifex nihil innouandum censuit, nec laicorum petitioni obsecundandum esse? Efficacissima sunt allata argumenta, quę facile Summo Pontifici in mentem venire potuerunt, cùm ostendant laicorum facultates posse necessitati Reip. prouidere, si superflui sumptus auferantur; ac necessitatem, si qua est, non prouenire ob bellorum necessarios sumptus, sed ob defectum iustitię tum in refręnanda quorundam rapacitate, tum in tributorum à potentioribus nagata solutione, tum in inepta redituum Principis, & vestigalium distributione, tum in militum per oppida non æqua diuisione, & eorumdem in ijs non seruata militari disciplina; atq; etiam ob stipendia pluribus, quàm opus sit, data, & aliquibus etiam ampliora, quàm hæc tempora exigant, & præsertim ijs, quos vocant Piazze morte, cui iniustitiæ, cùm opportunum remedium adhiberi possit, nec adhibeatur, non debent ob aliorum peccata puniri Ecclesiastici per onerum solutionē. Cùmq; eadem argumenta probarint exiguum esse subsidium, quod ab Ecclesiasticis Resp. habitura sit, si onera soluant, & Ecclesiastica bona non esse ad alēdos Ecclesiasticos sufficientia, si centum aureorum cuiq; portio assignetur pro victu, vestitu, rebusque ad sacrificia necessarijs; ac demum cùm eadem ostēderint aliorum priuilegia seruari, ideò æquum esse vt etiam Ecclesiasticorum conseruentur; reditus Ecclesiasticos non satis futuros decenti Ecclesiasticorum sustentationi, aut Pauperum alimentis, si oneribus grauentur, & in laicorum vtilitatem multa redundare.

redundare ex Ecclesiasticis reditibus, & ab ipsis Ecclesiasticis personis non spiritualem tantùm, sed & temporalem, Non potest de iniustitia coargui Summus Pontifex si laicorum petitis non respondit, atq; adeò asserere ipsi non possunt, se iusta petijsse, atq; iniustè negata esse, censeriq; idcirco concessa, imo contrarium potius concludendum, nempe iustissimas habuisse rationes Summum Pontificem non cōcedendi petita, propterea hæc nec iusta fuisse, nec iniuste negata. Illiusq; argumenti, qui iniustè negat, concedit, sed Papa iniustè negat onera Ecclesiasticis bonis imponi, ergo concedit, minorem omnino esse falsam.

9 Meminerint etiam Christiani Principes, ac Magistratus apud Sarracenos fuisse Monachos à tributis exemptos, vt narrat Philippus Dominicanus apud Odoricum Raynaldum, [a] atq; adeò ignominiæ futurum ipsis, si vinci se reuerentia erga Ecclesiasticas personas permittant ab alienis à Christiana Religione. Apud Romanos etiam indemnes à tributis, & vectigalibus fuisse Deorum cultui dicatos, imo & sumptus ab ærario publico accepisse narrat Dionysius Halicarnasseus l. 2. hist. Notum etiam est quod Pharao cum Aegyptijs sacerdotibus egit in communi calamitate ex sacra Genesi c. 47. 22. quibus non solùm seruatæ sunt possessiones immunes, & cibaria, sed etiam data ex horreis publicis.

[a] Odor. Rayn. in annal. an. Chr. 1237. n. 17.

CA-

CAPVT VNDECIMVM

Rationes aliquæ laicorum expenduntur, quibus grauanda esse bona Ecclesiastica concludunt.

§. 1. Prima ratio ducta à grati animi significatione.

1 *Prima ratio pro laicis.*
2 *Ei respondetur, & admittitur si duæ conditiones adsint, Prima vt Papa consentiat.*
3 *Secunda conditio, vt non tribuantur ad Ecclesiastici status decentiam conuenientia.*
4 *Monasteria ad inopiam sunt redacta, quia coguntur onera soluere.*
5 *Etiam alij Ecclesiastici non regulares multa patiuntur.*
6 *Non omnia bona Ecclesiastica à laicis prouenerunt.*

1 A Nobis, inquiunt primò, laici, maioribusq; nostris Ecclesiasticorum bona prouenere, non debent ergo Ecclesiastici molestè ferre, si aliquod illis onus imponatur, vt nos ab intolerandis oneribus aliquantisper subleuemur, id enim grati animi significatio exposcit.

2 Si de grati animi significatione tantummodò agitur, & hęc, vt ad belli onera concurrant Ecclesiastici exigit, non recusant, libenterq; præstabunt quæcumq; gratus animus postulat; Duę tamen adesse debent conditiones. Prima est, vt iuxta Ecclesiasticas leges ita fieri consentiat Summus

Pontifex, & si fortè in hoc Ecclesiastici peccent, suæq; desint obligationi ab, Ecclesiastico Iudice damnentur, & corrigantur, non à laicis vi rapiantur eorum bona, seu ea contributio, quàm deberet gratus animus, & charitas ipsa tribuere, non enim ex iustitia commutatiua debita est hæc contributio, vt ideò possint laici sibi ius dicere, suaq; recuperare, cùm aliter ea consequi non possunt. Quòd autem ex charitate, & gratitudine debetur extra extremam necessitatem, non potest sine iniustitiæ periculo rapi, nec sine obligatione ad restitutionem.

3 Secunda conditio est, vt ea Ecclesiastici non tribuant pro laicorum subsidio, quæ ad honestam sui status conseruationem sunt conuenientia. Laici ipsi, vt concedent, non tenentur à suæ honestæ conditionis statu recedere, vt reip. subueniant, nec sibi victum, & vestitum auferre, vt onera belli sustineantur, multò minus id exigendum est ab Ecclesiasticis, qui magis sunt exempti, & minora à rep. consequuntur, quàm consequantur laici. At si ob onerum solutionem Religiosorum virorum, & mulierum Monasteria ad magnam rediguntur inopiam, nec possunt suis Religiosis, quæ ad victum, & vestitum sunt necessaria conferre, & si quàm plurimi alij Ecclesiastici non regulares ex bonis Ecclesiasticis, quæ habent, congruentia non habent alimenta, cur ab ipsis prætenditur, quod laici ipsi fatentur à se non esse dandum? Et tamen cùm non datur, vi Colonis Ecclesiasticorum, & eorum animalibus, alijsq; rebus facta rapitur; non grati animi significationem, neq; æquitatem spectari id indicant, sed laicos odio, & inuidia in Ecclesiasticos duci, nollent enim, eos quicquam possidere,

re, quod ipsorum laicorum non esset arbitrio subiectum, vellentq; Ecclesiasticos mendicare, & necessaria ad decentem victum donare, vt ipsimet lautius possent nutriri.

4 Monasteria verò ob huiusmodi vim, quæ à laicis adhibetur in onerum solutione exigenda, ad inopiam esse redacta, probatione non eget, cùm apertissimum sit, totq. habeat testes, quot Religiosi, & Moniales in ijs vitam degunt, quibus nec vestes, nec sufficientia cibaria subministrantur, coguntur q. ideo Dei cultum deserere, vt sibi victum quærant, vel labore manuum, vel alia industria: Quare ad id ferè radacti sumus, vt multi Religiosi viri patriam deserere cogantur, vt alibi sustententur, necessariò enim eorum numerus est minuendus, neque id tamen satis est ad monasteriorum inopiam subleuandam. Moniales verò quot occupationibus plerumq. distinentur, vt sibi victum, vestitumq. comparent? Multæ earum non iam Religiosę vocandę videntur, sed Mercatrices in Claustro, & sub clausura degentes; Necessitas ad id eas impellit, quam necessitatem parit laicorum, vt ità dicam, sæuitia in exigendis contributionibus à bonis Monasteriorum.

5 Aliorum verò Ecclesiasticorum miseriæ satis sunt notæ, cùm multi nobilibus viris laicis cogantur adhęrere, vt victum comparent, à quibus non solùm sine vlla dignitatis Ecclesiasticæ reuerentia tractantur, sed & ad ea munia adhibentur, quę à laicis ipsis præstari iniquum esset.

6 Illud etiam non est silendum, multa quidem à laicis bona esse Ecclesiæ donata, multa etiam ab Ecclesiasticis esse profecta, multa etiam Ecclesiarum pecunijs empta esse. Quare non est omnino ve-

rum Ecclesiasticorum bona à laicis omnia prouenisse.

§. II. *Ratio secunda ducta ab vtilitate Ecclesiasticorum.*

1 Ratio deducitur ab æquitate, quia laici dimicant pro Ecclesiasticis, & de horum etiam vtilitate agitur.
2 Responsio Ecclesiasticorum. Dant spiritualia. Laicorum facultates sufficiunt. Non possunt cogi à laicis. Amici milites non tuentur res Ecclesiæ.
3 Laici tenentur tueri bona Ecclesiasticorum, & de eorum vtilitate agitur, cùm ea tuentur.

1 Asserunt secundò laici, se pro Ecclesiasticis dimicare, & vitam pro eorum, bonorumq; illorum defensione exponere, æquum idcirco videri, vt Ecclesiastci aliquid contribuant, cùm non de publica tantùm causa, sed & de priuata ipsorum Ecclesiasticorum agatur.

2 Optima ratio ęquitati innixa. Dicent tamen Ecclesiastici primò se pro ea defensione subministrare spiritualia, quæ maioris momenti sunt, quàm temporalia. Dicent secundò æquitatem exposcere eam contributionem, si laicorum facultates non sint satis ad belli onera, has verò satis esse, si iustitia à Principis ministris seruetur in onerum, & hospitationis militum, exactionumq; distributione, vt capite superiori Orator Ecclesiasticus apud Pontificem exposuit. Dicent tertiò admissuros se ex æquitate teneri ad aliquod subsidium, at ad istud cogi non posse
ab

ab ipsis laicis, sed hos debere ad superiores Ecclesiasticos confugere, & apud eos conqueri, qui si viderint necessitatem eam adesse, quam prætendunt laici, non negabunt, quod æquitas postulat. Hucusq; verò eam necessitatem non esse extensam certum est, cùm varię rationes Pontifici Summo sint allatę, probantes tantam necessitatem non adesse, quantam asserunt laici, quæ rationes à laicis solutę non sunt, nisi fortè Alexandri Magni more Gordianum nodum soluentis, vi scilicet, armis, & gladio, contra colonos, & alias res Ecclesiasticorum, quod cùm faciunt laici, contra ęquitatem faciunt, & ad restitutionem tenentur, cùm vi rapiant, quod solùm ex ęquitate, & caritate debetur extra extremam necessitatem, & contra Sacrorum Canonum decreta. Dicent quartò Amicos milites non tueri campos, vineas, lata, domos, & alia in ditione, in qua bellum ardet, cùm hostis ea, quoties voluit, deuastarit, nullo ab amico exercitu apposito impedimento, quem testati sunt, & testantur præcipui Duces non esse conductum ad camporum, sed ad arcium custodiã, nec se Agrorum custodes, sed locorum munitorum. Cùm ergo prædia non defendantur, quomodo asserere sine mendacio possunt laici, se dimicare pro bonorum Ecclesiasticorum defensione, nam nec bona laicorum defenduntur, nec defendi videntur posse extra munitas Vrbes, & oppida, atq; adeo ad hanc causam immeritò petitur contributio, multòq; magis exigitur vi sine consensu Summi Pontificis, & ipsorum Ecclesiasticorum. Addunt Ecclesiastici laicos non pugnare principaliter pro defensione bonorum Ecclesiasticorum, quę per accidens tuentur; eorum enim prima intentio est Arces, se ipsos, & propria bona defen-

dere

dere, quę ſi non eſſent, nec pugnarent, nec ſtipendia militibus darent. Quia verò Eccleſiaſtica bona, vel mixta, vel coniuncta ſunt cum laicorum bonis, ideò illa per quamdam conſequentiam defenduntur.

3 Dicent vltimo Eccleſiaſtici laicos eſſe obligatos ſuſcipere Eccleſiaſticorum defenſionem, cùm Charitas, Religio, & Aequitas poſtulet, vt temporalia exponantur pro Dei cultu conſeruando, & pro ſpiritualibus non amittendis; Hęc autem amittentur, & ille non conſeruabitur, niſi Eccleſiaſtici habeant ad victum, & veſtitum ſufficientia, quorum opera, & labore Diuinus cultus promouetur, & ſpiritualia populis ſubminiſtrantur. Quare res laicorum agitur, cùm bona ad Dei cultum, & miniſtrorum Dei alimenta deſtinata non grauantur: Si enim continuentur grauamina, quę paucis ab hinc annis cępta ſunt, neceſſe erit multa monaſteria, tum monialium, tum regularium virorum deſerta relinquere, deficientibus reditibus, quibus illi ſuſtentantur, nec ſatis erit numerum in ijs monaſterijs degentium, vt huc uſq; factum eſt, imminuere, quæ enim olim centum, & amplius educabant, vix quinquaginta alere poſſunt, & in dies creſcentibus oneribus minuendus eſt ille numerus; ſed opus erit ea deſerta, & inhabitata relinquere, cùm tamen qui in ijs viuunt, ferè omnes ſint Reip. Ciues: ſeculares verò Clerici, vt Parochi, Canonici, & alij pleriq; ſuum decentem ſtatum conſeruare non poterunt, ſi cogentur Reip. contribuere, vt alij, quod enim contribuent, de ſuo conuenienti victu, & veſtitu detractum erit. Si verum eſt quod ſyndici Ducatus Mediolanenſis Gubernatori ſuo publica ſcriptura retulerunt ſingulis annis plura inſumi, quàm

quàm colligi, aut saltem æquales esse sumptus annuis reditibus, si Ecclesiastici eius ditionis eodem modo grauabuntur, quid eis ad victum supererit? Idem de alijs dici posse puto.

§. III. *Argumentum Ecclesiasticorum ad hominen contra laicos.*

1 Argumentum ad hominem contra laicos probat licere Ecclesiasticis auferre bona à laicis, si non tueantur bona Ecclesiastica.
2 In forma adducitur argumentum laicorum.
3 Maior est falsa, nec licitè potest vis adhiberi Ecclesiasticis.
4 Minor falsa ostenditur.
5 Retorquetur argumentum allatum in laicos.
6 Eadem essent à laicis expendenda, si hostes res tantum Ecclesiæ aggrederentur.
7 In adeundo Summo Pontifice nullum est periculum in mora, cùm agatur de annuo Ecclesiasticorum tributo, nec semper hostis immineat.
8 Non possident Ecclesiastici tertiam partem bonorum.
9 Grauatis Ecclesiæ bonis, nec laici, nec Resp. subleuabitur: aut Ecclesiasticis deerunt necessaria.

1 Et hinc ad hominem argumentantur Ecclesiastici. Vos laici, qui ex æquitate, & charitate putatis Ecclesiasticos teneri subuenire Reip. hoc tempore belli, licitum etiam putatis vi auferre subsidia, ad quę eos teneri asseritis; At vos etiam ex æquitate, charitate, ac religione obligati estis tueri ea, quę

Deo

Deo sunt dicata, & res Ecclesiæ, ne Dei cultus, & spiritualium rerũ subministratio impediatur cum vestrarum animarum periculo, ergo licebit Ecclesiasticis vi, si poterũt, aut si non poterunt, occultè à vobis auferre, quæ expendere debetis in huiusmodi defensione. Nescio an hęc conclusio sit grata vobis, ò laici, futura. Non reor, quamuis ex vestris præmissis optimè colligatur. Non debetis igitur ex obligatione, quã Charitas, & æquitas Ecclesiasticis imponit, vt vos dicitis, velle licitum esse ab ijs eorum res auferri propria vestra autoritate, si ipsi sponte sua nolunt ei satisfacere obligationi; Quam enim legem eis indicitis, eamdem vobis imponitis, cùm par videatur obligatio Ecclesiasticorum subueniendi Reip. tempore belli, & omnium vestrum defendendi Ecclesiam, eiusq; bona, nam vtrobiq ęquitas, & Charitas eam imponunt obligationem. Pietas autem in Patriam Ecclesiasticos, in Deum Religio vos obstringit, quæ virtus maior est, ideoq; magis obligat, quàm illa.

2 Vestrum autem argumentum, vt puto, huiusmodi est, Quotiescumq; æquitas, & Charitas exigit, vt laicos subleuent Ecclesiastici per solutionem onerum bonis impositorum, possunt licitè laici, etiam vi ab ipsis auferre propria autoritate, quæ soluenda sunt, si Ecclesiastici soluere sponte renuant, sed hoc belli tempore æquitas, & charitas exigit, vt laicos subleuent Ecclesiastici per solutionem onerum, bonis impositorum, ergo si Ecclesiastici renuunt soluere, possunt laici licitè vi etiam auferre ab ipsis, quæ soluenda sunt.

3 Hoc argumentum licet verè non concludat, falsa est enim maior propositio asserens licitè posse laicos

laicos vim adhibere Ecclesiasticis bonis, cùm æquitas, & charitas poscit vt onera soluant Ecclesiastici, & nolunt soluere: Nego enim id licere extra extremam necessitatem, si commodè possint adiri superiores Ecclesiastici, qui eos compellere debent, causa enim de iure agenda est, non de facto, præsertim iniusto, ac violento, cùm Sacrorum Canonum preceptis id sit conforme.

4 Minor etiam propositio neganda est, si laicorum facultates satis sint ad onera belli. At eas sufficere, si velint iustitiam seruare, capite superiori probatum est, & à superfluis sumptibus abstinere; si id nolint, ad contributionem non tenentur Ecclesiastici, nam cùm possint commodè laici prouidere reip. & nolint, non censentur eis deesse facultates.

5 Argumentum à laicis initio allatum non concludit, Admittamus tamen illud, imò & si velint laici esse demonstrationem, non recusemus. At hoc concesso, sequens argumentum non poterunt negare laici esse demonstrationem. Quotiescumq; quis non expendit, quæ expendere debet ex æquitate, charitate, & Religione ob Ecclesiæ, & rerum ipsius defensionem, licitè cogi potest, & possunt etiam vi ei auferri ad sumptus necessaria, propria auctoritate: sed laici non expendunt ea, quæ expendere debent ex æquitate, charitate, & Religione ob Ecclesiæ, & rerum ipsius defensionem, ergo licitè possunt eis auferri etiam vi propria autoritate ab Ecclesiasticis. Maiorem non negent laici, alioqui negare debebunt maiorem suæ demonstrationis, est enim nostra propositio omnino similis illi. Nec negabunt, vt puto, cùm vere æquitas, Charitas, & Religio exposcat, vt Ecclesiæ, & Ecclesiasticarum

 rerum

rerum defensio suscipiatur à laicis, eo præsertim tempore, quo in discrimine versantur illæ, vt hoc tempore belli, quo nihil est ab hoste tutum, imo nec ab amicis militibus, & quo maximè curandum est, vt Dei cultus conseruetur, cùm preces, & sacrificia Ecclesiasticorum sint in primis necessaria, vt Dei gladius in vaginam recondatur, eiusq; ira sedetur, Si autem Ecclesiastici non habeant tum quæ ad decentem sacrificiorum ornatum opus sunt, tum quæ ad eorumdem Ecclesiasticorum conuenientem sustentationem sunt necessaria, ruet Dei cultus, desertaq; erunt sacra templa. Non habebunt autem prędicta, si quæ expendenda sunt in eorum victum, & sacrificiorum conuenientem apparatum, cogentur militibus præbere,

Non patietur pietas, Charitas, & Religio laicorum, vt hi hoc tempore, se ab Ecclesię, & Ecclesiasticarum rerum defensione subtrahant in tantis bellorum periculis. Principes enim à Christo Domino, vt ait D. Isidorus *a* tuendam susceperunt Ecclesiam, & ei rationem sunt reddituri propter eam c. cum ad verum 96. d. c. Principes 23. q. 5.

a Isid. in cap. Principes 23. q. 5.

6 Quare superest solùm ea pars probanda: laici non expendunt, quæ expendere debent pro Ecclesię, & rerum ipsius defensione, si velint Ecclesiasticos grauare. Probatur ergo quia quod expendunt pro sui, ac rerum suarum defensione, deberent expendere, si de sola Ecclesiæ, & rerum Ecclesiasticarum defensione ageretur. Supponamus non Catholicos armatos, sed Suecos, aut alios Ecclesiæ hostes ditiones Italiæ aggredi, vt Ecclesiæ bona sibi vsurpent, & Dei cultum, vel euertant, vel valde imminuant, nonne pro ijs defendendis iustissimè bellum suscipien-
dum

dum esset à Principibus, qui Ecclesiæ defensores sunt, atq; adeo non ne quæcumq; nunc expenduntur à laicis, cùm de laicarum, & Ecclesiasticarum rerum defensione agitur, esset expendendum, si de Ecclesiasticarum tantummodo rerum defensione ageretur? idem enim exercitus esset alendus, & consequenter eadem onera subirentur. At nunc laici volunt Ecclesiasticos concurrere secum ad defensionem rerum Deo dicatarum, & suarum, ergo volunt res Ecclesiæ defendi ab Ecclesiasticis collato tributo, se que eximunt à parte expensarum, ad quas ex charitate, Religione, pietate, & ęquitate sunt obligati. Cùm igitur laici non expleant suam obligationem, si Ecclesia temporali gladio vteretur, posset vi auferre, quod laici retinent, & in quo Ecclesiasticos grauant, possentq; Ecclesiastici facere cum laicorum colonis, & rebus, quod laici faciunt cum colonis, & rebus Ecclesiasticorum; si enim hi id præstant, quia Ecclesiastici non satisfaciunt suæ obligationi ex æquitate, & charitate, cur Ecclesiastici idem non possent facere, quia laici non implerent, quod debent ex Charitate, æquitate, & Religione?

7 Verùm eo argumento non vtamur. Illuc reuertatur oratio, vnde digressa est. Concedo in necessitate, cùm periculum est in mora, Ecclesiasticos teneri contribuere pro viribus ad defensionem Reip. concedo, si id renuant, cùm ea adest necessitas, & periculum in mora, nec Episcopi prouident, posse laicos per modum iustæ defensionis non vi alicuius iurisdictionis auferre ab Ecclesiasticis quod debent. At nego hanc adesse necessitatem, Nego vllum periculum esse in mora, cùm non agatur de improuiso

aliquo subsidio conferendo vna vice ob inopinatam necessitatem, sed de annuo ob necessitatem ante aliquot annos inceptam, & diutius etiam duraturam, nostris peccatis ita exigentibus, propter quod Summus Pontifex adiri potest, vel singulis annis, cùm hostis abest à Regionibus, quas inuadit certo anni tempore, nec per aliquot menses est reuersurus: vel vno anno peti, vt dum bellum imminet, velit Ecclesiasticos singulis annis contribuere: si enim id æquum existimabit Pontifex, & Ecclesiasticos posse, non abnuet. Nunc verò vi aufertur quod laici prętendunt, & quidem non per modum iustę defensionis, cùm non adsit ea necessitas, in qua periculum sit in mora, sed per modum iniquæ violentiæ, & vsurpatæ iurisdictionis, cùm possint sine vllo periculo, & nolint ad Summum Pontificem recurrere, sed confugiunt ad arma, & vim, quibus Ecclesiastici obsistere non possunt, hęcq; laici summum tribunal iustitiæ putant, non sedem Apostolicam, à qua non auditi ad illa appellant, censentq; sibi iure deberi, quod arma, & vis concedunt contra Ecclesiasticorum bona, cùm tamen non sine grauissimo crimine id obtineant, licet aliquando Ecclesiastici ad declinanda maiora mala, atq; ad redimendam vexationem videantur sponte tribuere, quod non nisi metu maioris mali tribuunt.

8 Nec quis credat Ecclesiasticos tertiam partem bonorum immobilium possidere, & si possiderent, non esset maior Christianorum pietas, quàm Vrbis Romæ fundatoris, qui cùm totum agrum Romanum in tres partes æquales diuisisset, vnam Dei sacrificijs ac ministris dedit, vt narrat ex Dionysio Halic. l. 2. Bodinus l. 6. de Rep. c. 2.

Fuit

Fuit hoc dictum Iacobi Angliæ Regis hæretici, vt Principes contra Ecclesiasticam immunitatem armaret, pene tertiam partem populi, soliq; Principum esse Ecclesiæ dicatam a Hinc disseminatum puto in Italiæ Regionibus & alijs Ecclesiastici Iuris, esse tertiam partem bonorum immobilium totius ditionis, vt excitarentur populi contra Ecclesiasticam immunitatem. Sed cùm autor huius rei sit hęreticus, & contra veritatem loquatur, à Catholicis regionibus eliminanda est eius falsa assertio, non enim opinionem sequi hac in re debemus, sed veritatem. Veritas autem est nec quartam partem agri ipsius esse Ecclesiasticorum; cuius quartæ partis plusquam duæ tertiæ antiqua bona sunt Ecclesiæ, quæ nec catastrata esse audio, nec oneribus vllo modo obnoxia, saltem extraordinarijs, alia pars est acquisita ab anno millesimo sexcentesimo vsq; ad hoc tempus. quam laici contendunt non esse exemptam: & quia Ecclesiastici Iura sua tuentur, & ijsdem priuilegijs asserunt eam frui, quibus illa antiqua fruitur, laici iura iuribus non eneruant, sed vi, & armis quibus Ecclesiasticos non decet certare, nec eis suppetunt vires, & vt hanc partem postremam grauent, ab exemptis bonis vim non abstinent, eorumq; colonos vexant: Et ideo Ecclesiastici, Regulares præsertim, ad eam sunt deducti calamitatem, vt pleriq; ad victum sufficientiā non habeant.

a Suar. cō. tr. Reg. Angl. l. 4. init.

9 Res ergo in eum statum deuenit, vt si grauentur antiqua bona Ecclesiæ acquisita ante annum millesimum sexcentesimum, Ecclesiesticis sint de futura necessaria ad sustentationem, cùm laici ipsi testentur pluribus esse oneribus grauata bona, quàm fructus eorum patiantur, qui illis impares sunt. Si verò graue-

tur.

tur ea pars tantùm, quę poſt dictum annum eſt acquiſita, exiguum admodum ſit futurum Reip. ſubſidium, nec ideo minuenda ſint laicorum onera, omnia enim ſimul vnita non ſunt ſatis ad ſatisfaciendum belli expenſis; & ideo finis, ob quem grauantur bona Eccleſiaſtica, non obtinetur, qui eſt laicos, & Remp. ſubleuare. Adde quod ſi Eccleſiaſtica bona ſunt aucta, numerus etiam Eccleſiaſticorum eſt auctus, & ideo exiſtente eo incremento, non poſſunt aſſerere laici ſupra neceſſitatem illa eſse donata. Alimentis enim Eccleſiaſticorum inſeruiunt.

Sed iam argumentis initio capitis ſecundi propoſitis ſatisfaciamus per ſequentia capita.

CAPVT DVODECIMVM.

An Eccleſiaſtici debeant onera à laicis impoſita, ob eam rationem, quia æquitas, & charitas ità exigit.

1 *Primum argumentum ductum ab ęquitate*

2 *Si ex æquitate tenentur Eccleſiaſtici, non poſſunt vi auferri, quæ debent.*

3 *Maior, & minor argumenti refellitur.*

4 *Iniquè agunt laici, cùm auferunt ab Eccleſiaſticis contributiones, & ad reſtitutionem tenentur, nec vi poſſunt auferre.*

5 Non

5 *Non habent superflua Ecclesiastici, licet multa acquisierint post annum* 1600.
6 *Respondetur allatis legibus tum canonicis, tum ciuilibus.*
7 *In quo sit aequiuocatio laicorum.*
8 *Iudices non possunt esse laici, an necessitas hoc tempore adsit.*
9 *Eorum testimonium est suspectum.*
10 *Non tenentur Ecclesiastici sua largiri Principi in necessitate, satis est mutuo dare, vt factum est cum Heraclio, Carolo V. Duce Mediolanensi.*
11 *Auferuntur ab Ecclesiasticis bona sine animo restitutionis.*
12 *Princeps an possit praeiudicare iuri tertij.*



1 FVit hoc primum argumentum ductum ab æquitate naturali exposcente, vt Ecclesiastici ad onera concurrant cum laicis, ne hi nimis succumbant in communi necessitate, in qua de commodo non solùm laicorum, sed & Ecclesiasticorum agitur, ad quam æquitatem iura tum ciuilia, tum Canonica respexerunt, statuentia, vt ad ea onera Ecclesiastici concurrerent.

2 Si hoc subsidium ex ęquitate, vel charitate debetur, fateantur necesse est laici, non deberi ex iustitia commutatiua, adq. adeò si Ecclesiastici non illud conferant, peccare quidem contra æquitatem naturalem, vel Charitatem, at non contra iustitiam commutatiuã, & consequenter nullum esse ius ex ea iustitia ortum in Principe laico, eiusq. ministris auferendi vi ab Ecclesiasticis, quod hi debent ex charitate

tate. At cùm vi auferatur, quo titulo aufertur? Neq; enim quod ex caritate, debetur, auferri à debente inuito poteſt, niſi in caſu extremę neceſſitatis, cùm aliter nos, aut Remp. tueri non poſſumus, in quo caſu, quę ad debitam defenſionem ſunt neceſſaria, auferri, vel ab inuitis poſſunt. Italiæ autem Regiones hoc tempore non ſunt in ea neceſſitate, vt cap. Decimo probauit Orator Eccleſiaſticus. Quare cùm laicorum argumentum hoc ſit, In neceſſitate tenentur Eccleſiaſtici ex charitate contribuere pro defenſione Reip. ſed nunc ciues ſunt in neceſſitate, ergo tenentur Eccleſiaſtici contribuere. Tum ſic ſubſumitur. Sed quod debetur ex Charitate poteſt vi auferri, ſi non detur, ergo non iniquè agunt laici ab Eccleſiaſticis auferentes vi, quod ab his debetur.

3 Maior diſtinguenda eſt. Tenentur Eccleſiaſtici contribuere ſi habeant ſuperflua decentię ſui ſtatus, & ſeruentur pręſcripta à Iure Canonico, concedo; ſi non habeant, nec ſeruentur præſcripta à iure Canonico, Nego. Minor falſa eſt, nam tota neceſſitas eſt voluntaria, quę auferri poteſt, ſi velint Princeps, & Magiſtratus, ſeu eius Miniſtri, iuſtè diſtribuere onera, & alia ſupra cap. 10. explicata, facere. Falſa etiam eſt, quia ſupponit Eccleſiaſticos poſſe contribuere ſeruatis ſibi ad decentem vitam neceſſarijs, & ad Dei cultus conſeruationem, id enim non poſſunt: Quare argumenti conſequentia eſt penitus falſa.

4 Ad id verò quod ſubſumitur, negatur poſſe vi auferri ab inuito quod ex charitate debetur extra extremam neceſſitatem, & non ſoluitur, cùm pręſertim qui poſſidet, eo eget ad ſui ſuſtentationem. Atq; adeò iniquè agent laici, ſi auferant illud, & ad reſtitutionem tenebuntur, cùm auferant aliena ab

inuitis,

inuitis, & à non subditis; Vt iniquè agerent, si à Principum conterminorum subditis auferrent, quia nullum habent ius in ipsos, nec propriæ Reip. necessitas grauis dat autoritatem in eos, eorumq; bona: nec etiam dat in Ecclesiasticos, eorumq; bona. Sic etiam Azor t. 3. l. 5. c. 19. q. 11. licet concedat ob necessitatem publicam, communem Clericis, & laicis, teneri Ecclesiasticos contribuere, negat tamen cogi posse à laica potestate q. 14. Verùm etiam si laicis deberetur absolutè subsidium ab Ecclesiasticis, non posset tamen vi auferri potestate laica, sed ad Ecclesiasticorum superiores esset recurrendum, vt eos cōpellerent ad suę obligationi satisfaciendum, cùm laicorum nulla sit potestas in Ecclesiasticos, si sacrorum Canonum decisioni standum est. Licet autem Azor. t. 3. l. 5. c. 19. q. 14. videatur cum Bart. & Alberico sentire Iudicem Laicum posse executionem facere in bonis Clerici, cùm hic non soluit tributum, quod debet, non puto tamen loqui in nostro casu, cùm onus an debeatur à Clerico est dubium, imo certum non deberi; vt cùm est onus extraordinarium, & laicus prætendit deberi. sed in casu, cùm est certum deberi, & Clericus non vult soluere.

5 Quòd si dicant laici bona acquisita ab Ecclesiasticis post annum millesimum sexcentesimum esse vltra necessitatem Ecclesiasticorum, & ideo priuilegio aliorum antiquitus in Ecclesiam translatorum frui non debere, cùm id laicis, & reip. sit noxium, qui incommoda sustinent, Ecclesiastici autem superflua possident. Negant Ecclesiastici ea esse superflua, cùm ipsa etiam pro alendis Ecclesiasticis sint concessa, & cùm simul cum antiquis non sufficiant ad suam sustentationem decentem, multo

minus sufficient ii onera sustinebunt. Et si numerus possessionum creuit, creuit etiam numerus Ecclesiasticorum ad maiorem Dei cultum augendum, & conseruandum, & ideo bona de nouo acquisita non sunt vltra necessitatem Ecclesiasticorum.

6 Ad leges, & Canones, qui adducti sunt pro laicis, facilis est responsio, & ijs iam responsum est. Nam quo ad leges Ciuiles, hæ nihil possunt statuere circa Ecclesiasticos defectu autoritatis, & iurisdictionis, nec contra sacros Canones possunt aliquid decernere. Quòd si aliquando Ecclesiasticos obligant, non ex vi sua id faciunt, sed vel quia, quod est alterius obligationis proponunt, vel quia à Summo Pont. approbantur. In nostro autem casu non solùm non approbantur, sed reprobantur eę, quæ onera imponunt Ecclesiasticis, & ideo non sunt adducendæ à Catholicis vt Ecclesiasticorum obligatio probetur. Adde quòd posteriores Principes alijs legibus oppositum sanxerunt.

Ad sacros canones eisdem laicis fauentes supra etiam responsum est, per posteriores alios aliter statutum esse: & præterea illos conditos esse ijs temporibus, quibus Ecclesia suam libertatem tueri non poterat regnantibus Imperatoribus, vel Ethnicis, vel hæreticis. Quòd si Iustinianus, cùm Catholicus erat, aliqua statuit contra Ecclesiæ libertatem, iniquè fecit, excusari tamen aliquo modo potest quia id fecit consentientibus, & fortè suadentibus aliquibus Episcopis, Constantinopolitano præsertim Patriarcha, teste Baronio. [a]

[a] Baron. an. 528.

7 Tota ergo æquiuocatio laicorum est, quòd non solùm volunt Ecclesiasticos in necessitate graui teneri subuenire reip. sed volunt ipsi esse iudi-

ces

tes eius necessitatis, An scilicet adsit, nec ne, cùm tamen Sacri Canones velint Iudices in hac re esse Episcopum, & Clerum, quos vetant aliquid dare postquam iudicarint eam adesse, nisi prius consulatur Rom. Pontifex, & preterea applicant laici ad necessitatem non extremam, id quod extrema tantùm concedit, nempe posse à nolentibus auferri subsidium, & ad illud cogi à se Ecclesiasticos proprio defensionis Iure.

8 In maiori ergo argumenti conueniunt laici, & Ecclesiastici, quoties adest tanta necessitas Reip. vt teneantur Ecclesiastici ei subuenire, debent id facere, conueniunt, inquam, & admittitur ea maior. In minori est potissima difficultas. Sed nunc est tanta necessitas, vt teneantur Ecclesiastici ei subuenire; eam enim negant Ecclesiastici; Affirmant laici; Ad iudicem, si rectè agendum est, recurrere debent, vna enim pars non potest esse iudex in propria causa. Hic Iudex Quis alius esse potest, quàm Summus Pontifex? Hic si auditis Ecclesiasticorum probationibus non solutis à Procuratore Laicorum, nihil statuit, sed Ecclesiasticos relinquit in eo statu, in quo erant, signum est eam necessitatem, quæ Ecclesiasticos obliget ad contribuendum, non adesse, dum enim subsidium non concedit, eam necessitatem, quę Ecclesiasticos obliget ad contribuendum, non ei liquet adesse, nam si de illa ei constaret, petita profectò pro sua erga populos charitate concederet: simulq; laicorum facultates satis esse ad ei necessitati subueniendum admittit. Quid nunc superbit laicus, & contra Pastorum suorum, imo, & Summi Pastoris iudicium extollitur, suumque præfert iudicium eorum sententię?

9 Testatur equidem laici eam adesse necessitatem, & suas facultates non sufficere ei subleuandæ, quod hucusq; negauimus. Sed testentur id quidem, at nolint esse iudices, & definitiuam sententiam ferre. Illud testimonium non probat, nam testimonium necessitatem patientis audiri non debet, quia desiderium sua seruandi, ob quod excitatur auiditas rapiendi ab Ecclesiasticis, suspectum reddit illud testimonium, vt docet Castr. Palaus. *a* Si ergo suspectum est illud testimonium, multò minus æquum erit laicos sibi ius dicere in propria causa contra eosdem Ecclesiasticos, velleq. Iudices esse, & Partem, Nec supponendum est, sed probandum adesse necessitatem, cui auferendæ non sufficiant laicorum facultates, & diligenter examinandum est, an adsit, nec ne; Tu laice dicis, Adest necessitas, Ego Ecclesiasticus nego. Tu rem esse manifestam dicis, & tuum dictum vis esse pro sententia definitiua, & sine appellatione; Nego ego rem esse manifestam, & multis rationibus probo, & coniecturis. Tu nihil aliud addis, nec respondes ad argumenta, sed tua responsio est, vi auferre ab Ecclesiasticis, & eorum colonis res ipsorum. Quare Ecclesiasticos damnas idem Iudex, idem executor, non examinata causa, cùm tamen extra vrgentem, seu extremam necessitatem non ita sit agendum.

a Castr. Pal. de Charit. tr. 6. d. 2. p. 4.

10 Sed supra adducta, non esse adducta fingamus, concedamusq; eam necessitatem adesse, quam dicunt laici, & ad eam subleuandam esse Ecclesiasticos obligatos. Satisfaciant igitur hi obligationi suæ, & necessitati publicæ subueniant. Nunquam tamen probabũt laici, teneri Ecclesiasticos sua largiri Principi pro ea necessitate, satis est mutuo dare, vt apud Vasquez, *b* & alios

b Vasqu. de elem. cap. 1. d. 6.

alios Theologos non paucos videri poteſt; mutuo enim dando ſatisfit dictę obligationi, cùm per hoc mutuum poſſit indigens Reſp. ſuę neceſſitati ſubuenire, ideo Heraclius Imperator in ſumma inopia tum ęrarij ſui, tum populorum ſuorum, Perſarum bello vrgente, ab Eccleſijs, & Monaſterijs non vi rapuit, nec vt ſibi dono daretur aliquid poſtulauit, nec onera, & tributa exegit ab Eccleſiaſticis, ſed mutuo ab ijs, ſeu Eccleſijs accepit conſentientibus, & approbantibus pleriſq; Epiſcopis. Prætерito ſeculo Carolus V. in bello contra Proteſtantes Eccleſię, & Imperij hoſtes, nihil ab Eccleſijs, & Eccleſiaſticis inuitis exegit, ſed mutuo petijt quingenta aureorum millia quę data ſunt cum pacto, vt oppignorata eſſent eius bona, eamq; ſummam reſtitueret, cùm res ipſius ad meliorem, quàm tunc erant, ſtatum perueniſſent. Dux Mediolanenſis [a] anno 1427. mutuo pecunias ab Eccleſiaſticis accepit neceſſitate maxima ærarij preſſus, cùm vacuum eſſet, & copioſum alere exercitum cogeretur, quas depulſa neceſſitate reſtituit. Hoc autem mutuum ad ratam facultatum vniuſcuiuſq. petebat, requirebatq; illud prius ab Eccleſiaſticis, non vi auferebat. Quod eo admirabilius eſt in iſto, & alijs Principibus ditionis Mediolanenſis, quia à Pontifice Maximo conceſſum ijs erat priuilegium vt Eccleſiaſticis imponere poſſent contributiones, noluit tamen ob reuerentiam in ordinem Eccleſiaſticum & vti poteſtate, ſed mutuata pecunia contentus fuit. Quòd ſi aliquando eo priuilegio vtebatur, Xenodochia eximebantur, ſufficientia alimenta ſemper Eccleſiaſticis conſeruabantur, & quę ad Dei cultum decenter exercedum erant neceſſaria, quare ſuperflua tantùm amputabantur.

[a] Ex Barone Porta in 2. indice prop. 1. et in obſer. cap. 2. Et de modis diuerſis contribuẽdi. ibid. Et propoſ. 4. cũ eius obſeru.

Neq;

Neq; huiusmodi contributiones imponebat nisi prius consultis Episcopis, qui, quid a quoq; soluendum esset, decernebant; nec nisi de eorum consensu contra Ecclesiasticorum colonos, & alios eorum debitores quicquam intentabat, ipsiq; Episcopi exactorem constituebant, in ęstimum consentiebant, illud vt executioni mandaretur curabant (Quod munus Antonij de Leua ętate ad Oeconomum Generalem Ecclesiasticum spectasse legitur) edictum de solutione proponebant. Nec in Ecclesiasticos vnquam sine Ro. Pontificis licentia quicquam autoritatis Principes illi vsurpabant. Idem si pręstent nunc Principes, & Magistratus nihil erit cōtrouersiæ cum Ecclesiasticis. Concedat Ro. Pontifex contributiones, exigant Episcopi, abstineant à violentia laici, soluant Ecclesiastici, quæ iubebuntur, ac patienter ferent impositas contributiones. Et quidem hoc mutuo satis esse consultum suæ, ac Reip. necessitati censuerunt hi Principes, adq. adeo per illud à Charitatis, & ęquitatis naturalis obligatione se Ecclesiasticos eximere, seruariq. à se debitam Ecclesiæ reuerentiam, nec pauperes sua fraudari subuentione.

11 Si hoc tempore cum Ecclesiasticis eodem modo ageretur, non esset quod conquererentur, non enim cogerentur dare, seu non auferrentur ab eis quæ ad victum, & vestitum necessaria sunt, sed quę super essēt, exhiberent, & quidem libentius, scientes ea aliquādo esse reddēda. At nunc nunquam restituenda auferuntur; & si se restituturos dicant Principes, & Magistratus, dicet Ecclesia, Accipio conditionem. Verùm si restituendi animus est, cur non adnotantur in aliquo libro ea, quæ ab Ecclesiasticis auferuntur? Cur immittuntur Milites in Ecclesiastica bona, qui ea consumant

fumant, nullam confumptorum cuiquam, nifi Deo, reddituri rationem? Cur tam rigidè, & iniquè feruatur, vt in Cataftro non appareat effe bona Ecclefiaftica ea, à quibus onera exiguntur, nifi quia fi id appareret, vererentur laici, ne aliquando Ecclefia iniquè ablatum repeteret, & cogerentur ipfi non fua vfurpantes ea reftituere, vt exigit iuftitiæ ratio? Cur exactores, ni Ecclefiaftici onera foluant, vi auferunt eorum animalia, & fructus, vt foluere compellant? Hæc fatis oftendunt nullum effe reftituendi animum, licet verè ad reftitutionem teneantur quicumq; caufa damnorum funt Ecclefijs, & Monafterijs illatorum, cùm caufa fint, vt iniuftè aliena auferantur, exempta fcilicet ab omni laicorum poteftate, fiuè iurifdictionis, fiuè œconomicæ. Obligationem autem ad reftituendum cùm Ecclefia grauatur in neceffitate à Principe laico agnofcit Cynus apud Thufchum. *a*

12 Quòd fi quis dicat, Princeps publicæ vtilitatis caufa poteft auferre ius tertij, eiq; præiudicare, ergo id etiam poterit cum Ecclefiafticis. Negabitur primò confequentia, quia dato quòd poffit auferre ius tertij fubditi, non poteft tamen non fubditi, & fi cùm Ecclefiafticis non fecus ac cum fuis fubditis fe gerere poffet, feruare tamen deberet, quæ Sacri Canones prefcribunt, atq; adeo à Summo Pontifice licentiam petere deberet. Secundò demus effe verum antecedens, at in tali cafu tenetur Princeps damnum illius tertij compenfare; vt Doctores docent apud. *b* Menochium, multo magis refarcire debebit Ecclefiafticorum damnum.

a Cyn. in l. Neminẽ c. de Sac. Eccl. fin. ex Thuf. u. Ecclefia cõcl. 13. n. 48.

b Bald. in l. venditor §. fi conftat ff. comm. vni. præd. Natta conf. 554. n. 8. l. 3. Rolãd. à Valle l. 2. conf. 69. & l. 3. conf. 71. ex Menoc. cõf. 744. n. 10.

CA-

CAPVT XIII.

An adsit consuetudo Ecclesiasticos ad tributa soluenda ligans.

1 *Nolunt Ecclesiastici asserere exemptionem suam à tributis esse de Iure Diuino.*

2 *Non adest consuetudo, sed violentia contra Ecclesiasticam Immunitatem.*

3 *Consuetudo laicorum contra Ecclesiasticam libertatem, non ligat Ecclesiasticos. Qui legem circa aliquid condere non possunt, nec possunt consuetudinem introducere circa illud.*

4 *Debet per actus humanos, & voluntarios induci consuetudo. Metu maioris mali, aut etiam vi soluunt Ecclesiastici onera.*

5 *Per iniuriam laici contra Ecclesiasticos ius sibi dicunt.*

6 *Papa non potest consentire in consuetudinem contra Ecclesiasticam libertatem.*

7 *Dato quod posset consentire, satis non esset tacitus consensus.*

8 *Tolerantia non arguit consensum, nec reddit validam legem, cùm est, vt peiora caueantur, vt accideret in nostro casu.*

9 *Consuetudo contra Ecclesiasticam libertatem est corruptela, nec introduci potest ab Ecclesiasticis, & laicis simul.*

10 *Ex immemorabili consuetudine contra immunitatem Ecclesiasticam arguitur priuilegium, non tamen ità omnes sentiunt*

11 *Duces Mediolanenses olim onera imposuerunt Eccle-*

sijs

ssijs autoritate Summi Pontificis. Quod Priuilegium non est omnibus concessum.

12 *Non est alleganda consuetudo contra ius scriptum.*

13 *Non potest adduci praescriptio contra Ecclesiasticam libertatem.*

14 *Adducere consuetudinem contra Ecclesiasticam libertatem non excusat à peccato.*

Hæc fuit prima ratio à laicis adducta cap. 2. ad probandam obligationem Ecclesiasticorum ad soluenda onera.

1 

Possent Ecclesiastici ea responsione vti, qua multi vtuntur, nempe Ecclesiæ exemptionem à tributis esse à Iure Diuino, & ideo consuetudine, aut præscriptione humana, non posse deperdi etiam cum Papę scientia, & consensu. a Sed ea vti nolunt, cùm multorum Doctorum sequi ijs sententiam satis sit, qui iuris humani else eam exemptionem asseruerunt.

a Vide Surd. conf. 301. vol. 4. §. consuetudo & seq.

2 Respondent ergo negantes adesse eam consuetudinem, sed ab aliquot ab hinc annis adesse violentiam laicorum in bona Ecclesiasticorum, contra quę, & colonos eorum vi armata procedunt, vt extorqueant quæ prætendunt; Violentiam autem, & si longi temporis, non obligare de iure Ecclesiasticos; qui si ad redimendam vexationem aliquid soluunt, non sponte id faciunt, nec iure id possunt facere, cùm in nullius Ecclesiastici potestate sit iura, & priuilegia Ecclesiæ imminuere, eisq; nuntium remittere.

3 An hæc responsio subsistat, diligentius inspi-

ciamus. Et primò inquirunt. Quis huiusmodi consuetudinem induxit? An Princeps? An Laici? An Ecclesiastici? An omnes simul? Si Princeps, & laici, hæc non est consuetudo, nec vim habet consuetudinis, quia consuetudo ab ijs induci debet, qui legem condere possunt, *a* vt vim legis habeat, eamq; seu contrarium priuilegium abroget, est enim consuetudo Ius quoddam non scriptum, quod pro lege suscipitur. *b* Vnde cùm consuetudo legem inducat, & legem inductam mutet, tollatq; *c* non nisi ab ijs introduci potest, qui legem possunt condere; At neq; Princeps laicus, neq; alij laici possunt condere legem contra libertatem Ecclesiasticam, ergo nec possunt consuetudinem introducere contra eandem. Quare sicut si lege aliquid sancirent, contra eam libertatem, esset omnino irritum, ita etiam irrita, & nulla erit consuetudo per eos introducta. Et præterea cùm agatur de vtilitate tum laicorum, tum Ecclesiasticorum, vt asserunt laici ipsi, vtrorumq; requiritur consensus, nam quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. *d*

a Suar. de leg. l. 7. c. 9. Bon. de leg. d. 1. q. 1. p. ult. §. 3. n. 28. S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3. & alij communiter.

b Cap. consuetudo d. 1. Bon. l. c. n. 2. 4.

c cap. in his d. 11.

d Dian. 1. p. tr. 1. res. 39.

4 Si verò hanc consuetudinem Ecclesiastici introduxerunt, nihilhominus assero hanc non esse consuetudinem. Primò quia vt consuetudo vim legis habeat, & deroget legi, ac priuilegio communitatis, debet per actus humanos, voluntarios, ac liberos induci, *e* sicut lex per huiusmodi actus fieri debet, alioqui lex non erit. At Ecclesiastici non consentiunt liberè in solutionem onerum, seu tributorum, sed metu maioris mali à laicis inferendi, nisi contribuant, quibus non possunt obsistere, cùm mittantur milites, & exactores cum satellibus ad colonos Ecclesiasticorum, eorumq; possessiones, & domos

e Suar. l. 7. de leg. c. 12. Bon. de leg. d. 1. q. 1. p. vlt. §. 3. n. 12.

domos rusticas, qui auferant triticum, boues abducant, & alia surripiant, quia onera, quæ laicorum sententia debebant Ecclesiastici, non soluerunt. Hęccine est consuetudo soluendi? Vbi metus grauis mali, & non rarò coactio intercedit, libertas non est; Adest autem inuoluntarium secundùm quid, si metus sit grauis, & iniuriosus, Adest verò inuoluntarium simpliciter, si sit coactio. Confirmatur quia Ecclesiastici soluentes tributa, si non haberent metum maioris damni, ne scilicet Coloni fugerent, ac possessiones incultæ remanerent, & alia grauia mala sequerentur ob laicorum violentiam, non soluerent ea onera, quę inuiti subeunt, cùm nolint suis priuilegijs, ac iuribus præiudicare, Atq; ideò non habent animum inducendi consuetudinem ob solutiones ex solo metu, aut fortè etiam vi factas, vt optimè ex Bartolo docet Suar. a

5 Esse porro eum metum iniuriosum. seu iniuriosè illatum, patet, quia laici sibi ius dicunt contra Ecclesiasticos, & contra eorum priuilegia agunt sine ordine iuris, sed factis tantummodo. Vnde non immeritò dicitur à multis Doctoribus irrationabilis ea consuetudo, quæ est contra libertatem Ecclesiasticam. b Quare cùm compellantur per iniuriam Ecclesiastici ad solutionem onerum, nullum laici ius acquirunt: Nec dici potest consuetudo, vbi vis dominatur.

a Suar. l. 7. de leg. c. 12.

b Suar. l. c. c. 6. n. 13. 14. citans Rochũ, Ias. Bart.

6 Nec dici potest adesse Papæ consensus, nam rei adeò iniuriosę, & onerosę Ecclesiasticis non assentitur, cùm singulis annis in Bulla Cœnæ declaret oppositum. Imo nec potest consentire in talem consuetudinem, per quam auferatur priuilegium immunitatis Ecclesiasticorum etiam vnius prouincię, nam

ea ablatio eſſet iniurioſa ſtatui clericali, & ſcandaloſa Eccleſiæ, nec eſſet in ędificationem, ſed in deſtructionem, Poteſtas autem Papæ data eſt à Chriſto Domino in ædificatiouem, *a* & facerent contra ius Diuinum quod vel immunitatis priuilegium conceſſit, vel Papæ pręcepit vt eam concederet.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 32. c. 7. & ſeq.

7 Verùm demus Papam licitè poſse conſentire in huiuſmodi ablationem immunitatis Eccleſiaſticę, Certè in re tam graui non ſufficit tacitus eius conſenſus, nam requiritur cauſæ cognitio, & magna deliberatio, cùm laici prętendant hanc immunitatem auferre non ad breue tempus, & pro vna, aut altera vice, ſed ad longum tempus, & ſingulis annis. Non ergo dici poteſt adeſſe tacitus Papæ conſenſus, cùm ſingulis annis declaret oppoſitum, & contrarium expreſse promulget; renouans bullam Cœnæ, in qua huiuſmodi conſuetudines aufert.

8 Et ſi qua adeſt tolerantia ipſius, hæc non arguit eius conſenſum, quia tolerat, vt peiora caueantur, quod cùm ſit, Tolerantia validam non reddit legem, nec conſequenter conſuetudinem, vt docent Doctores, *b* nam commodè prouidere non poterat, & periculum erat ſcandalorum, ſi non tolerasset, cùm non facile eſsent obedituri laici, referebatur enim ad ipſum pene renouata eſse duorum Henricorum Angliæ Regum tempora ingemere bonos, & aliorum peſſimorum Principum facta, iuſsaque; iuſsos aliquos Pręlatos è patrijs ſedibus abire, Cognatos, Affineſq; eorum, & aliorum Eccleſiæ iura tuentium Eccleſiaſticorum, malè acceptos, & coniectos in carcerem, deiectam domum vnius vicem Epiſcopi ſuſtinentis, contemni Eccleſiaſticas cenſuras à multis excommunicatis, vel interdictis ob grauamina

b Abb. in C. Clerici de iudic. n. 6. Calder. & alij in c. Decernimus de iudic.

Eccle-

Ecclesiasticis illata, quas contempsisse aliqui dicebant, vel ob pęnas comminatas, si eas seruarent, à potentibus illas pænas inferre, vel etiam ob propriam malitiam, vel ob prętensam iniustitiam, & inualiditatem earum censurarum: Cuius tamen rei iudicium non laicorum erat, sed superiorum Ecclesiasticorum. Et saltem in foro fori iniustitia nulla fuerat, cùm citati fuerint qui rei credebantur, nec responderint: & idcirco, vt contumaces fuerint damnati: Quare exterius saltem parendum erat promulgatæ censuræ ad vitandum scandalum fidelium populorum. Referebatur etiam ad hunc forte contemptum censurarum alterius incitari aliquos, quia sperabant se pręmia, & dignitates consecuturos, vt alicui contingerat. Hęc autem si vera fuerunt, fuerunt etiam Principum, Magistratuum, & communi Catholicorum repręhensione dignissima, sed tamen opera quorundam opinantium, se gratum Principi facturos si executioni ea mandassent, sine ipsius Principis, Senatus, ac Magistratuum mandato, imo nec, vt puto, cùm eorum scientia, nam si nouissent malefactores iustissimi viri, non impunè dimisissent, cùm igitur scandala timerentur, mirum non est Papam dissimulasse violationem Ecclesiasticæ libertatis in aliqua Prouincia, in quo casu tolerantia non arguit consensum iuxta Cap. Dudum de præb. & cap. Deniq. d. 4. Prædicta enim timorem inferebant Ecclesiæ Pastori, & alijs, ne peiora priuatæ illæ personæ molirentur, quas fortè à Principum virorum præcepto inductas ad ea facinora arbitrabantur. Vnde non immeritò huiusmodi consuetudo dicitur corruptela cap. Quamquam de cens. in 6. & Clem. quinta Pręsenti de cens. Quare iniqua est, & irrationa-

bilis

bilis, ideoque non est seruanda. *a*

9 Superest vt ea consuetudo dicatur introducta non à laicis, aut Ecclesiasticis seorsim, sed ab vtrisq; simul, atq; adeo esse derogatum immunitati Ecclesię, sed neq; id affirmari potest, cùm argumenta allata militent non solùm contra eos seorsim, sed & contra eos simul sumptos. *b* Nam Ecclesiastici inuoluntarij fuerunt in contributionibus, nec suis priuilegijs derogare possunt, quibus laici derogandum esse contendunt; laici verò circa res Ecclesiasticas nihil iure possunt, nec ob coniunctionem cum Ecclesiasticis maiorem aliquam potestatem acquirunt in ipsas. Non ergo dici potest consuetudo, sed continuata violentia iniusta, atq; adeo corruptela. Adde quod Ecclesiastici non possunt huiusmodi consuetudinem introducere, cùm non possint renuntiare priuilegijs statui Clericali concessis, aut legem contra aliquod eorum condere, atq, adeo nec consuetudinem introducere contra Sacros Canones. Vide Dianam 7. p. tr. 1. res. 18.

10 Si consuetudo esset immemorabilis forte præsumi posset adesse priuilegium Summi Pontificis, nam ea pręsumitur honesta, non est autem honesta, nisi per priuilegium fuerit introducta, cùm alioqui eam ius reprobet. Licet de hoc etiam dubitandum sit, cùm non desint Doctores asserentes eam consuetudinem immemorabilem non probare priuilegium, quia hoc est odiosum, & rarò conceditur, & ideo debet optimè probari. Et consuetudo immemorabilis reprobata à iure non probat priuilegium. *c* Quicquid sit, in nostro casu non adest consuetudo immemorabilis, cùm non multis ab hinc annis inceperit, ab anno scilicet, vt puto, millesimo sexcentesimo reclaman.

a Fragos. in reg. reip. p. 1. l. 2. d. 4. §. 31. n. 321.

b Vide Suar. l. 4. cotr. Reg. Angl c. 32. n. 19.

c Suar. l. 1. c. 31. n. 17 Curtius, & alij.

clamantibus Ecclesiasticis. Vnde non potest dici Priuilegij vim hebere, & ei æquiparari etiamsi esset longissimi temporis l. Hoc iure vers. Ductus aquæ ff. de aqua quot. Et ęst. Quia iure scripto reprobatur, vt probat cap. Cum satis de offic. Archid., & Io: Andr. in c. de Cleric. ægrot. in 6, Improbatur autem in bulla cœnæ, & in Concilio Later. sub. Leone X sess. 10. & ab Honorio 3. cap. Nouerit de sent. ex com & ab Vrbano VIII. in bulla edita anno 1641. 5. Iun. apud Dian. 7. p. tr 1. res. 18. n. 6 in qua damnat omnia pręiudicialia facta, & facienda contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam etiam sub prætextu quod bullæ non fuerint publicatæ vel vsu receptæ, aut contrario vsu etiam decennali, & quantunlibet longissimo abrogatæ. Et si dicatur, hanc non esse acceptandã obligat nihilominus, quia lex est Pontificia non pendens ab acceptatione, potestatem enim non accepit Papa à populo, sed a Deo: & adigit ad eius obseruantiam censuris. Christus autem dedit autoritatem ligandi, atq; soluendi D. Petro independenter à populo, seu subditorum acceptatione, & si quis neget Pontificem id posse facere dicet aliquid contra fidem.[a]

11 Quòd si forte pro ea consuetudine, afferant, laici, Duces Mediolanenses olim imposuisse onera & exegisse ab Ecclesiasticis, vt fusius quidam Autor probat,[b] cuius opera ad pręlum festinant, & forte edita in lucem erunt, cum hic tractatus ad vmbilicum peruenerit; Dic, contra ea quæ dicta sunt, nihil concludi, quia illi Principes à Summo Pontifice obtinuerunt, vt id fieri posset. Quòd si nunc etiam vigere illud indultum ostenderetur, nihil vltra adderem, suaderemq. Ecclesiasticis, vt patienter impositas con-

[a] Suar. de leg. l. 4. c. 6. n. 2 cum alijs apud Dian. 7. p. tr. l. res. 18. n. 6.

[b] Baro. Franciscus a Porta.

contributiones ferrent factas licitas ob Summi [Pontificis licentiam expreſſam. At nunc non ſumus in eius indulti obſeruantia, quod non omnibus Ducibus Ditionis Mediolanenſis, aut alijs Principibus oſtenditur conceſſum futuris omnibus temporibus, ſed aliquibus tantùm, qui illud petierunt, & hoc ſatis oſtendit perſonale]fuiſſe, non autem dignitati annexum.]

12 Illud etiam ponderandum eſt in ſtatutis Mediolanenſibus cap. 175. dici, non eſſe allegandas conſuetudines contra ius ſcriptum. Exemptio autem Eccleſiaſticorum iure ſcripto eſt.

13 Ex dictis patere poteſt, non poſse adduci pro laicis Præſcriptionem, quia cùm non adfuerit valida conſuetudo, nec facta eſt iuſta pręſcriptio, debet enim intercedere bona fides in præſcriptione, bona autem fides in noſtro caſu non adeſt, cùm iura aperta clament, conſuetudinem contra Eccleſiaſticam immunitatem eſſe irrationabilem. Et ideò actus eius conſuetudinis ſemper ſunt illiciti, atq; idcirco præſcriptionem generare non poſſunt. Optimè enim docet Azor cum alijs [a] Pręſcriptionem incipere cùm fine peccato actus, ex quo oritur conſuetudo, exercetur. Cùm autem conſuetudo vim non habeat niſi fuerint legitime pręſcripta cap. Non eſt de conſuet. in 6. cum Gloſ. in c. vlt. de conſuet. & ea conſuetudo vt vim habeat Rationabilis eſſe debeat, vt docet Azor. [b] nec Conſuetudo exigendi onera ab Eccleſiaſticis ſit Rationabilis, nec ſit legitimè præſcripta cùm ſit contra Sacros Canones, & quotannis reuocetur in Bulla Cœnæ Domini, nulla ex ea orta eſt, nec oriri poteſt præſcriptio. Imo Ius Canonicum requirit conſuetudinem pręſcriptam vt fiat contra ipſum Cap. vlt. de Conſuet. & cap. Non eſt eod. in 6. vt obſer-

[a] Azor. t. 1. l. 5. c. 17 q. 6. cũ Sylu. q. 7. 1. Conſuetudo, Abbas. c. 1. de tregua, & pace, Rocco in c. vlt. de conſ.

[b] Azor. l. c. q. 5.

obseruant Doctores. *a* Præscriptum non est consuetudo grauandi Ecclesiasticos, cùm numquam legitimè inceperit, sed per vim, & iniuriam, & contradicentibus Ecclesiasticis, vel saltem inuitis, sed silentibus timore maiorum malorum. Quòd si consuetudo auferendi pecunias a subditis ob bellum iustum, vel aliam iustam causam publicam, & eas non restituendi vocatur Corruptela à Roccho, *b* quia eam existimat contra ius gentium, multò magis erit Corruptela consuetudo auferendi bona ab Ecclesiasticis, & eos grauandi ob ingruentia bella sine vllo animo restitutionis. Confirmatur, quia laici præscribere non possunt contra res spirituales, vel circa eas concernentia, non enim sunt capaces administrationis earum; At exemptio Ecclesiasticorum est quid spirituale, aut saltem spirituale concernens, cùm sit à Christo Domino per Papam data ad honorem status Ecclesiastici, & ad Diuini cultus conseruationem, ergo contra eam præscribi non potest à laico, acquirendo præsertim iurisdictionem in Ecclesiasticum, cuius ordinariò non est capax. Adde quòd nullum ius fauet ei præscriptioni, vnde est sine eius adminiculo; Ciuile enim in hac materia, nihil potest, Canonicum verò consuetudini huiusmodi resistit, cùm autem non adest ius aliquod, seu voluntas superioris, non fit præscriptio. *c*

14 Nec demum puto consuetudinem hanc esse bonam excusationem à peccato, & ideò dici de ea posse quod D. Cyprianus dixit, Non hominis consuetudinem sequi oportet, sed veritatem *d* Nec dixit Christus ego sum Consuetudo, sed Veritas aiunt Augustinus, & Gregorius Sanctissimi Patres. *e*

a Sylu. Consuetudo q. 4. Nau. de consuet. consi. 1. Rocchus inc. vlt. de consuet. Azor. t. 1. l. 5. c. 17. q. 6.

b Rocchus tract. de consuet. apud Azor. t. 1. l. 5. c. 17. q. 4.

c Suar. contr. Reg. Angl. l. 4. c. 32. n. 19. 20. & vlt.

d Cypr. & refertur cap. Si solus, & can. si consuetudo d. 8.

e Aug. l. de bapt. paruul. Greg. ep. ad Guill. m. vadum.

CAPVT XIV.

An debeantur onera ab Ecclesiasticis ob eorum bona descripta in libro AEstimi, seu Catastro, non sub Ecclesiastici, sed sub laici nomine.

1. *Liber æstimi non facit fidem quoad dominia bonorum in eo descriptorum, sed quoad terminos territoriorum, & qualitatem bonorum. Et ideò non probat bona sub laici nomine descripta esse laica.*
2. *Fingunt se nescire laici aliqua bona esse Ecclesiastica, vel crassa laborant ignorantia, quę non excusat à peccato, & censuris.*
3. *Veritas est inspicienda, non liber catastri. Arguitur Ecclesia immunis ab oneribus, quia in Catastro non est descripta.*
4. *Cur laici è Catastro nolint demere bona in Ecclesiam translata, cùm tamen olim delerentur.*
5. *E catastro esse delenda bona, cùm in Ecclesiam transferuntur, censit Senatus Mediolanensis, & alij Regij Magistratus, ac Gubernatores quoad onera extraordinaria.*
6. *Registratio quam subiectionem indicet.*
7. *Argumentum à Catastro desumptum nullam vim habet. Catastrum non aufert priuilegium exemptionis.*

Bona

8 *Bona catastrata esse obnoxia oneribus sentiunt aliqui in quo sensu.*

9 *Transeunt cum onere bona catastrata iuxta Bartolum, quod est contra consuetudinem Tribunalium ditionis Mediolanensis.*

10 *Ex catastratione non contrahitur hypotheca bonorum.*



Agnum prædicant argumentum pro se laici; inquiunt enim, Bona, pro quibus Ecclesiasticos soluere onera compellimus, sunt in Catastro communitatum descripta nomine laici. ergo ea bona adhuc sunt laica, & consequenter subiecta cuicumq; oneri, quod alijs bonis imponitur: Nec vlla fit Ecclesiæ iniuria, cùm aliquid ob ea bona exigitur, ex rebus enim sub laici nomine descriptis colligitur

1 Magna sane esset excusatio laicorum hic liber census, seu ęstimi si veritatem non apparentias scienter sequerentur ipsi, atque adeò germanè procederent.

Dicite queso, facit ne liber ille, vt eorum prædiorum sit possessor ipse, sub cuius nomine sunt descripta? Non equidem. Sunt enim multa prædia sub vnius nomine in eo libro, quæ alterius sunt, vt ex ipsis libris haberi potest, in quibus prędia assignantur Patri, aut Auo, vel alteri iam defuncto præsentis possessoris Cognato, quorum tamen ea non sunt, sed illius, qui ea possidet; & si vnus hodie prædium suum vendit, nec emptor curet, vt in libro census illud ad se transferatur, erit nihilominus verus ipsius possessor, & dominus. Non enim liber ille facit fidem quo ad dominia, sed quo ad terminos, & ter-

ritorium agrorum, qualitatemq; eorum, vt multi Doctores obseruant, *a* & ideo in limitum quæstionibus terminandis, adhibenda est fides ei libro æstimi, non tamen in ijs dominij, & possessionis in præiudicium præsertim tertij, nisi fortè is consentit ei registrationi, vt asserunt multi, *b* adduciturque pro probatione lex si Pater tuus C. de act. empt. & lex solemnibus C. de rei vindic. Cùm ergo esse aliqua bona in Catastro descripta sub alicuius nomine non probet eius dominium in ea cùm præsertim constat hoc esse penes alium, non potest ex Catastro probari bona sub laici nomine in eo posita ad laicos pertinere, cùm præsertim sciant omnes illa haberi, & possideri ab Ecclesiastico, & ab Ecclesia. Si autem ab Ecclesia possidentur, negari non potest esse Ecclesiastica, Quid enim est bona esse Ecclesiastica nisi ab Ecclesia iure possideri? At nescimus, inquiunt laici, ita esse, inuenimus in nostris libris ea bona laicorum nomine esse descripra, ab ijs idcircò onera exigimus.

2 Verè ne nescitis, an vos nescire fingitis? si verè nescitis, cur Ecclesiasticos vexatis, nec à molestia desistitis, cùm ipsi coram vobis comparent, dicuntq; ea bona sua esse, ac publicis scripturis, & tabulis probant se esse in eorum possessione? Hoc certe non est Nescire, sed nolle scire: Ideoq; verè sciunt laici ea bona esse Ecclesiastica, sed nescire se fingunt; Quamuis autem id non fingerent, excusare se non possent, quia facile possunt huiusmodi expellere ignorantiam, nec volunt, laborant ergo crassissima ignorantia, quæ à peccato non excusat, neq. à censuris, si quæ sunt impositæ vexantibus Ecclesiasticos exactione onerum. Non igitur ex libro census arguẽdum

est

a Bald. in l. 3. c. de nat. lib. Alex. cons. 25. l. 3. n. 3. Dec. cons. 146. n. 13. Alban. cons. 6. n. 6. Cra. cõs. 128. Brun. cõs 34. n. 7. Alex. cons. 35. l. 4. n. 4. Corn. cons. 33. n. 2. & 10. l. 1. Beroi. cons. 77. l. 3. n. 14. Masc. de probat. concl. 396. n. 9. Decian. cons. 40. l. 4. n. 1. ex Menoch. cons 2[illegible]. n. 16. & cons. 147. n. 50. & cõs. 152. n. 12.

b Dec. in c. causa de probat. Crau. tr. de antiq. tẽp. 1. p. n. 7. Iacob. Put. al. leg. pro communi. Val. Alex. cons. 33. l. 4. n. 4. & cons. 81. l. 3. & cons. 10. l. 4. & cons. 37. n. 6. & 182. [illegible] 2. n. 2. & cons. 147. l. 5. Corn. cons. 333. l. [illegible] apud Menoch. cõs. 147. n. 153. & cons. 1[illegible]9. n. 19. 20. & cõs.

est Ecclesiasticos esse obligatos ad onera, sed ex eo ad summum colligitur ea bona in eo descripta sub nomine alicuius laici, fuisse olim illius, tuncq; obligata ad onerum solutionem, & si id omnino non sit certum.

191. n. 83. vbi citat. Bald. Baib. Brun.

3 Imo accidere etiam potest, vt quis in eo libro sit descriptus, vt debitor Communitatis, qui tamen nihil debeat, vt pluribus probat Menochius *a*; Quare cùm ex Catastro debere quis aliquid dicitur, non ex ipso Catastro, sed ex rei veritate videndum est an debeat; In suo enim libro potest quiuis quos debitores voluerit, scribere, qui tamen si verè nihil debeant, non sunt cogendi soluere quia in eo libro inter debitores numerentur; nisi fortè liber ille sit cōfectus publica autoritate, & præmissis citationibus eorum, qui in eo sunt ponendi vt debitores. *b* Licet ergo in catastro posita esset Ecclesia, vt debitrix eius communitatis, non ideo asserendum esset eam esse debitricem, cùm antequam in eo libro describeretur, non fuerit monita, nec citata. Neq; igitur eius bona dicenda sunt esse obligata ad onera, quia in Catastro sint descripta. Quin potius ex eo libro arguendum est Ecclesiam esse immunem ab oneribus, quia in Catastro non est descripta, nam aliquis esse immunis satis probatur, si in libro censûs non sit descriptus ex multorum sententia. *c* Cùm itaque nullus Ecclesiasticus reperiatur in libro communitatis descriptus, optimè arguitur nullum esse subiectum oneribus eius communitatis.

a Menoc. in cons. 7. n. 12. 65.

b Neuiz. cōs. 67. n. 10. Roland. cons. 66 n. 54. apud Menoc. l. c.

c Alex. & Iason in l. Titię textores de leg. Bart. in l. vlt. C. de rebus cre. Bald. in l. Non iustum C. de edend. Crau. cons. 38. Decian. cons. 113. n. 6. & cons. 286. apud Menoch. cons. 21. n. 23.

4 Verùm demus aliquid probari ex libro census, cùm rite est confectus, certè contra Ecclesiasticos non probabit, quia in eo non sunt descripti, vt dictum est; Quòd si aliqua bona ab ijs possessa in eo

sunt

sunt descripta, id non facit, vt possint ad onera compelli. Vnde enim prouenit, vt ea bona sint ibi descripta? Non ex alio, nisi quia nolunt communitates ea bona fateri esse Ecclesiastica, & ideò demere nolunt nomen laici, quod in libris est positum, quasi eorum bonorum dominus olim fuerit, & nunc sit. Cùm tamen, si recte agere vellent, & illud psalmi fugere, noluit intelligere, vt bene ageret *a* deberent, vt olim fiebat, ex ijs libris catastri delere illud laici nomen, sciunt enim hunc non esse eorum bonorum possessorem, sed Ecclesiam: Statim autem ac bona transeunt in Ecclesiam à registro debent auferri, vt docent Doctores: *b* aut si in eo sunt relinquenda, ea tantùm debent esse, quæ erant obnoxia oneribus ordinarijs, iam impositis, vt sciatur quæ onera soluere debeant; Sicq; fuit decisum à Senatu Mediolanensi anno 1543. 17. Decembris in causa bonorum S.S. Dominici, & Bartholomęi Laudę. Vnde in ea ditione ab æstimo generali omnia bona Ecclesiastica fuerunt exclusa, & non registrata anno 1549. Atque in reformationibus taxarum equorum bona etiam de nouo acquisita ab Ecclesia non sunt in eadem ditione taxata, quia magistratus censuerunt non esse denuntianda, nec taxanda, vt patet ex instructione data per Regium Magistratum Alexandro Crasso pro reformatione compartiti taxarum agri Papiensis IV. Agusti anno 1541. c. 8. Ad cuius exemplū aliæ instructiones solitæ sunt ibi concipi. Idem patet ex capitulis æstimi Cremonensis compilatis sub Senatore Montio ad eius æstimi confectionem delegati, & à Senatu Mediolani confirmatis anno 1564. die 23. Martij cap. 4. vbi non est imposita necessitas denuntiandi bona Ecclesiastica; Ac reditus Eccle-

a Ps. 35. 4.

b Feslas trac. de collect. p. 4. c. 1. n. 3. cū seq. & 50. cū seq. Alba cōs. 8. n. 6. Eccer. cōs. 42. n. 25. cum seq. Natta cons. 280. n. 5. Ruin. l. 1. cons. 117. n. 3. cum seq. l. 4. & cons. 111. n. 9. l. 5. Bertroi. cons. 31. fin. l. 1. Ripa in 1. resp. n. 1. 2. de muner. et honor. et alij magis cō muniter apud Galliam cons. 59. ex Gattico n. 14.

Ecclesiastici, quos liuella vocant, sunt detracti, etiamsi fuerint acquisiti, vel facti post æstimum generale, & constituti super bonis iam censitis. Quod etiam decretum est ab eodem Senatore Montio de cõsensu eiusdem Senatus in æstimo Melegnani die 12. Febr. anno 1573. Idem etiam seruatum est Mediolani in exactione taxarum domuum, & perticatuum, à qua exempta sunt semper bona Ecclesiastica, etiam de nouo acquisita, quamuis antea essent descripta in libro æstimi. Quare die 22. Martij anni 1559. Dux Suessæ Gubernator Mediolanensis Ditionis, declarauit ad solutionem impositionis scutorum quingentorum millium teneri omnes præter Ecclesiasticos, Pia loca, Habentes duodecim liberos, & Priuilegiatos ex titulo oneroso sine vlla distinctione bonorum registratorum, & non registratorum: sed satis esse duxit illa esse Ecclesiastica. Quod idem decreuerat anno 1558. die 14. Decem. alter Gubernator Ioannes Figueroa pro Religiosis S. Bartholomei de Cauacurta in comitatu Laudensi, ne scilicet molestia afficerentur pro aliquo onere extraordinario ob bona ab eis possessa, & registrata. Idemque pro Monialibus S. Dominici Ordinis S. Claræ Nouariæ statutũ fuit eodem anno die 23. Dec. teste Plotio iuniori, *a* sicq; fuisse rescriptum ad Prætorem Casalis Maioris pro Reu. D. Syluano de laude & consortibus die 24. Ianuarij anni 1567. & die 12. Iulij eiusdem anni, ac die 20. Aprilis anni 1564. pro bonis translatis in Ecclesiam S. Pauli conuersi à Comite Guastallæ quæ prius erant in libro æstimi descripta, testatur Zumallius. *b* Cùm autem quæstio incidisset pro bonis acquisitis à Monialibus S. Pauli conuersi, & in eas traslatis à Constantio Vistarino, Regius Magistratus Mediolani pronuntiauit die 12.

a Plot. iun. in addit. ad vlt. cons. Marr. Garr. n. 13.

b Zumal. cons. apud Gatticum.

Iulii

Iulij anni 1568. in decretis eſse perſiſtendum; In qua ſententia permanſit die 26. Febr. anni 1579. pro quibusdam bonis emptis à Monaſterio S. Io: in Conca Mediolani, Senatusque eiuſdem Ciuitatis eodem anno die 16. Ianuarij ſcripſit litteras Magiſtratus eſse exequendas; nec eas conſulta Regia Maieſtas anno 1570. abrogauit. Imo idem Senatus Mediolani die 2. Iunij anni 1571. in litteris ad Prætorem Cremonæ datis, ait exemptos ob duodecim liberos ab extraordinarijs oneribus eſse ſeruandos immunes etiam pro bonis poſtea acquiſitis, & regiſtratis: idemq; reſcripſit die prima Septembris anni 1584. & die 7. Iunij anni 1589. pro fratribus Confalonerijs contra Communitatem Candiæ, & pro Minoia. *a* Ergo multo magis reſpectu Eccleſiæ idem eſt aſserendum.

a Ex Zumal. l. c.

6 Quare ſi communitates laicę è Cataſtro delere nolunt bona, quæ ab Eccleſia acquiruntur, non ideo grauandi ſunt Eccleſiaſtici eorum poſseſsores Cùmq. regiſtratio ſubiectionem arguat, nec Eccleſiaſtici ſint laicis ſubiecti, vt ex ſacris Canonibus ſupra probauimus, ea bonorum regiſtratio ſubiectionem indicabit quoad territorium dumtaxat, ſignificabit videlicet ea prædia eſse intra fines territorij communitatis illius, vt notant Doctores. *b* Imo bona in Cataſtro deſcripta cùm ad Eccleſiam perueniunt fieri immunia ab oneribus aſserit Abbas conſ. 13. num. 2. l. 2.

b Crau. conſ. 411. n. 71. & cons. 592. n. 83. Brul. cōſ. 34. n. 7. Benian. conſ. 146. n. 13. Soc. Sen. conſ. 205. l. 2. conſ. 46. l. 3. Iaſon. conſ. 166. l. 4. n. 2. Alex. conſ. 23. n. 3. l. 3. apud Menoc. cons. 264. n. 6. 7.

7 Cùm ergo antiquiſſima ſemper fuerit conſuetudo ab hominum memoria, vt bona ab Eccleſia acquiſita è Cataſtro tollerentur, quo iure eam laici conantur auferre? Quam cùm ſeruare nolunt, & ſub laici nomine relinquere ea bona vt fingant ſe neſcire illa eſse Eccleſiaſtica, nullam vim habet argumentum

ex

ex Catastro desumptum, eoq; se tueri non possunt, cùm contra sacros Canones, legesq; Ciuiles onera ab Ecclesiasticis accipiunt. Nam si catastrum non aufert priuilegia exemptionis Iuris Consultorum, Medicorum, Causidicorum, Notariorum in Collegium ascriptorum, & Magistrorum in publica Academia, aliorumq; cur debet auferre priuilegia Ecclesiæ?

8 Esse quidem obnoxia oneribus bona in æstimo descripta docent aliqua, *a* Verùm cùm eo fundamento ducantur, quia liber æstimi probat possessionē eius, qui in eo est descriptus, & soluit secundùm ęstimum, & hoc fundamentum, vt vidimus, sit falsum, corruit etiam assertio Cap. cum Paulus 1. q. 1. Non puto tamen id absolutè eos voluisse, sed intellexisse bona illa in catastro posita esse obnoxia oneribus, nisi exemptus ea possideat, ducuntur enim ex præsumptione quòd ea bona sint eius sub cuius nomine sunt descripta, & nescitur alter possessor, vt visi sunt se explicasse Baldus, & alij. *b*

9 Licet autem Bartolus cum aliquibus alijs, *c* sentiat in quemcumque transeant bona catastrata, transire cum suo onere, & ideò si bona alienet Dominus, detq; personæ, quæ non sit soluendo, non debere de ęstimo extrahi, sed teneri ipsum alienantem ad onera, idq; extendant, etiasi alienatio fiat in Ecclesiam, in quo casu volunt alienantem teneri ad onera, & collectas. Nil refert, quia cùm eo fundamento nitantur, bona transeunt cum onere, eodem modo sunt explicandi, quo Capite sequenti dictum istud explicabimus. Adde quod ei fundamēto obstat consuetudo tribunalium ditionis Mediolanensis quo ad onera extraordinaria, vt testatur Ma-

a Mas. de probat. cōcl. 207. Bald. in l. 1. Si Quod si nemo ff. Quod cuiusq; vniuers. nom. Castr. in l. apud Iulian. §. Hær. ff. de leg. 1. apud Thusc. u. Cacastrum quid sit, & u. liber. æstimi, & Cacastri, et u. æstimum cōmunis.

b Bald. cons. 37. soc. cons. 89. l. 1. & cōs. 46. l. 3. & in l. 1. ff. de acquir. poss. Alex. cons. 147. l. 5. Rom. cons. 127. Castr. l. si Pater C. de act. empt. apud Thusc. vbi s.

c Bar. in l. Rescripto ff. ad munic. Bald. & Salic. in auth. sed et periculum C. sine cens. vel reliq. et in l. Incola init. ff. ad munic. Castr. in l. 2. c. sine cens. vel reliquę t. in l. si negotium C. de neg. gest. apud Thusc. l. c.

gistratus in memoriali oblato Gubernatori die X. Maij anni 1602. apud Gatticum tomo primo Catenæ pag. 329. in qua Catena à pag. 321. vsq; ad pag. 343. alias refert tum ante, tum post annum 1600. emanatas hac de re declarationes, vt anno 1580. die 28. Nouemb. pro PP. Barnabitis, anno 1583. die 28. Apr. pro PP. Augustinianis Sanctæ Mariæ Incoronatæ, annis 1581. & 1617. pro bonis Galliauolæ Collegij Braydensis Soc. Iesu, anno 1597. pro bonis Domus Aronensis eiusdem Societatis, in quibus declarationibus sermo est de bonis Catastratis. De eadem consuetudine testantur alij apud Gatticum pag. 6. 4. *a* & licet bona sint in libro æstimi allibrata, esse exempta ab extraordinarijs oneribus, docet Grilinzonus consl. 53. & 62.

10 Nec dici potest ex catastratione contrahi hipothecam in bonis, & ideo cùm ad Ecclesiam transeunt, remanere obligata ad solutionem onerum. Nam negatur assumptum, nempe contrahi aliquam hypotecam ob Catastrationem, Namneq; est lex aliqua &c. Ascriptio enim in registrum obligat solùm personam registrantem, quæ eo facto promittere videtur se soluturam collectas, vt docent Natta, Brunus, & alij. *b* Obligatio autem personalis non obligat successores in bonis; vnde cùm non detur hypotheca, nisi præcedat obligatio personalis l. 2. ff. si pignori datum sit, docentque Baldus, & alij. *c* Personæ autem Ecclesiasticæ non sint obligatæ, nec earum bona vllam habebunt hypothecam. Adde quod hypotheca contrahitur cùm debitum contrahitur leg. Incola ff. ad munic. cum glos. verbo Designatus cum Castrensi, & alijs; *d* At debitum nullum contrahitur, cùm bona registrantur, non enim tenentur ad onera nondum

a Plot. in addit. ad consl. Garrati 63. n. 13. Gallia cōs. 59. n. 94. Zumal. Trot. Caccia, Paul Rhò in suis consilijs.

b Nat. consl. 7. n. 9. et cōs. 328. n. 2. Brun cons. 94. et 103. Bald cōs. 434. n. 2. l. 3. Alciat. cons. 8. Riminald. iun. cons. 25. n. 23. apud Zumel. ex Gattico.

c Bald. in l. placet n. 11. et in Auth. Item nulli n. 5. Cod. de Episc. et Cleric. Salicet. ibid. n. 1. Negus, de pign. membr. 2. 6. p. n. 5. Bartol. consl. 280. n. 4. l. 1. Natta consl. 328.

d Castr. cons. 275. n. 5. Ang. cōs. 206. Iocsen. consl. 243. l. 2.

dum imposita, quæ aliquando sunt imponenda, nec enim quis dici potest ęre alieno constrictus ob debita, quæ forte post annum contrahet. Nam neq; est lex aliqua, aut statutum quo ea hypotheca constituta esse probetur: Nec bona sua describens in Catastro ea supposuit alicui hypothecæ, cùm se ad aliquid non obligarit, nec inueniatur se obligasse siue in ipso libro census, siue in alia scriptura cum Communitate facta; Quare gratis fingitur hypotheca oriri ex Catastratione cùm nullo iure, vel Catastrati pacto, aut obligatione probetur. Ea ergo hypotheca neq; est Tacita per legem, aut a lege inducta, cùm nulla huiusmodi lex afferatur, nec afferri possit: Nec expressa, cùm nullibi inueniatur aliquis eam constituisse, & ea Catastratio, videatur facta vt vnaquęq. Communitas noscat bona sui Territorij, & eorum bonorum possessores; non autem vt obligatio aliqua gignatur, ad aliquid soluendum: & si aliqua hinc oritur obligatio non transit personam eius qui bona sua in registro ponit. Ascriptio enim in registrum, &c.

CAPVT XV.

An Ecclesiastici teneantur ad onera soluenda Reip. ob eam rationem, Bona transeunt cum onere.

§. I. Varia onerum genera.

1 *Achilles est laicorum præsens argumentum.*
2 *Onera alia sunt priuata, alia publica.*
3 *Publica onera alia sunt ordinaria, alia extraordinaria. Quid ea sint.*
4 *Eadem alia sunt realia, alia personalia, alia mixta, quid hęc sint.*

1 

N Achilles alter Laicorum ex lege Alienatio ff. de contrah. empt. & multis Doctoribus, *a* qui non solùm allata lege nituntur, sed & lege de his Cod. de Episc. & Cler Auth. Item prælium Cod. de Sacrosf. Eccl. Cap. Abbates de decim. Cap. Tributum 23. q. 8. cap. cum non sit 33. cap. Pastoralis 28. de decim.

a Bald. conf. 433. l. 1. Fr. gosa in regim reip. p. 1. l. 2. d. 4. §. 3. n. 323. et alij apud ipsum.

Verè Achilles est, cùm fortissimum sit argumentum, Vtinam Aiax inueniatur, qui veritatis telo cùm confondiat. Tentandum id est. Atq; vt distinctius procedamus, & onera iustę considerationis libra ponderemus.

2 Aduertendum est primò Bona duplicis generis oneribus posse esse grauata; primi generis sunt priuata, ideſt

idest ea, quæ priuatæ personæ soluenda sunt ex contractu, vel alia obligatione inter priuatos facta: Secundi generis sunt publica, idest quæ soluenda sunt reip. pro ipsius necessitate, vel vtilitate.

3 Aduertendum secundò onera publica, alia esse ordinaria, alia extraordinaria. Ordinarium onus est illud quod est certum, ac stabile, & determinatum, nec variatur pro exigentia rerum, *a* licet forte singulis annis non soluatur, sed sit indeterminatum quoad tempus, determinatum verò quoad quantitatem, vt si grauentur aliqua bona, aut personę, vt cùm ingruerit bellum, pestis, aut alia necessitas soluant centum nummos vt notat Lugo de iust. & iur. d. 36. sect. 7. n. 110. Extraordinarium onus est illud, quod non est certum, ac stabile, nec determinatum, sed variatur pro rerum exigentia. Leg. Scio. §. Medico ff. de ann. leg. & quod indicitur propter superuenientiam casus nouiter emergentis, vt ait Calderinus cum alijs. *b*

4 Aduertendum 3. onera publica, alia esse merè realia, alia merè personalia, alia mixta, vt communiter docent Doctores *c* ex lege Rescripto §. sciendum, & lege fin. ff. de muner. & honor. & leg. 1. cod. & lege 3 ff. de cens. Onus reale est illud, quod principaliter rei incumbit, vt est Tributum, quod Principi, aut census qui Domino singulis annis soluitur. In quo non habetur personę consideratio, sed imponitur agris, vel super fructibus eorum, & ideo rem ipsam sequitur.

Personale onus est illud, quod à persona prçstari debet, vel cuius soluendi distributio per capita fieri debet ex Calderino cons. 444. n. 2. apud Thusc. u. onera concl. 124.

a Gemin. cōs. 116. n. 2.

b Calder. cons. 444. Gemin. vbi s. Thusc. v. onera concl. 123.

c Bart. in l. 1. c. de mulier. & in quo loco n. 6. Bald. cōs. 56. n. 2. l. 4. Aret. cons. 132 Salic. in l. fin. c. fine cens. vel reliq. n. 5. Io. de Annan. cons. 18. n. 2. Galba cons. 59. apud Gart. Thus. u. onera concl. 118. 119. vbi citat alios, vt Fedei. de sen. cons. 15. Oldrad. cons. 69. Alex. cons. 78. Bald. cons. 402.

Mixtum

Mixtum onus est illud, quod componitur ex personali, & reali, imponiturq; personę pro rebus, vt sunt Talleę, collectæ &c. ex Calderino apud Tusc. vbi supra.

§. *II. Bona grauata priuatis oneribus transeunt in Ecclesiam cum suo onere.*

1 Onera priuata debet Ecclesia. Varijs rationibus probatur.
2 Aliter fieret contra iustitiam, & plus iuris in alium quis transferret, quàm haberet.
3 Nulla est lex eximens Ecclesiam ab onere priuato, nisi in aliquo casu.

1 Dicendum est primò bona grauata oneribus priuatis transire ad Ecclesiam cum obligatione ea soluendi. Quia hęc semper inhærent bonis, ad quemcumq; possessorem transeant, etiamsi hic sit fiscus, vel Ecclesia. Probatur id primò ex cap. cùm dilecti de donat. & cap. Verum de condit. appos. vbi dicitur seruanda esse conditio apposita donationi factæ Ecclesię, si ergo donetur Ecclesiæ cum ea conditione vt soluat censum Petro, hic erit soluendus, aut vt soluat ęs alienum donantis, hoc erit soluendum, & ideo si in bonis donatis erat hypotheca ob debita donantis, aut censui subiacebant, translata in Ecclesiam, eandem retinebunt hypothecam, & censui eidem subiacebunt, vnde verissimum est in hoc casu, Bona transire cum suo onere ad Ecclesiam.

2 Secundo probatur, quia esset contra iustitiam priuare alterum iure, quod habet in ijs bonis ad Ecclesiam translatis, cùm sit verus Dominus illius

Iuris

Iuris, nec eo quisquam potest ipso inuito disponere, etiamsi fauore Religionis fiat dispositio, cùm Religio iustitiæ ordinem non tollat. Secundò quia non potest quis plus Iuris in alium transferre, quàm ipse habeat, *a* transferret autem plus Iuris si onus à bonis, quæ in Ecclesiam transfert, auferret per eam translationem, transferret enim libera, cùm ipse ea possideat obligata. Atq; adeo daret quod non habet, contra illud axioma nemo dat quod non habet de conser. d. 4.

a Reg. Nemo de reg. iur. in 6. et Reg. Nemo ft. de reg. iur.

3 Tertiò quia nulla lex inuenitur eximens bona in Ecclesiam translata huiusmodi onere priuato, & si adesset, de eius validitate posset forte ab aliquo ambigi, cùm nulla videatur posse auferre dominium alicuius, nisi ob euidentem necessitatem, & vtilitatem boni communis, vel ob aliam grauissimam causam, vt factum est Cap. secundum Canonicam 23. q. 8. in quo Mansus, Domus, Atria, Horti, iuxta Ecclesiam positi eximuntur à quacumque pensione, & onere, siue publico, siue priuato, etiamsi in pacto sit fundatum, vt notat Suarez. *b* De alijs bonis nulla est lex ea eximens ab oneribus priuatis. cùm non sit contra decentiam Status Clericalis, teneri ex cōtractu, & eum seruare, imo valde id decet, cùm etiam Deus obligetur ex pacto. Vnde si ille, qui transfert in Eccclesiam bona sua, non soluisset aliquo tempore gabellas, & onera realia debita, Ecclesia deberet ea soluere: Sic Azor tom. 3. l. 5. c. 19. q. 8. multos citans. Debentur ergo onera priuata autoritate imposita bonis in Ecclesiam postea translatis, etiamsi iussa essent solui Principi aut Reip. Vel si ipse seu Resp. bona transtulisset in Ecclesiam cum obligatione soluendi aliquid ipsis, aut alteri, Ita

b Suar. contr. Reg. Angl. l. 4. c. 25. n. 17.

a. Soc. iun. cons. 74. n. 8. l. 3. Tiraq. tr. de retr. consang. 81. glos. 9. et 10. Soc. sen. cons. 45. l. 3. et cons. 512. l. 4. Ias. in l. 15. cui opus n. 6. ff. de noui. oper. nunt.

docent varij Doctores; a gerunt enim se in ijs casibus tamquam priuatę personæ.

§. III. *Onera publica, an debeantur ab Ecclesiasticis.*

1 Non est certum, an bona transeant ad Ecclesiam cum obligatione soluendi onera publica.

2 Cum qua limitatione verum sit.

3 Cum obligatione soluendi onera realia ordinaria publica bona transeunt in Ecclesiam.

4 Cur Princeps non retineat Ius grauandi bona cùm in Ecclesiam transferuntur, quandoquidem illud antea habebat.

Ius quod habebat Princeps in bona extinguitur, cùm in Ecclesiam transferuntur.

1 Quoad onera publica, non est quidem omnino certum, bona transire cum onere ad Ecclesiam, negari cum magno fundamento possit, aut saltem, limitari, nam mutatione personæ mutatur qualitas. & priuilegium rei inhærens leg. Paulus per Procuratorem ff. de acquir. hęred cum Bartolo ibi, & leg. licitatio §. fin. & c. Dilectus 3. de præb. cum glos. c. vn. de iur. ter. in l. Vnde cùm res priuilegiata transit in non priuilegiatum, amittit suum priuilegium, Quare ergo cùm res grauata aliquo onere transit in exemptum ab eo onere, non istud amittet? Bona enim sortiuntur priuilegium personæ cap. Accessorium de reg. iur. in 6. & leg, 1. C. de impon. lucr. descript. Nam bona sunt quid accessorum personæ, Vnde bona donata sequuntur conditionem eius, cui donatur leg. Priuatę in fin. C. de impon. lucrat. descrip. & donata locis religiosis fiunt religiosa leg.

Quę

Quæ religiosis ff. de rei vendic. docentq. multi Doctores. *a* Cùm ergo Ecclesię sint exemptę ab oneribus publicis, bona earum, donata præsertim, erunt etiam exempta: fauent caput 1. de immun. Eccl. in 6. & c. dilectus de donat. Prętera idem probatur manifesta instantia hominis laici, qui transiens ad Sacerdotium, aut Religionem, non secum fert onus subiectionis ad Principem suum laicum; & si seruus fiat Sacerdos, non remanet in statu seruitutis: Arbiter etiam cui est impositum onus arbitrandi in aliqua causa, quiq; ad arbitrandum cogi poterat, non cogitur sẽtentiã dicere recepto sacerdotio leg. non distinguimus ff. de re arbitr. Et si in loco grauato pro onere siue publico, siue priuato fabricetur Ecclesia, locus ille remanet exẽptus. Imo si bona collectis subiecta peruenissent olim in Curiales, fiebant immunia l. 1. Cod de impon. lucr. descript. quia curiales erant exempti, & in ditione Mediolanensi, si bona ad Fiscum transibant, onera publica, ad quæ ante erant obligata, non soluebant. Ita etiam si bona transeant ad habentem duodecim liberos, aut ad publicos lectores in Ticinensi Gymnasio, Doctores, Causidicos, Notarios Collegiatos, eximuntur aliqua saltem ex parte ab onerum obligatione l. 4. constit. de immunitate. Et in Hispania statutum est l. 4 leg. 12. ordinum, vt vir nobilis emens bona tributis soluendis obnoxia, ad ea non teneatur teste Suarez. *b*

a Abb. in c. solitæ n. 3. de maior et obed. Oldr. cons. 83. n. 5. 4 Host. in c. nimis u. Ab eis & ibi Io: Andr. n. 4.

b Suar. contra Reg. Angl. 4. c. 25. n. 5.

2 Non ergo verum est semper bona transire cum onere, sed eget hoc dictum hac, vel simili limitatione, nisi is ad quem transeunt, sit exemptus, aut priuilegiatus, nam ad hunc ijs transeuntibus extinguitur, vel immutatur onus leg. cùm quidam §. si debitores ff. de vsur. leg. fiscus ff. de iure fisci: Alioqui

si hoc dictum vniuersaliter, & sine limitatione verum est, cur non erit verum illud huic oppositum, Bona sine onere ad quæcunq transeant, sine onere transeunt, cùm oppositorum sit eadem ratio? Et tamen experientia patet id non esse verum, nam si fiscus vendat bona non onerata alicui laico, hæc cogentur soluere onera, & tributa l. locatio §. fiscus ff. de Public. eadem est ratio iuxta Bartolum, *a* si Ecclesia bona sua antiqua vendat, & ab omni onere sine cōtrouersiâ libera, hæc enim transeuntia ad non priuilegiatum non retinent priorem qualitatem exemptionis, quę eis inhærebat, vt de decima habetur cap. A nobis de decim. Sicut ergo negari facile potest esse verum, quod bona nulla onus publicum habentia transeant sine onere illo, ita & negari poterit esse verũ Bona grauata onere publico, transire cum eo. Sed non agamus summo iure, laicis concedamus, quod concedi potest non contradicente conscientia.

a Bart. in l. per Procuratorem ff. de acquir. hær. & in l. locatio ff. de public. et glos. penult. in cap. generaliter. 16. q. 1.

3 Dicendum secundò bona transeuntia in Ecclesiam esse obligata ad solutionem onerum ordinariorum ijs iam impositorum merè realium. Cujus assertionem, non aliam posse afferri puto rationem, nisi dictum, quod ferè communiter vsurpatur, Bona transeunt cum onere. Ideo Azor t. 3. l. 5. c. 19. q. 8. docet deberi ab Ecclesia tributa, quæ olim erant in vsu apud Romanos iuxta l. De his Clericis c. de Episc. & Cler. confirmatam iure canonico c. Tributum 11. q. 1. & c. Tributum 22. q. 8. Sed de hoc supra diximus. Barbosa de iure Eccl. c. 39. §. 5. n. 57. concedit hanc obligationem, & ait sacram Congregationem passim sequi hanc sententiam, & multos pro ea citatos. Transeunt ergo bona cum oneribus iam ipsis impositis, at non cum futuris, & imponendis. Retinent

bona

bona in Ecclesiam translata onera, quæ à laico eorum dominio stabiliter persoluebantur, at cùm noua imponuntur, ea bona non sunt ijs obligata, quia tunc non sunt sub dominio laici, sed Ecclesiæ. Quænam autem ratio suadet, vt dictum illud extendatur ad futura onera? In odiosis versamur, cùm de Ecclesię grauamine agatur, & contra eius priuilegia, non ergo extendendum est illud ad futura onera, sed est restringendum ad onera iam imposita merè realia, & ordinaria, cùm satis trita regula sit in iure tum Canonico, tum Ciuili, odia sunt restringenda. Idq; siue bona sint donata, siue aliter acquisita Ecclesiæ, nam eadem ratio militat in omnibus, licet Prosper Augustinus, *a* velit donata Ecclesiæ non esse immunia à tributis. Verùm eius sententiæ fundamentum probabile non video, nisi fortè loquitur non vniuersaliter, sed de Regno Neapolitano, vbi sit aliqua Papæ concessio, vel consuetudo à Papa approbata. Cęterum ea etiam bona Ecclesiæ donata non sunt amplius sub laicorum potestate, & ideo ab ijs non possunt grauari, nec in eo statu sunt, vt illorum subsint dispositioni, & ideo noua tributa ipis à laicis imponi non possunt, onerum enim impositio subiectionem indicat Authentica de natur. lib. §. si quis igitur, docentq; multi, *b* subiectionem autem ad laicos non retinent ea bona, cum in Ecclesiæ sint dominio, & possessione: Contenti sint laici ordinaria onera iam bonis imposita ab Ecclesiasticis deberi, cùm in ipsos illa transferuntur, sic enim multi Doctores sentiunt, *c* At non prætendant deberi noua onera, præsertim extraordinaria, quę imponuntur de nouo, & multo minus personalia, vel mixta.

4 At inquies, Bona antequam in Ecclesiam transferre-

a Prosper August. in addit. ad quarant Sumbul. v. vectigalia.

b Alex. cons. 23. l. 5. Iason. cons. 76. l. 4. Calcan. cōs. 34. apud. Menoch. cons. 75. n. 20.

c Carol. de Gras. de effect. cleric. 3. n. 27. cum seq. & 162. & 227. Barbos. in collect. c. 1. l. 3. tit. 49. 4 n. 5. Sanch. cons. l. 2. c. 4. d. 57. Dian. 1. p. tr. 2 res. 42. & 3. p. tr. 1. res. 71. Azor. 1. p. l. 5. c. 3. q. 1. & 2.

sferrentur, hoc habebant onus, vt grauari possent à Principe pro bono communi, ergo etiam translata in Ecclesiam hoc retinent, quia illa Ecclesiæ donans, aut vendens, vel alio modo transferens, non plus iuris transfert, quàm ipse habeat: Cùm ergo ab eo onere non posset ea bona liberare, illud relinquet in ipsis bonis cùm ea in Ecclesiam transfert. Respondeo ipsum quidem transferẽtem onus illud relinquere, at Papam, & leges illud auferre, supra autem probatum est legibus Canonicis, & ciuilibus Ecclesiæ bona, non solùm quæ ipsius erant, cum eę leges conditæ sunt, sed & in posterum post eas leges acquirenda immunitatis priuilegio gaudere. Alioquì quod erit priuilegium Ecclesiæ concessum pro bonis acquirendis si hæc eodem modo subiecta sunt, quo erant antequam in Ecclesiam trasferrentur? Dicant quęso laici, in quo hoc priuilegium cõsistat. Aut negent esse hoc priuilegium oportet, & mendacij facilè conuincentur: Aut si illud adesse, vt verè adest, concedant, concedant etiã necesse est illud liberare bona Ecclesiastica ab eo onere, quod ante inerat, vt possent per Principes laicos, & communitates grauari. Quare concedam quidem cum Ancharano, & alijs, *a* posse transferentem bona sua in Ecclesiam donatione inter viuos, & causa mortis, venditione, aut alio huiusmodi contractu pactum illud apponere, vt Ecclesia ijs bonis fruens teneantur ad onera quæcunq; licet Remigius *b* velit eam conditionem haberi pro nõ apposita, cùm sit turpis, contraria scilicet iuri. Et ideo possessio sterilis, aut onerosa veluti ea, quæ est onerata fiscalium onere, non debet dari Ecclesiæ leg: sicut cod. de Sacros. Eccl. atq; vt immunitas seruetur, si ea donetur alienanda est leg. Item prędium eodem

Illud

hj quos citat Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 2. n. 2.

a Anchar. cons. 2 7. fel. in c. cum Ecclesia S Mariæ de const. n. 77. apud Gal. cons. 59. n. 106. 107. ex Gatico Durd. n cã. 15. [illegible] cæl. q. 17. n. 34.

b Remig. tr. de char. subsid. q. 61. n. 19. cum seq. ex Gallia vbi supra.

Illud, inquam, concedam: At nego Principem, nisi vt priuatum se gerat, posse id facere: quia illud est pactum priuatum, non ex vi iurisdictionis, nec coactiuè, sed ex vi executionis legati v. g. donationis, pacti, contra quod non habet Ecclesia priuilegium, & Dominus potest rem suam cum ijs conditionibus, quas voluerit in alium transferre. Cap. Verum de condit. appos. & qui acceptat eam rem ad onus oppositum tenetur, cum liberè acceptet sub ea conditione, seu pacto, quam disponens vult, & potest apponere sine præiudicio Ecclesię, cui melius est acquirere, cum tali conditione, quàm nō acquirere. Princeps verò laicus non potest Ecclesię priuilegijs derogare, nec est dominus rei, quæ in Ecclesiam transfertur, quia non est Dominus bonorum particularium, sed habet tātummodo iurisdictionem, seu veluti generale dominium quoddam, quod dicitur esse per viam directionis, & protectionis, quod neq; est vtile dominium, neq; directum, *a* & ratione iurisdictionis tributa exigit, à qua iurisdictione potest dominus sua bona subtrahere transferrendo ea in Ecclesiam sine Principis consensu teste Suarez, *b* & ob illud generale dominium potest Princeps pro cōmuni bono, & vtilitate bonis onera imponere, quamdiu sunt subditorum; non tamen cùm iam sunt Ecclesiæ, vel si in eam transferantur. Priuatus verò pactum apponens, vt soluatur aliquod onus, cùm bona sua transfert in Ecclesiam, non facit contra libertatem Ecclesiæ, facit autem Princeps, & Magistratus, cùm ea grauat, quia ille grauat, quę sua sunt, hic nequaquam. *c* Pręterea fieret contra decentiā status Ecclesiastici, cùm indecens sit Ecclesiasticum esse subiectum laico per nouum tributum, cùm liberi sint filij Regum, & multo magis Dei, à tributis Matt. 17. 24. 25.

a Duard. in can. 15. bul. cæn. q. 19. n. 75. *Bart.* in l. 1. §. Per hanc ff. de re iudic.

b Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 20. n. 29.

c Felin. de cōst. n. 77. *Marta* de Iurisd. p. 4. casu 14. n. 7. Alter. in can. 15. bul. cæn. c. 5. Duard. ibid. q. 17. n. 34.

5 Vrgebis

5 Vrgebis, Ius quod habebat Princeps in ea bona, adhuc durat, ergo licet sint in Ecclesiam traslata, ius illud ad grauamina ijs imponenda, non est extinctum. Respondeo illud ius esse extinctum non quidem vi contractus initi à laico cum Ecclesia, sed vi legis tum Canonicæ, tum Ciuilis eximentis bona Ecclesię à potestate laica, in quas leges ipsi Principes, ac Populi consenserunt, & eas pluribus sæculis seruarunt. Alioqui nullum esset priuilegium concessum Ecclesiæ, nec explicari posset in quo consisteret. Licet autem Princeps damnum aliquod patiatur, cùm proventus ipsius diminuantur, nihil refert, quia diminutio non fit in proprijs bonis, sed in communibus stipendijs, & alia vice crescent, cùm ab Ecclesia alienabuntur aliqua bona in laicos, vt multa pręteritis temporibus alienauit. Quòd si fortè nimium diminuerentur dicti reditus, posset facilè ad Papam recurrere, vt prouideret, vt ait Suarez. *a* Non autem vetare potest laicis ne in Ecclesiam bona sua alienent, quasi fraudem aliquam committant, id faciendo. Nam nulla fit fraus, cùm bona dantur Ecclesiæ, etiamsi darentur hac intentione, vt essent exempta, quia vera est Datio, non ficta, & Dans vtitur iure suo, quo vtens non committit fraudem l. 3. vers. Is tamen ff. de lib. hom. exhib. *b* Adde quod non fit contra ius Principis eximendo à tributis bona per alienationem in Ecclesiam, cùm Deus ipse per Papam exemerit à Iurisdictione Laicorum Ecclesiasticos ipsis Principibus approbantibus, & liberè transferre in ipsos bona à laicis concesserit.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 20. n. 30.

b Fragos in regim. reip. p. 1. l. 2. d. 4. §. 3. n. 324.

§. IV.

§. IV. *Ad extraordinaria onera realia, non tenetur Ecclesia.*

1 Bona in Ecclesiam translata, non sunt obnoxia oneribus extraordinarijs.
2 Quid sint Angaria, & Perangaria.
3 Iure Ciuili, & Canonico, & Speciali Ditionis Mediolanensis, Ecclesiastici sunt exempti ab oneribus realibus extraordinarijs.

1 Dicendum tertiò bona Ecclesiastica esse omnino exempta ab oneribus extraordinarijs realibus. Probatur, quia hęc exemptio concessa est l. 1.& 2. Cod. de Episc.& Cler. à Constantino Imperatore, & leg. Pluct. Cod. de Sacrosf. Eccl. ab Honorio, & Teodosio Impp. in qua lege per Canonicam illationem intelligunt ordinariam pensionem, quę videtur etiam nomine fiscalium appellari leg. de ijs Cod. de Episc. & Cler. Exceperunt autem instructiones itinerum, & Pontium. l. Ad instructiones Cod. de Sacrosf. Eccl. & Angarias, & Perangarias in Aduentu Principis leg. neminem cod. eod.

2 Quid autem sint Angarię, quid Perangariæ variè explicant Autores, nam iuxta Acursium in l. Placet cit. Angarię sunt, quæ in operis Personarum sunt, onera scilicet imponi solita super personas, & super eas, & res, quod est dicere esse onus personale, propria impensa, vel labore præstandum. Perangarię verò, In quibus vtrumq; vertitur, sunt scilicet personarum, & rerum impendia. Videntur ergo Angarię esse personalia obsequia proprijs sumptibus præstita: Perangarię autem esse seruitus Personarum

fonarum, & rerum, exactiones videlicet, & Præftationes, feu onera, quæ prædijs imponuntur, & patrimonio à perfonis foluenda, atq; adeo funt onera mixta, à quibus Ecclefiam lex eximit. Sed melius eft cum Cuiacio lib. 11. Cod. tit. 10. fin & lib. 12. tit. 50, dicere Angarias fuiffe Iumentorum, & Plauftrorum præftationes, qua curfus publicus difpofitus eft; Perangarias verò eafdem, qua curfus aliò verfus, non autem publicus difpofitus eft. Idem autem Cuiacius Angariæ nomen etiam ad naues, & operas traxit leg. vlt. Cod. de fabricens. Exceperunt etiam Imperatores quafdam naues, quas ab Ecclefiafticis præftari voluerunt, licet onus effet extraordinarium tempore Embolæ, ideft Tranfuectionis publicarum fpecierum leg. Iubemus Cod. de Sacrof Eccl. quæ exceptiones cùm fint à Principibus laicis, non valent contra Ecclefiam, eiufque Miniftros, & funt correctæ tum à Friderico Imp. tum à Sacris Canonibus, vt fupra diximus.

3 Effe porro ab extraordinarijs oneribus exemptos Ecclefiafticos, non folùm Ius Ciuile, & Canonicum ftatuit, fed etiam ius fpeciale ditionis Mediolanenfis, nam adfunt variæ declarationes Excellentiffimi Senatus, & Illuftriffimi Magiftratus apud Plottium, *a* & nos cap. fuperiori adduximus, in quibus habetur Ecclefiafticos eximi ab extraordinarijs oneribus, & etiam laicos liberorum duodecim Patres, vt anno 1571, die 2. Iun. anno 1584. die 1. Sept anno 1579. die 7. Iun. Adfunt etiam litteræ Ducis Suefsæ, & Io. Figueroæ Gubernatorum, in quibus iubentur Ecclefiaftici declarari immunes ab oneribus extraordinarijs. Et idem fenfit Magiftratus in inftructione data Alexandro Crafso pro reformatione compartiti taxarum

a Plot. ad cós. mart. Gart. 63. n. 13. 14. apud Galuam cons. 54. & in cons. Io: Baptiftę Trotti ex Gattico.

taxarum Agri Papiensis. Tertiò iure Canonico id videtur certum, nam cap. non minus de immun. Eccl. prohibentur fieri expeditiones ex collatione Ecclesiarum, ideſt, vt explicat ib. Io. Andreas, Caualcate, cùm videlicet equitum turmæ aliquò hoſpitaturæ eunt, ab harum ergo hoſpitatione eximit textus Eccleſiam, vt etiam à foſſatis, quæ ad Vrbium cuſtodiam contra hoſtes fiunt. Vnde optimè colligunt Natta, & alij [a] ab omni onere bellico Eccleſiam vi eius textus eſſe exemptam, quia eſt quid extraordinarium, nec eſt quid ſtabile, ac perpetuum, & conſequenter à ſumptibus belli eſt exempta, pro hoſpitandis videlicet militibus, eorumq; cibarijs, ſtipendijs, & alijs huiuſmodi ſubminiſtrandis. Et hoc videtur illud ſuperindictum, à quo eximitur leg. 1. Cod. de Epiſ. & Cler. cum gloſ. ibi in 3. Solutione, eſt autem ſuperindictum onus à Principe impoſitum propter ſuperuenientem belli neceſſitatem, quod certè eſt extraordinarium, cùm nec ſemper adſit, nec ſemper ſit duraturum.

[a] Nat. cons. 203. n. 2. & cons. 80. n. quoad hoſpitationem. coron. cons. 72. n. 6. l. 4. Ripa reſp. h. n. 3. de mun. et honor. Bouer. cons. 4. n. 61. Lud. Catt. cons. 740. n. 12. inter conſilia Rimin. iun. apud Gallicam.

§. V. *Ab oneribus perſonalibus, & mixtis ſunt exempti Eccleſiaſtici.*

1 Exempti ſunt Eccleſiaſtici ab onere perſonali tum ordinario, tum extraordinario.

2 Sunt etiam exempti ab onere mixto, tum ordinario, tum extraordinario.

3 Autores negantes bona tranſire ad Eccleſiam cum oneribus ordinarijs.

1 Dicendum quintò Eccleſiam, & Eccleſiaſticos eſſe exemptos ab omni onere perſonali. ſiuè ordina

rio, siuè extraordinario. Non videtur esse de hoc controuersia cum laicis, cùm sit satis communis omnium Doctorum opinio nitens cap. 2. de immun. Eccl. & sic vsu seruatur. Quod priuilegium Costantinus Imp. dedit, seu potius declarauit leg. 16. & 26. tit. 2. Codicis Theodosiani lib. 16. cum gloss. apud Eusebium lib. 10. hist. c. 7. & Valentinianus leg. Presbyteros Cod. de Episc. & Cler. & Iustinianus leg. Generaliter 2. Cod. de Episc. & Cler. cum Auth. sequenti.

2 Dicendum 6. Ecclesiam, & Ecclesiasticos esse exemptos ab omni onere mixto, siuè sit ordinarium, siuè extraordinarium. Probatur, quia hoc continet onus personale, à quo sine controuersia sunt exempti Ecclesia, & Ecclesiastici, ergo non possunt obligari ad onus mixtum: alioqui obligarentur ad personale, cùm tamen Personę Ecclesiasticæ sint immunes à laica potestate, quæ huiusmodi onus imponit. Ex quo collige, quòd si bona laici, quæ solebant soluere onus personæ impositum, ad Ecclesiam transeant, ea non tenebitur ad illud; nec ei, aut locis pijs poterunt imponi collectę, quia hę sunt onus mixtum, & ita sentiunt optimi Iuris vtriusq; Doctores. a

a Calder. cons. 444. n. 2 Gem. cons. 116. n. 7. Arer. cons. 05. n. Abb. cons. 100. n. 1. l. 2. Rol. à Valle cons. 32. n. 7. l. 1. Alex. cōs. 68. n. 2. l. 2. Iason. in l. Placet. C. de Sacr. Eccl. n. 4 cum seq. in 1. lect. & in 2. n. 20. Capr. reg. 96. n. 13. cum seq. Remig. tr. de Charit. subsid. q. 66. E... cons. 42. n. 25. cum seq. Natta cons. 280. n. 5. & alij in cons. 59. Gallia it. apud Gattic...

3 Ex dictis ergo solùm concedimus Ecclesiasticos teneri ad onera ordinaria merè realia imposita bonis, antequam hæc ad eam pręuenirent. Quamuis hoc non sit ita certum, quin multos Doctores contrarium sentientes adducere possimus; vt Festasium de collect. p. 4. c. 3. n. 26. & c. 2. n. 50. Nattam cons. 515. vbi non audet affirmare transitum bonorum in Ecclesiam cum eo onere, Thesaurum decis. 234. n. 15. vbi non solùm sentit bona non transire in Ecclesiam cum eo onere, sed & testatur idem censuisse Senatum Pedemontanum,

tanum, & hanc esse sententiam communiorem, & tutiorem. Euerardum cons. 42. n. 56. Baroium cons. 150. n. 58. Albanum de immun. Eccl. n. 82. & 91. & alios. Et verè nullam inueniri legem, aut Canonem, imo nec benè fundatam rationem puto, quibus probari possit, bona ad Ecclesiam transire cum onere: Nam Leges Ciuiles de re Ecclesiastica non possunt aliquid statuere, nec vniuersaliter, id statuunt. Sacri verò Canones, qui initio huius capitis sunt adducti, vel loquuntur de decimis, quę semper debentur iure naturali Diuino, & ideò non sunt extendendi ad alia onera. Vel dicunt quod olim fiebat ad vitanda maiora mala, cùm Ecclesia suis iuribus vti non poterat, vt diximus cap. 2. Et Baldus cons. 246. l. 3. fin. ait non esse tutum id consulere contra Ecclesiam Si Autores tum concedentes, tum negantes, bona transire in Ecclesiam cum suo onere optas: u. Thuscum u. Ecclesia concl. 13. Affirmat etiam Less. de iust. l. 2. c. 33. d. 3. n. 19. Mol. d. 383. Fragosa in regim. reip. p. 1. l. 2. d. 4. § 3. n. 323.

§. VI. *Quænam sint onera extraordinaria, & quę ordinaria.*

1 Quę sint onera ordinaria, & extraordinaria.
2 Hospitatio militum est onus extraordinarium.
3 Sumptuum obligatio pro ea hospitatione est onus extraordinarium.
4 Sunt etiam extraordinaria, quę ob transitum militum imponuntur, taxa equorum, & collectę. Adsunt declarationes Senatus, & Magistratus Mediolani.

1 Onera ordinaria realia, diximus esse ea, quæ

bonis sunt imposita certò stabiliter, & perpetuò. Extraordinaria verò ea, quę ijsdem bonis sunt imposita variabiliter, atq; ad tempus.

Quo iacto fundamento ab omnibus communiter recepto, facile colligere possumus quęnam onera sint ordinaria, quæ extraordinaria. Vt autem ad particularia descendamus.

2 Dicendum septimò obligationem hospitandi milites esse onus extraordinarium. Probatur primò quia ad fauorem Xenodochij Maioris Mediolanensis sic declarauit Senatus Mediolanensis anno 1559. die 1. Iunij, & Magistratus ad fauorem habentium duodecim liberos anno 1589. & anno 1582. die 22. Nouembris id iam declarauerat pro Societate Iesu, & postea declarauit anno 1604. die 2. Iunij pro Clericis regularibus S. Pauli Decollati. Secundò ratio id suadet etiamsi dictæ declarationes nō adessent, quia non est onus certum, ac stabile, sed variatur pro vt necessitas reip. exigit, vt notant Natta, & alij. *a* Quare vno anno plus quā alio ob illud soluitur, cùm vno anno plures sint milites in exercitu quàm aliò, nec semper militum exercitus sit in ditione. Et præterea est onus, quod ad personam extenditur, nam grauatur ciuis, aut colonus milites hospitio excipere in domo sua, & eos alere, Ecclesiastici autem non tenentur ad onus siuè personale, siuè mixtum.

a Natta cōs. 280. fin. Iason. in l. Placet notab. 2. Parpal. ibid. n. 20. apud Trottum ex Gattico.

3 Nec solum dicta hospitatio est onus extraordinarium, sed etiam obligatio contribuendorum sumptuum pro ea hospitatione, quia non est quid stabile, & perpetuum, cùm pro numero militum varietur, Secundò quia est onus mixtum, cùm imponatur personis obligatio pro rebus, vt docent Natta, Castrensis, Bursatius *b*. Tertiò quia cùm non teneantur

b Natta cōs. 4?9 n. 3. & cons. 280. Castr. cons. 423. l. 2 Burs. cons. 6. n. 6. & 27 ex Gallia apud Gattcum.

tur Ecclesia, eiusq; ministri ad hospitandos milites, vt dictum est paulò ante, nec tenebuntur ad id, quod loco hospitationis succedit, eiq; subrogatur. Subrogatum enim induit naturam eius, cui subrogatur, & iuxta eam regulandum est, vt habemus ex Bartolo, & alijs *a* Quartò quia id videtur vnum ex ijs oneribus, quod lege ciuili dicitur superindictum, à quo Ecclesiam eximit lex 1. Cod. de Episc. & Cler.

4 Onera præterea, quæ ob transitum militum imponuntur, sunt extraordinaria ob easdem rationes. Sunt etiam extraordinaria onera taxa equorum, & aliæ collectę, quia adsunt declarationes Mediolanensis Senatus vt paulò ante dictum est, anno 1554. die 27. Ianu. in qua extraordinaria onera vocat supradicta, & in alia facta pro Hospitali Maiori Mediolani, eiusq; colonis, & fictabilibus anno 1559. die 1. Iunii decernente illud exemptum ab onere Taxi, Hospitationis Militum, contributionis præsidiorum, quatuordecim regalium, & quarumcumq; collectarum, vt potè quod est extraordinarium. Eandem declarationem secutus est regius eiusdem ditionis Magistratus anno 1589. pro habentibus duodecim liberos, & anno 1582. die 22. Nou. pro Societate Iesu, & anno 1604. die 21. Iunij pro Patribus Barnabitis teste Bossio, *b* & aliquas huiusmodi declarationes adduximus cap. super. §. Verum; in quarum aliquibus apertè sermo est de bonis de nouo ab Ecclesia acquisitis. Demum loco hospitationis militum ea sunt introducta, ergo sicut ea est onus extraordinarium, ita & quod eius loco successit.

a Bart. in l. vn. n. 30. C. de mulier. & in quo loco, et in l. 4. §. Actor ff. de re iudic. Bald. in l. etiam ad fin. C. de rei iudic. execut. & cons. 408. ad fin. l. 5. Bellon. cons. 12. n. 4. Neuiz. cons. 66. n. 33. Ripa in 1. resp. tit. de muner. & honor. n. 3. & 4. & ad l. 4. ff. de re iud c. ex Gallia. & Trotto apud Gatticum.

b Bos. de Principe n. 106. & 116.

§. *VI.*

§. *VII. Mensuale onus extraordinarium, an sit.*

1 Mensuale videtur onus extraordinarium, sic sentientibus Senatu Mediolanensi, & Cęsare.
2 Esse onus mixtum mensuale sentiunt aliqui, nec immeritò; & cur.
3 Cessauit causa mensualis, & ideo non potuit in praeiudicium Ecclesiae iterum imponi.
4 Ipsum mensuale cessauit aliquando.

1 Videtur etiam extraordinarium onus mensualis; quod probatur primò quia Senatus Mediolanensis anno 1554 die 27. Ian. in sua ordinatione vocat mensuale onus extraordinarium, & anno 1561. die 23. Ian. declarauit ab hoc onere esse exemptos grauatos duodecim liberis, non alia de causa, nisi quia est onus extraordinarium. Zumallius apud Gatticum testatur anno 1569. die 12. Iunij pro Alexandro Vistarino, & anno 1588 die 10. Febr. pro Fratribus Rebrocchis, & anno 1567. die 11. Iulij pro Ecclesiasticis Casalis Maioris Magistratum Mediolanensem declarasse Mensuale esse onus extraordinarium, vt etiam Taxum Equorum, contributiones praesidiorum, quatuordecim regales, expensas hospitationis militum, & alia huiusmodi. Atq; ita esse sentit Rahud. tract. cit. de anal. l. 1. c. 4. n. 31. ex communi sensu totius Status Mediolanensis cum Plottio iuniori in addit. ad cons. vlt. Mart. Garr. n. 13. Secundò anno 1547. die 10. Decembris Cęsar hoc onus de nouo impònens testatus est, se id facere ex praecisa necessitate belli, quod quidem antea fuerat etiam impositum, sed cessante necessitate fuerat sublatum, & cùm ea iterum

iterum orta fuit, illud de nouo impositum est. Quæ satis indicant hoc onus non esse perpetuum: & ideo singulis annis dantur litterę ad Ciuitates ditionis Mediolanensis, vt eo anno perseuerent in eius solutione, vt testatur Præses Senatus Mediolanensis, Io. Baptista Trottus in cons. apud Gatticum, & Alexander Rhò tract. de analog. l. 1. c. 40. à n. 46. ad 55. quę litterę cùm dentur tam frequenter, certè indicant Princeps, & Magistratus se non habere mensuale pro onere ordinario, sed pro extraordinario: vnde & in alijs scripturis extraordinarium nuncupatur. Tertiò quia non est stabile, & semper idem, nam augetur, & minuitur pro occurrētibus necessitatibus, & ideo super æstimo, & pro eius quantitate in ditione Mediolanensi distribuitur modò in maiori, modò in minori summa pro temporis necessitate, & prout plures, vel pauciores reperiuntur exempti ab oneribus extraordinarijs, tunc enim pars, quæ ad eos exemptos spectat, super alios non exemptos diuiditur. Quartò quia Mensuale demandatum est curę ratiocinatoris onerum extraordinariorum. Vnde communi consuetudine, & obseruantia inter onera extraordinaria semper est annumeratum, vt etiam Taxum equorum, hospitatio militum, & alia supradicta. Quare cùm anno 1560. die 13. Octobris scriptum est ad Regem Hispaniarum pro reuocandis titulo gratuito ab eo concessis, quia onera extraordinaria, causa belli imposita, nimis creuerant, inter ea numeratur mensuale, & Taxum equorum. Quintò quia mensuale introductum fuit pro militum hospitatione, seu loco ipsius, vnde cùm ea hospitatio, sit quid extraordinarium, etiam quod eius loco introductum est, erit extraordinarium, vt paulò ante

dixinus

diximus, & cùm causa belli, & propter ærarij Regij necessitatem hoc onus sit impositum, vt etiam alia enumerata, non debent habere perpetuam præstationem, cùm ea necessitas modò adsit, modò non adsit; & modò sit maior, modò minor.

2 Esse onus mixtum sentiunt Archidiaconus, Io. Andreas, Francus, Remigius tract. de Charit. subsid. q. 61. n. 45. 46. Salicetus in l. Placet C. de Sacros. Eccl. & alij apud Dumallium adductum à Gattico, & apud Thesaurum decis. 234. Nec immeritò tum mensuale, tum Taxum equorum censeo esse onera mixta, quia cùm sint introducta loco hospitationis militum, hæcq; sit onus mixtum, alia pro ea introducta, eius naturam induunt: Nam ex conuentione cum Statu Mediolanensi, qui milites olim alebat, & hospitabatur cum maximo incommodo, à quo, vt liberaretur, pactus est summas pecuniæ, quarum aliqua dicta est Taxum equorum, alia mensuale, quia vt puto singulis mensibus exigitur; & alia alijs nominibus est dicta. Est ergo onus mixtum extraordinarium, quo Ecclesiastici non possunt grauari, testibus Beroio, & alijs. a Et prędicta soluuntur in pecunia, non autem in fructibus ex prędio productis, quę cùm à possessoribus prædij sit promenda, onus ad eorum personas spectat, quæ obligantur pecuniam parare, & soluere habita ratione census, quo sunt taxati, & ideo grauantur personæ pro prædijs, quod est esse onus mixtum; Nam exigitur onus ad salis quantitatem taxatam in quolibet oppido, quæ taxa facta est pro hominum multitudine ibi existente, atq; ideo supra personas cadit, & distribuitur pro numero Buccarum, seu capitum; quod est esse impositum personæ pro rebus, vt etiam sentiunt Bellon. cons. 12.

a Beroi. cōs. 150. n. 50. l. 3. Bursat. cōs. 16. n. 75. Neuiz. cons. 66. n. 33. Ripa, & alij apud Galliam cōs. 59. ex Gattico.

12. num. 3. cum seq. vsque ad 15. Crau. cons. 927. num. 6.

3 Cùm ergo tot declarationes extiterint, & mensuale impositum fuerit pro manutenendo exercitu extra ditionem, & hospitatione militum, non est causa eius perpetua, & aliquando cessauit, ideòq. non est quid ordinarium, cùm non sit perpetuum, & stabile. Imo dato, quòd fuerit onus ordinarium, cùm cessarit eius causa, non potuit iterum imponi in præiudicium Ecclesiæ, ita vt ad illud soluendum obligetur.

4 Quòd autem eius causa aliquando cessarit, probatione non eget, cùm bella multis annis cessarint, quare non opus fuit milites hospitari, aut eis stipendia soluere, ob quæ mensuale est impositum, Imo & ipsum mensuale cessauit, nam anno 1536. Carolus V Antonio de Leua imposuit, vt cum consensu totius ditionis Mediolanensis curaret, vt singulis mensibus exigerentur duodecim millia nummorum aureorum ab ipso, vt militibus stipendia solui possent, & vsq. ad annum 1545. soluta sunt, quo anno idem Carolus V. cessantibus bellis illud onus sustulit. Sed anno 1547. iterum ingruentibus bellis sexdecim mensibus soluta sunt totius ditionis cõsensu quadringenta millia nummorum aureorum pro stipendio militum, & ne hospitationibus eorum vexarentur populi, vt Imperator ipse promisit. Post hoc tempus cùm adhuc bella perdurarent, publicumque ærarium esset exhaustum, iussit Imperator singulis mensibus numerari à populis vigintiquinque millia nummorum, in quam summam nonnisi anno 1564. consenserunt populi. Huiusmodi solutio suspensa aliquando est in tota ferè ditione, vt anno 1618. iussum fuit à Petro de Toledo Mediolani Guberna-

tore, & anno 1628. à Philippo III. Hispaniarum Rege, quia aliàs oneribus erant grauati ipsi populi hospitationis Militum, & subsidiorum, aliorumq; huiusmodi, pro quorum compensatione iustum visum est iustissimo Principi Mensualis solutionem suspendere extra eam partem, quæ Ducatus dicitur, pertinetq; ad Mediolani Ciuitatem. Quæ adducta sunt, vt cernant omnes mensuale onus esse variabile, & ideo extraordinarium, cùm aliquando solutum sit, aliquando non; & modò in maiori, modò in minori quantitate; Aliquæ etiam prouinciæ illud distribuunt iuxta ęstimum personale, aliæ iuxta idem reale, alię iuxta vtrumque, sic enim ostendunt esse onus alicubi personaleli, acubi reale, alicubi mixtum Cùmq; eius solutione omissa à plerisq; ciuitatibus ditionis Mediolanensis pro eo illæ alia onera persoluunt, seu milites hospitio excipiendo, seu iisdem subsidia ministrãdo satis indicant non esse onus perpetuũ subministrandi, atq; adeo nec ordinarium, & esse variabile, cùm eius loco successerint dictę hospitationes, & subsidia. Quòd si Ciuitas Mediolani eo adhuc grauatur, & multis ab hinc annis grauata semper est, non ideo in ipsa est onus ordinarium, quia iudicat Princeps cùm hospitationi militum non subiaceat, eius loco mensuale esse ab ipsa persoluendum, cùmq; hospitatio sit onus extraordinarium, quod eius loco subrogatur, est etiam extraordinarium; Mensuale autem illius loco sufficitur. An verò ob id magis ipsa grauetur, quàm aliæ Ciuitates eiusdem ditionis, cùm in oppidis illius hospitentur milites, non est meum definire, certè duplici onere grauari videtur, hospitationis scilicet militum, & mensualis; iustè, an iniustè viderint alij.

§. VIII.

§. VIII. *Duæ excusationes laicorum*.

1 Dicitur Mensuale à laicis onus ordinarium, non quo ad præstationem, & originem, sed quo ad Quotam.
2 Reijcitur dicta distinctio.
3 Quota non facit certitudinem formalem, sed quasi obiectiuam.
4 Perticatus est onus certum, ac stabile.
5 Imbotatus est onus certum, ac stabile.
6 Non est mensuale onus ordinarium, licet multis ab hinc annis soluatur, nec Taxum equorum, Hospitatio militum &c. Vi, & metu ista soluunt Ecclesiastici, & ideo non valet consuetudo, aut præscriptio.
7 Protestatio quem effectum habeat.
8 An Princeps possit de extraordinario, ordinarium onus efficere; & an id fecerit, & si faceret, ad quid Ecclesia teneretur.
9 Alia excusatio laicorum.
10 Ad quæ onera non obligentur laici.

1 Vnum contra prædicta video opponi posse, nempe huiusmodi onera esse ordinaria non quidem quoad præstationem, cùm modò maiora, modò minora soluantur pro maiori, vel minori necessitate reip. vt dictum est, neq; quo ad originem, cùm bellorum ingruentium intuitu sint imposita, sed quoad Quotam, super qua regulantur, quia exactio origine certa stabilitur, in tota enim ditione Mediolanensi v. g. pro mensuali sunt determinata trecenta millia aureorum, & ideo onus est certum, ac stabile, & consequenter

ordinarium. Vbi verò huiusmodi Quota certa non est, vt in hospitatione militum, stipendijs militaribus, & alijs huiusmodi, nihilominus ea onera reputari debent ordinaria, quia multis ab hinc annis soluuntur vnoquoq; anno, & ideo ob ordinariam obseruantiam annuę solutionis per multos annos continuatæ, facta sunt ordinaria, atq; idcirco ad ea tenentur Ecclesiastici.

2 Pro dicta distinctione adducuntur varij Doctores. a Eam tamen meritò reprobauit Rhaudensis tract. de anal. l. 1. c. 40. à n. 31. ad 58. & à n. 93. ad 108. quia Princeps, & Magistratus semper ea onera iudicarunt extraordinaria, quorum sententia pro lege haberi potest. Non sunt autem inueniendæ subtilitates, & fictiones, vt præiudicium Ecclesiæ afferatur, & fiat Palliatè, quod palam fieri non potest, aperiendo viam fraudibus, vt ait Baldus in leg. post Authenticum. sed periculum. cod. sine cens. vel reliq. Cùm ergo Princeps, & Magistratus, licet non ignorarent Mensuale esse determinatum quoad summam, & Quotam soluendam, declararint esse onus extraordinarium, sapientissimorum Principum, & tribunalium iudicio stabilitas, & certitudo onerum non à Quota, sed à Præstatione sumenda est. Ratio etiam id suadet, quia Mensualis origo, seu causa, propter quam illa summa trecentorum millium aureorum determinata est, fuit pro manutenendo exercitu, eo bellorum tempore, quo indictum est, quę causa est res omnino extraordinaria, cùm solùm pro opportunitate, & necessitate rerum cogatur exercitus, non autem perpetuò alatur.

a Plot. cons. 4 n. 2. 3. Bursat. cons. 42 Bellon. iun. cōs. 69. n. 35. Abb. cons. 93. l. 1. & cōs. 13. n. 10. l. 2. Guido Papa decis. 38. cū seq. Thesaur. decis. 234. fel. cons. 46. n. 18. Bellar. cons. 46. n. 7 Alba cons. 8. n. 21. Thomatius de collect. u. Pro Ecclesia. G. iii zonus cons. 53. et 62.

3 Pręterea Quotam esse determinatam, non facit certitudinem, & stabilitatem, nisi remotam, & obie-

ctiuam;

ctiuam; Certitudo autem, & stabilitas solutionum est proxima, & formalis: sicut autem apud Philosophos certitudo, & stabilitas formalis est rei certę, & stabili intrinseca, non autem obiectiua, quæ est extrinseca illi, & ideò ab illa magis res ipsa certa, & stabilis pendet, quàm ab hac, ita & apud Iuristas, & Canonistas esse debet, quare illud dici debet certum, ac stabile, quod intrinsecè, & formaliter est tale, non quod obiectiuè, & quasi originaliter. Cùm ergo in nostro casu stabilitas oneris sit talis obiectiuè tantùm, ratione scilicet Quotæ certæ, ac stabilis, quam Mensuale respicit, non autem formaliter ratione summæ ab vnoquoq; soluendæ, erit quidem illud certum, ac stabile obiectiuè, formaliter verò incertum, ac varium, cùm nesciat quisq; quantum soluere debeat hoc anno, & quantum sequenti, nam id à varijs circumstantijs dependet. A simili id magis explico.

4 Certum onus, ac stabile est Perticatus, & tamen Quota illius est incerta, cùm non sit indictus, vt determinata summa aureorum colligeretur, hæc enim variari potest pro vt plures, vel pauciores agri, aut vineę coluntur, at quia solutio est vnicuiq; soluendi certa, ac determinata vnoquoq; anno, nempe determinati nummi pro vnaquaq; mensura terræ.

5 Ideo illud certum habetur, licet quoad Quotam sit incertum. Idem dici potest de eo censu, quem vulgò Imbotatum vocamus, hic enim est onus ordinarium, quia vnicuiq; mensurę vini certa solutio est decreta, licet quoad Quotam possit esse incerta, cùm modò maior, modò minor summa colligatur, pro vt plures, vel pauciores mensuræ colliguntur, Ergò id accidit, quia certitudo, & stabilitas oneris non

à Quo

à Quota est desumenda, sed à determinata solutione pro vnaquaq; mensura, siuè agri, siuè vini, siuè alterius rei imposita, quia hęc stabilitas, & certitudo formalis, & intrinseca oneri reputatur, illa verò obiectiua.

6 Nec quia multis ab hinc annis soluitur, vt etiam alia onera Taxi equorum, Hospitationis militum &c. quorum non est certa Quota, seu certa quantitas pecunię soluendæ stabilita, est concedendum ea esse hoc tempore ordinaria. Nam respectu Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum, id non subsistit, fundamentum enim est Consuetudo, & Pręscriptio, quas supra Cap. 13. fusè probauimus non adesse, cùm singulis annis Pontifex in Bulla cenæ eas reprobet, & ideo non consuetudo, & Præscriptio, sed Corruptela sit, & mera violentia, cùm presertim in ea, tum introducenda, tum conseruanda, vis contra Ecclesiasticos adhibeatur, qui si soluunt, vi ac metu maioris mali soluunt, non autem sponte, nec licite possunt sponte soluere, cum suorum priuilegiorum præiudicio, quibus officere non possunt. Soluunt autem præmissa protestatione non præiudicandi suis iuribus, ac priuilegijs.

7 Quę protestatio licet videatur contraria facto, facit tamen, vt non sibi prę iudicent in futurum; Sed prę iudicarent ad summum pro præterito, si suo priuilegio cedere possent: Ea enim Protestatio salua facit Iura Protestantium leg. non solum §. Morte ff. de noui oper. nunt. Imo etiamsi eam protestationem nō facerent Ecclesiastici, dum soluunt onera, non præiudicarent sibi in futurum, vt docet Guido Papa cum alijs, *a* ob assignatam rationem, quia cedere non possunt, siuè expressè, siuè tacitè suis priuilegijs

a Guid Papa q. 387. Abb. cons. 94. l. 1. Alex. cons. 33. l. 5. Natt. cons. 446. l. 2. nu. 76. apud Menoch. cōs. 75. n. 68. & seq.

legijs. Nec solùm præmiserunt protestationem dictam Ecclesiastici, sed aliqui Prælati se expresse opposuerunt, excommunicationemq; & Interdictum sanxerunt in eos, qui Ecclesiasticos cogebant ad eorum onerum solutionem, atq; ideo omnis præscriptio, & consuetudo est interrupta. Neq; potuit de nouo inchoari sine censurarum vinculo.

8 At, inquies, Princeps potest statuere aliquid esse onus ordinarium quod erat extrardinarium l. 1. Cod. de indicto, docetq; Calderinus cons. 2. de cens. Idemq. potest per consuetudinem introduci ex eodem Calderino, & alijs. a Respondeo neq. à Principe Laico, neq; à consuetudine laicorum id posse fieri quo ad bona Ecclesiasticorum, quia in hæc nihil possunt, vt supra probatum est, cap. 2. presertim. Quidquid sit, certè hucusq; neq; Princeps, neq; Senatus, vel Magistratus declararunt ea onera esse ordinaria, & si declararent, pro bonis hucusque acquisitis ab Ecclesia non proficeret, sed pro acquirendis post eam declarationem. Consuetudo etiam hucusq; non est legitimè introducta, dato quod possit introduci, cùm Pontifex ei singulis annis obsistat. Si autem aliquando legitimè introduceretur, non haberet vim quo ad bona Ecclesiastica ante eam acquisita, sed quoad acquirenda post eam. Nam ante eam onera erant extraordinaria, à quibus sunt exempti Ecclesiastici, cùm autem fiunt ordinaria nouum est onus, ad quod obligantur Ecclesiastici, non possunt autem obligari pro bonis possessis, quia in hæc laica potestas, & consuetudo nihil potest; obligabuntur ergo solùm pro bonis acquirendis, quæ transeunt cum onere ordinario merè reali ad Ecclesiam. Cùm autem ostenderimus dicta onera esse mixta

a Cald. cons. 7. de Const. Alex. cons. 52. fin. l. 5. Soc. iun. cons. 49. l. 1. n. 6. & cons. 75. l. 4. n. 16. 17. Osasc. decis. 83. fin.

A etiamsi

etiamsi per consuetudinem, aut Principis decretum fiant ordinaria, non obligabuntur vnquam ad ea Ecclesiastici, quorum personę sunt omnino exemptæ.

9 Altera laicorum excusatio esse posset, si Princeps aliquis, vt accidisse audio, cùm secũda Vice Dux Feriæ habenas Mediolanensis ditionis suscepit, si inquam, Princeps aliquis in controuersia, de qua agimus, inter Ecclesiasticos, & Laicos declararet, quo laici quiescerent per modum prouisionis, quoadusque à Rom. Pontifice aliud decerneretur, ab Ecclesiasticis non nisi partem dimidiam onerum esse capiendam, nec ei declarationi obsisterent Ecclesiastici. Verùm ob id excusari posse laicos à peccato, & censuris non puto, si eam dimidiam partem accipiant. Loquor semper de oneribus extraordinarijs, & de ordinarijs impositis postquam in Ecclesiam bona aliqua sunt translata, Quia non est Principis Laici decernere, aut declarare bona Ecclesiastica ex parte tantùm esse exempta. Secundò quia exemptio Ecclesiasticorum ab oneribus extraordinarijs est perfectè concessa à Summis Pontificibus. Ergo Princeps Laicus non potest eam diminuere, vt probauimus cap. 3 Nec Ecclesiasticorum silentium præiudicare potest eorũ priuilegijs de immunitate, seu libertate Ecclesiastica, cùm nec expressus consensus id possit sine expressa Papæ approbatione, quam numquam probabunt laici adfuisse cùm Dux Feriæ constituit dimidiam tantùm partem onerum ab Ecclesiasticis esse soluendam.

10 Ex dictis collige Ecclesiasticos non teneri ad hospitationem militum, aut ad sumptus pro ea, vel pro militum trãsitu per oppida, neque ad Taxum equorum, neque ad collectas, neque ad Mensuale, & alia huiusmodi, quia sunt onera extraordinaria, & fortè etiam mixta.

CA-

CAPVT XVI.

An ob decretum Senatus obligantis ad ſolutionem onerum bona, teneantur Eccleſia, & Eccleſiaſtici, ea ſoluere.

§. I. Si extaret tale decretum læderet libertatem Eccleſiaſticam.

1 *Non extat Senatus decretum contra immunitatem Eccleſiaſticam.*

2 *Decretum Senatus conſtitutionem roborat, nec Eccleſiaſticos comprehendit.*

3 *Eo decreto quo pacto læderetur libertas Eccleſiaſtica, ſi Eccleſiaſticos comprehenderet.*

4 *Opinio Signoroli reffellitur.*

5 *Libertas quid ſit. ablato iure acquirendi niſi ſub certis conditionibus impeditur libertas Eccleſiaſtica.*

6 *Diminutio libertatis etiam per modicam rem eſt magna lęſio.*



1 NON extare in ditionibus Catholicis, in Mediolanenſi præſertim, hoc decretum, Eccleſiam afficiens, mihi facile perſuadet Probitas, Pietas, Integritas, ac Religio Senatus in quacumque regione Catholica, in Italia prę ſertim, & maximè Mediolani. Addo & eiuſdem ſcientiam, ob quam ignorare non

potest suam potestatem ad res Ecclesiæ non extendi; nec esse supra Sacros Canones, Pontificiamq; autoritatem, & ideo quæ contra leges fiunt pro infectis habenda esse leg. Iubemus Cod. de Sacrosf. Ecc. §. Sanè si hoc.

Quare male explicari tantorum virorum decretum certissimè arbitror, cùm ad Ecclesiam extenditur quo ad omnia onera etiam extraordinaria, & mixta, cùm præsertim Mediolanensis Senatus anno 1551 die 3. Iulij declararit Ecclesiasticos eo decreto non comprehendi, vt refert Carpanus in §. Collegijs sub numero 151.

2 Statuit ergo Senatus ne bona alienentur in non subditum absq. Laici Principis licentia, & prohibentur Notarij instrumenta eiusmodi alienationum conficere: cùm verò licentia petitur alienandi in non subditum, iubetur dari fideiussor de oneribus soluendis, tum ijs, quibus alienata bona sunt grauata, tum ijs, quibus grauanda erunt, non secus ac si apud alienantem remansissent: Pro prædicta autem licentia soluendum est certum pretium. Quod decretum ad Ecclesiasticos de iure non extendi, nec Senatum comprehendere ipsos voluisse certissimum arbitror. Eoq. quid æquius statui potuit, si peruersa absit interpretatio? Aequissimum enim est, vt constitutiones, & statuta ditionum seruentur, inter quæ pluribus in locis, vt Mediolani, adest quadringentesimum octogesimum nonum parte secunda, in quo non subditus acquirens bona immobilia iubetur soluere onera ijs bonis incumbentia, & dietim incumbitura, quod statutum Senatus suo decreto roborauit, atq; adeo sicut illud Ecclesiasticos non comprehendit cùm præcipi t subditis, ita neq; istud, non enim est credibile

vltra

vltra limites suę potestatis tot sapientissimos, & bonę conscientię viros voluisse aliquid decernere, licet non desint hanc eis notam inurentes, asserentesque voluisse Ecclesiasticos eo statuto, ac decreto ligari. Quòd si verùm esset, fieret manifestè contra libertatem Ecclesiasticam, & Episcopi deberent cogere Senatum ad declarandum se noluisse Ecclesiasticos comprehendere, vt docent Doctores. *a*

3 Quòd verò læderetur libertas Ecclesiastica, probatur, quia impedirentur Ecclesiastici consequi, quod alijs communiter licet, aut saltem non cum tanta difficultate, non enim liceret eis emere liberè, nec sine magna difficultate, cùm deberent petere licentiam à Principe, & dare fideiussorem, ad quę alij non obligantur.

Cùm autem causa mortis possit donari Ecclesiæ l. Habeat Cod. de Sacr. Eccl. leg. iubemus Cod. eod. leg. inter diuinum ff. de hæred. 1. leg. & fideic. relicto, quę leges à Constantino, Valentiniano, Martiano Impp. Leone, & Anthemio sunt editę; Donatione etiam inter viuos, & alio contractu possit Ecclesia acquirere l. Iubemus citata, & l. Illud Cod. de Sacr. Eccl. & Auth. de non alien. aut permut §. Nos igitur, & §. si nimis, vbi ait Iustinianus Imp. Optimam esse mensuram in Ecclesijs donatarum eis rerum, Immensitatem, cap. sunt qui opes 17. q. 2. Clem. 2. Religiosi de decim. Cap. Sacrilegium 17. q. 4. quod est Sancti Gregorij, & alijs iuribus, ac Doctoribus communiter, *b* non posset id fieri, nisi cum limitatione, si Ecclesiastici d. Senatus decreto comprehenderentur, nam non possent acquirere, & eas donationes accipere, nisi darent fideiussorem de soluendis oneribus, quod est limitatè vti iure, quo sine limitatio-

a Palud. in 4. d. 18. q. 3. n. 3. cas. 14. Tolet. l. 1. sum c. 27. Sayr. l. 3. c. 34. n. 7. S. Ant. 3. p. tit. 24. c. 18. Mart. Led. 2. p. 4. q. 26. n. 2. §. 23. Syl. u. Excomm. n. 50. & alij.

b Bart. in l. Vt inter diuinum §. diui. n. 12. Castr. ibid. n. 5. Turrcot. in c. si quis in atrio. n. 9.

ne vtuntur laici, & ideo lædetur libertas Eccleſiaſtica, nam quę ſunt alijs communiter, & liberè conceſſa, non niſi ſub conditione Fideiuſſoris Eccleſiaſticis permitũtur, atq; ideo deterioris conditionis eſſet Eccleſiaſticus, quàm laicus, Nam beneficio iuris communis liberè vti non poſſet.

4 Nec fundamentum habet opinio Signoroli conſi 21. qui putat non lædi libertatem Eccleſiæ, cùm ſtatuitur aliquid contra id quod conuenit Eccleſiæ de iure communi, ſicut alijs, vt eſt emere, acquirere &c. quod etiam ſenſiſſe videtur Bart. in l. Cunctos populos q. 5. n. 29. Cod. de Sum. Trin. Nam id non ſolùm eſt priuilegium iure communi, ſed etiam iure ſpeciali Eccleſiæ conceſſum, vt patet ex iuribus allatis. Secundò cap. eos qui de Eccl. immun. in 6. excommunicantur, qui prohibent Clericis ea, quæ de iure communi competunt, vt emere, coquere in furno omnibus conceſſo &c. Ergo quia ſentit Papa lædi libertatem Eccleſiaſticam cùm ea auferuntur Eccleſiaſticis. Tertiò difficilius auferuntur quæ competunt de iure communi, quàm quæ de iure ſpeciali leg. eius militis ff. de teſt. milit. cum Doctoribus *a* ſi ergo à Principe laico, aut à Senatu non poſſunt auferri, aut limitari quę iure ſpeciali ſunt Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis conceſſa, multò minus poterunt auferri, aut limitari quæ iure communi ſunt donata.

a Felin. in c. Eccl. ſt. S. Marię de cõſt. n. 81. & in c. nouerit de ſent. excom. Caſter. in leg. Vt inter Diuinum c. de Sacr. Eccl. n. 5. Bald. in l. ſtatuimus c. de Epiſc. & Cle. n. 5. Caiet. in Sum. u. Excom. c. 5. Sayr. c. 20. n. 9. l. 3. Tabien. u. Excom. 5. caſ. 20.

5 Cùm ergo libertas ſit Naturalis facultas faciendi quodlibet, niſi iure prohibeatur l. libertas ff de ſtat. hom. ſi ab Eccleſia aufertur ius acquirendi, aut hoc reſtringitur, Prohibetur ſcilicet acquirere, niſi petat licentiam acquirendi à Principe laico, Aut niſi det fideiuſſorem de ſolutione onerum, vel niſi ſoluat aliquam pecuniæ ſummam pro petita licentia obtinenda,

nenda, Impeditur eius libertas, cùm nullo iure prohibeatur acquirere sine ijs limitationibus, imo id à iure ei concedatur, & absolutè ante poterat acquirere. Si ergo Senatus limitasset eam facultatem, restrinxisset eius libertatem, atq; adeo fecisset contra eam.

6 Nec excusaretur, quasi modica esset lęsio, nam maximè eam lęsisset. Cùm diminutio libertatis sit maximum Ecclesiæ præiudicium; libertas enim est maximum eius bonum, eamq; restringens, facit vt Ecclesia parui ęstimetur, tamquam sit subiecta potestati laicę, vt sunt alij etiam infimæ conditionis, qua in re est maximum periculum diminutionis Diuini cultus. Quare etiamsi ageretur de modico onere, aut de modicæ pecuniæ solutione, magnum tamen esset Ecclesiæ præiudicium, quia magna est læsio, contemni, & subijci alteri, cui de iure non est aliquis subiectus, & sine eius consensu non posse emere, nec donatione, legato, aut alia via acquirere bona immobilia, nisi sub certa conditione. Quæ ergo modica videtur læsio, verè est considerabilis, cùm eumdem effectum producat, quem produceret, si maxima appareret, diminutionem videlicet libertatis, quæ adest, siuè modica, siue multa pecunia soluatur pro licentia acquirendi immobilia. Nec dici potest modica diminutio in nostro casu, cùm magnum sit onus quærere, & inuenire fideiussorem, ac petere licentiam pro re, quam alij ciues sine licentia consequuntur. Benè autem dixit Tiraquellus, *a* cùm dixit, idem iudicandum esse de minimo, ac de magno, vbi in minimo eadem est proportionabiliter ratio, quę in magno. Idemq; sentit Surdus cons. 301. n. 90. 91. Quamuis Zabarella, & Vulpellus *b* velint non esse habendam rationem modici oneris. Quasi verò leui-

a Tiraq. tr. de iudic. in reb. exig. ferend.

b Zab. in repet. Cap. Per pendimus de sent. excom. Vulpel. tr. de lib. Eccl. p. 3. n. 18. 16. cum Gabr. cons. 37. n. 4. vol. 2.

leuitas rei non grauiter lędat libertatem, & subiectionem suam quis non testetur solutione v. g. vnius auiculę, sicut magni tributi. Quare ex hoc capite quòd modicè læderetur libertas Ecclesiastica, si statuto Senatus comprehenderentur Ecclesiastici, quia modicum onus eis imponeretur, non possent excusari senatores à graui peccato, & ab Excommunicatione Bullę Cœnæ, quia verè eam libertatem læsissent, & quidem grauiter.

§. II. Indirectè lęditur libertas Ecclesiastica per dictum statutum, si comprehendit Ecclesiasticos.

1 Contra libertatem Ecclesiasticam indirectè esset decretum senatus, si Ecclesiasticos comprehenderet; Paria sunt directè, vel indirectè aliquid facere. Lædens libertatem Ecclesiasticam indirectè, est excommunicatus.

2 Intentio non lędendi libertatem Ecclesiasticam, si lex sit contra eam, non excusat à lęsione eius libertatis.

3 Taciti, & expressi idem est iudicium. Tacitè lęderetur libertas Ecclesiastica si in decreto comprehenderentur Ecclesiastici Timidiores cùm redduntur Clerici, læditur libertas Ecclesiastica.

1 Alia excusatio à Signorolo eodem cons. 2. pro Senatu allata, si Ecclesiasticos voluisset sua constitutione comprehendere, infirma est, nempe eum non prohibuisse Ecclesiasticis acquirere, sed laicis vendere, & Notarijs scripturas conficere, nisi data vel acce-

accepta cautione soluendorum onerum. Sed hæc etiam non subsistit; Quia dato quod directè non læderetur libertas Ecclesiastica, indirectè tamen læderetur, nam vetans alicui vendere v. g. vetat consequenter, & indirectè alium emere, & acquirere. Et sicut laicus non habet directam potestatem in Ecclesiasticos, ita nec indirectam, vt fusius testantur Abbas, & alij. [a] Cùm autem paria sint directè, & indirectè aliquid prohibitum attentare leg. Qui dum captat ff. si quis ad test. prohib. cum seq. vbi Prohibens Notarium, aut testes ingredi ad ægrum mutare volentem testamentum, dicendus est prohibuisse testamentum, licet hoc indirectè tantummodo prohibuerit. Et ideo ei aufertur hæreditas, & Fisco applicatur, non secus ac si testamentum directè prohibuisset. Sic etiam prohibens ferri materiam, sine qua via refici non poterat, dicitur prohibere viæ refectionem leg. Veteres ff. de itiner. act. priu. & ideo contra eum proceditur, ac si directè impediuisset ipsam ex Venuleio ibi, cùm eadem pæna debeatur attentâti facinus siuè directè, siuè indirectè leg. Athletas de ijs, qui not. infam. §. Ac Prætor, & qui per fraudem, ac sub verborũ cortice in legẽ peccat, ac ille qui apertè, & directè contra legem agit, ex Bartolo in l. non dubium Cod. de leg. Cùm, inquam paria sint directè, & indirectè aliquid prohibitum attentare, nil mirum si Canon 15 bullę Cænę excommunicationem ferat in lædentes libertatem Ecclesiasticam siuè directè, siuè indirectè. Idq; præsertim verum est, cùm agitur de conscientiæ foro, in quo non valet dictum illud, Expressa nocent, Non expressa non nocent, nam conscientia tacito, & latenti peccato turpatur. Et in moralibus voluntas indirecta ad directam reducitur, eamdemq;

[a] Abb. in c. Dudũ de elect. n 17. Gueuara in propugnaculo libert. Eccl. assert. 1. §. 3. cũ seq. Fagnanus 3. p. de iust. & validitate censurarum Pauli V. in Venetos, vbi pro se 40 Doctores adducit ex Carolo à Basilica Petr. in c. conuenior apud Gatticum.

camdemq; speciem malitiæ participat, Vnde nõ minus directè nocet, qui non impedit nocumentum, cùm possit, ac debeat, quàm qui illud infert ex Suar. & alijs. a Quamuis Caietanus in summa de Excommunicatione c. 3. & Nauarr. in Summa cap. 27. n. 119. 120. velint præsumptiuè, non autem propriè esse contra libertatem Ecclesiasticam, quia caput vlt. de immun. Eccl. in 6. dicit præsumi in derogationem Ecclesiasticæ libertatis vetare laicis ne vendant Clericis, vel ab ijs emant, molantq; ijs triticum, & alia huiusmodi obsequia præstent. Verùm quicquid sit, siuè præsumptiuè, siuè aliter lędant libertatem Ecclesiasticam excommuuicationem non effugiunt, vel in eo cap. vltimo allatam, vel in bulla cęnæ. Præterea eius textus verba sunt, Cùm talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur. Cuius verbi sensus est, quòd prædicta vetantes præsumunt ea vetare in derogationem libertatis Ecclesiasticę: idest temerè, & arroganter, atq; ex certa scientia, & deliberatione contra libertatem Ecclesiasticam operantur. Ly ergo, Præsumantur, non cadit supra videntes, aut scientes ea fieri, ità vt ex coniecturis colligant, & supponant ea vetari in derogationem libertatis Ecclesiasticę, sed cadit supra ipsos vetantes, à quibus ea præsumuntur, seu qui præsumunt ea vetare in dictã derogationem. Quoties autem leges latenter, lædunt Ecclesiasticos, licet verba in eos non dirigãtur, lędunt propriè, indirectè tamen, fraudulenter, ac per dolum libertatem Ecclesiasticam. Lederent autem directè, si in eos ferrentur verba, eosq; nominaret.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 33. n. 7. 89. glos. in cap. Vlt. de immun. Eccl. in 6. & in c. quanto de Priuil. Panorm. ibid.

2 Neq; eiusmodi læsionem excusat illud, quod aliqui dicunt, legislatorem non habere intentionem

lædendi

libertatem Ecclesiasticam, sed sui, aut aliorum commodi procurandi; nam satis est verè legem esse contra eam libertatem, quamuis indirectè, quia, vt dictum est, in moralibus, eadem est ratio directi, & indirecti, nam indirectum tendit ad idem, ad quod tendit directum licet per circuitum, & eandem materiam attingit, atq. in eamdem personam redundat eius effectus. Sic qui impedit alium, ne mihi vendat, me impedit etiam, ne emam, idq; maximè, si sit Magistratus, ad quem ex officio spectat impedire grauamen Ecclesiæ, & si non impediat, non solùm illud permittit, sed moraliter facit: ita Suarez, & alij. a

3 Confirmatur primò, quia Taciti, & expressi idem est iudicium leg. De quibus fin. ff. de leg. leg. Cùm quid. ff. de rebus credit. & si certum petatur. Euerardus loco ab expresso ad Tacitum, vbi, & ait quòd sicut conditio expressa impedit ortum obligationis in diem leg. Cedere diem ff. de oblig. ita, & Tacita, vt habet Sanchez de matrim. l. 1. disp. 69. n. 1. & lib. 4. disp. 6. n. 36. Ergo sicut si expressa verba legis contra immunitatem Ecclesiasticam, eam læderent, ita & tacita eandem lędent, nam licet contra verba Sacrorum Canonum non sint apertè, sunt tamen occultè, & faciunt contra mentem eorum, quod est facere in fraudem legis l. 29. & 30. de leg. Quod autem vna uia prohibetur, non debet alia via admitti cap. Cùm quid 84. de reg. iur. in 6. docentq. Doctores, Baldus in l. omnes n. 8. Cod. sine censu, & reliq. & in leg. Placet Cod. de Sacr. Eccl. & in l. Neminem eod. Sylu. u. Immunitas 11. n. 6. Archid. Gemin. Io. Andr. Francus, Anchar. in cap. 1. de immun. in 6. Abbas in c. fin. de vita, & honest. Cleric. n. 12. Ludou. Rom. in leg. si publicanus ff. de public. felin. in Cap.

a Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 33. à nu. 4. ad fin. Tole. l. 1. sum. c. 37. Abba conf. 8. n. 3. & 10. Io. Andr. & Ancha. in c. Eos qui de immunit. Eccles. in 6. Vasq. de success. l. 3. §. 10. num. 658. Surd. consil. 301. n. 77. Burat. consil. 42. n. 17. Lopes alleg. 92. n. 3. Io. Monach. & Abb. in c. Clerici de immun. Eccl. in 6.

Ecclesia Sanctę Mariæ de Const. numero 76.

4 Confirmatur secundò quia propriè in legem peccat, qui contra legis nititur voluntatem leg. Non dubium Cod. de leg. leg. contra legem ff. de leg. & reg. iur. in 6. Si igitur fit contra voluntatem Sacrorum Canonum, qui volunt indemnem omnino seruari Ecclesiasticam libertatem, verè, ac propriè lædetur libertas Ecclesiastica, & in Sacros Canones peccabitur, & incurrentur censurę ab ijs statutæ. Quare quamuis apertè constitutione, & Statuto, de quo loquimur, non comprehendantur Ecclesiastici, satis est tacitè, & indirectè comprehendi, vt contra Sacros Canones, fiat cùm pręsertim per illud reddantur Ecclesiastici timidiores in acquirendo Ecclesiæ, vident enim per eam acquisitionem se subijci potestati laicę, petere ab ea licentiam debere, ac se obligare cum fideiussore, soluereq; pecuniam, vt petita licentia obtineatur, Quoties autem Clerici redduntur timidiores per aliquam legem, aut statutum, verè, ac propriè, & non pręsumptiuè tantùm, fit contra libertatem Ecclesiasticam ex Cap. Quanto de priuil. in quo statuitur non posse mulctari subditos statuentium, si contrahant cum Ecclesiasticis contra prohibitionem, quia pæna his non potest imponi, & ideo si Notarius instrumentum emptionis ab Ecclesiastico factę conficeret sine requisitis per Senatus decretum puniri non posset, quia pęna ob id Ecclesiastico inferri non potest, & punito notario, indirectè ipse Ecclesiasticus prohiberetur emere, Quod etiam asseruit Abba con. 8. n. 16.

§. 111.

§. *III. Statuto, nec decreto Senatus non comprehenduntur Ecclesiastici.*

1 Iniustitiam commisisset Senatus, si Ecclesiasticos suo decreto voluisset comprehendere.
2 Statutum loquitur de oneribus iam impositis antequam in Ecclesiam peruenissent.
3 Statuta explicanda sunt, vt quàm minimè lędant priuilegia. In dubio textus intelligitur in fauorem priuilegiorum. Et sic est explicandum decretum senatus, & statutum, vt non lædat libertatem Ecclesiasticam.
4 Si decreto Senatus comprehenderentur Ecclesiastici essent deterioris conditionis, quàm laici.

1 Ne ergo pręstantissimum ordinem censuras Ecclesiasticas incurrisse, & contra libertatem Ecclesiasticam aliquid statuisse, licet indirectè, asseramus, necessariò dicendum est quod iam diximus, ab ipso illa constitutione noluisse comprehendi Ecclesiasticos. Verùm demus Ecclesiasticos comprehendi, eoque statuto ligari. At contra iustitiam aliquid Senatum voluisse decernere iniquissimum est cogitare. Iniustitiam autem commisisset, si Ecclesiasticos voluisset ad onera extraordinaria obligari, vel ad onera personalia, vel mixta. De oneribus ergo tantùm ordinarijs merè realibus loqui constitutionem constantissime sentiendum est; Nam alias Senatus idem, ac Magistratus declararunt ad extraordinaria onera Ecclesiam, & Ecclesiasticos non obligari, vt Cap. superiori ostendimus, à quibus declarationibus, non

est probabile posteriores Senatores voluisse discedere cum animę proprię detrimento, & periculo obligationis ad restitutionem.

2 Statuta autem loqui de oneribus iam impositis, antequam bona transirent in non subditos, & loqui de subditis, explicat Guttierez q. 3. d. 11. n. 15. Eiusdemq. statuti verba satis ostendunt locutionem esse de oneribus ordinarijs tantummodo, quæ ante translationem in Ecclesiam erant imposita, ait enim, onera incumbentia, & dietim incumbitura, quasi dicat onera iam imposita, & incumbitura in posterum per singulos dies sine variatione, quæ alia non sunt, quàm ordinaria, quæ stabilia sunt. Pręterea verbum illud Incumbentia, & Incumbitura, significat onera inhærere bonis stabiliter, & esse veluti eorum accidentia, atq. adeo de ordinarijs tantùm oneribus sermo videtur esse, nam extraordinaria, quæ modò adsunt, modò absunt pro reip. opportunitate, non tam incumbere bonis quàm extrinsecus adiacere dicenda sunt.

3 Hic etiam militat communis doctrina quòd statuta explicanda sunt vt quàm minime lædant priuilegia aliorum, & ius commune iuxta caput Dilectus de consuet. & ideo in dubio debet textus intelligi in fauorem priuilegiorum, eorum præsertim, quæ de iure communi conceduntur Clericis ex Duardo. a Debet ergo statutum de quo loquimur ita explicari, vt vel non liget Ecclesiasticos, vel si ligat, quoad ordinaria tantùm onera realia liget imposita bonis antequam ad Ecclesiam peruenirent, & fortè etiam quoad onera tantùm priuata, pro quibus exigi fideiussorem non videtur illicitum.

a Duar d. in can. 15. bullæ cœn. q. 4. n. 17. Alex. in l. Inter cętera n. 5. ff. de lib. Posth.

4 Quæ dixi, vt quo ad fieri potest, sustinerem Senatus, & Statuti iustitiam. In hoc tamen ea est non

leuis

leuis difficultas, quòd Ecclesiastici grauarentur onere, quo non grauati sunt laici, quærendi scilicet fideiussorem, petendi licentiam possidendi bona de nouo eis obuenientia, & soluendi nescio quam pecuniæ summam pro ea licentia; Quę pecunia, licet ab alienante soluatur, in Ecclesiasticos tamen redundat, quia cum emunt, maiori pretio emunt ea bona, quàm alioqui emerent; aut si alia via acquirant, vt legato, donatione inter viuos &c. Ipsi soluunt, vt notat Albert. tract. de statut. p. 2. q. 2. fin. Atq. adeo cùm Ecclesiastici fiant deterioris conditionis, quàm laici, lædaturq; libertas Ecclesiastica, negandum omnino est eos illo statuto, aut constitutione fuisse compræhensos; Vi cuius, cùm aliquid determinatum soluendum Senatus non proponat, non obligatur Ecclesia acquirens bona, obligaretur autem fortè, si determinatum aliquid imponeretur, vt septem, vel quinque solidi in singulos annos, bona enim transirent ad eam cum onere illo. Nec dissentiunt Azor, & alij. *a* De quo tamen valde dubito, nam illud onus imponeretur sub ea conditione, si transirent ad Ecclesiam bona, quare prius implenda esset conditio, quàm esset imposita obligatio; & consequenter hęc bonis sub dominio Ecclesiæ existentibus adueniret, grauaretque bona Ecclesiastica, quod laici facere non possunt. Vel saltem id factum esset in fraudem, vt bona grauata ad Ecclesiam peruenirent, non peruenirent autem sic grauata ad laicos.

a Azor l. 5. p. 1. c. 13 q. 1. Panorm. in c. Ecclesia S. Mariæ de cōst. & in c. fin. de vita & honesta. Cler. vbi etiam Imol. apud Duard. in cā. 18. bul. can. q. 6. n. 8.

§. *IV. Hypothecam non constituit statutum.*

1 Hypotheca in bonis non constituitur per statutum.

2 Siue

2 Siue abſoluta, ſiue conditionalis.
3 Hypotheca non retrotrahitur ad tempus conditæ legis.
4 Conditio caſualis quid ſit.
5 Conditio poteſtatiua quid ſit.
6 Si hypotheca in bonis per ſtatutum eſſet inducta, eſſet infraudem immunitatis Eccleſiæ.
7 Si eadem adeſſet, eſſet pro oneribus tantùm realibus ordinarijs.

1 Illud fortè dicere quis poteſt. Per tale ſtatutum & Conſtitutionem in bonis conſtitui hypothecam, ratione cuius obligentur antequam ad Eccleſiam transferantur, onera omnia ſoluere. Verùm dato, & non conceſso, quòd ea hypoteca reſpectu laicorum conſtitueretur, at reſpectu Eccleſiæ non eſſet admittenda, quia videretur conſtituta ad illius tollenda priuilegia, atq. adeo in fraudem ipſius, vt ait Ruinus. a Eſſet quidem hypotheca, ſi ciues poſſeſſores bonorum obligaſſent illa pro ſolutione onerum, ſiuè generaliter, ſiuè ſpecialiter, vnde tranſlata in Eccleſiam adhuc ſubiacerent hypothecę; Nam bona tranſeunt cum onere, & obligatione impoſita à priuato. At ſi Princeps, vel communitas obligationem illam impoſuiſſet bonis ſubditorum hæc non remaneret, ſi bona aliqua Eccleſię darentur, quia ea obligatio ſaltem indirectè læderet libertatem Eccleſiaſticam, vt ait Azor t. 3. l. 5. c. 19. q. 9. citans multos. Præterea cùm neq. ſtatutum, neq. decretum Senatus, aut vlla lex hypothecæ mentionem faciant, non eſt dicendum eam conſtitui per ipſa, eſt enim hypotheca, res oneroſa, & odioſa, vt ait Leſſius de iuſt. & iure c. 18. dub. 7. n. 44. & ideo eſt reſtringenda ad ſola expreſsa. Adde quòd

a Ruin. conſ. 117. n. 8.

quòd vbi incertum est debitum, & obligatio, hypotheca constitui non potest l. Inter debitorem ff. de pact· l. Greg. §. si sub conditione, l. si legati, l. fideiussor, l. Is qui ff. de pignor. l. Item liberatur ff. Quibus modis pign. vel hypotheca. vbi propter obligationes futuras, & quæ nondum extant, dicitur hypotheca constitui non posse, cùm hæc obligationi accedat, & ea carere non possit. Idem docent Alexander, & alij. *a* Et ideo hinc optimè infert Baldus, *b* non posse dici hypothecam esse constitutam pro præstatione collectarum, quæ ob suam varietatem, & incertitudinem habent incertam obligationem, cui accedere non potest hypotheca. Idem docent quo ad collectas difformes Castrensis, & alij, *c* inter quos Florianus, & Salicetus dicunt hypothecam non posse oriri ante obligationem personalem, hanc verò non oriri, nisi post factam impositionem certam.

Cùm ergo obligatio ad soluenda quæcumq; onera imponenda sit de re incerta, & indeterminata non potest pro ea in bonis constitui hypotheca, sed tunc constituetur cùm onus determinatum in bonis erit impositum: At cùm hoc imponetur bona sub dominio Ecclesiæ erunt constituta, ergo sicut à laico grauari non possunt, nec obligari ad illud onus, ita nec in ijs constitui hypotheca. Ideo; optimè concludunt Filliuccius, Azor, Layman apud Dianam *d* obligatione indeterminata non posse Ecclesiasticorum bona obligari, licet non desint contradicentes.

2 Quòd si fortè quis dicat eam hypothecam non esse absolutam, sed conditionalem, & ideo esse inductam in obligatione incerta, quæ cùm facta erit certa, hypotheca retrotrahetur ad tempus factæ legis, seu

a Alex. in l. 1. n. 24. de legat. 1. Negus. de Pignor. p. 2. membr. 4. n. 125. cas. 14 apud Trottũ ex Gattico.

b Bald. in c. de pace constantiæ n. 16.

c Castr. in l. Imper. n. 3 ff. de public. & vectig. Crau. cons. 872. à n. 4. citãs Angel. Gemin. Aretin. Iaso. Ruin. Natta apud Menoch. cons. 831. n. 23. 24. 29. &c. Florian. de S. Petro cons. 12. Salic in l. Item nulla c. de Episc. & Cler· & in l. Placet Eod. de sacr. Eccl. apud Thusc. u. onera concl. 133. n. 6.

d Dian. 1. p. tr. 1. res. 42 Azor. tract. 3. l. 5. c. 19. q. 8

seu conuentionis, Nam leg. Qui balneum, & l. Potior ff. Qui pot. in pign. habeant. Obligatio, & hypotheca conditionalis retrotrahitur à die euentus conditionis ad diem conuentionis, quamuis pendente obligatione, nulla adesset obligatio, & hypotheca iuxta l. Grege §. si sub conditione ff. de pignor. Quod autem dicitur de retrotractione respectu conditionis, dici videtur posse etiam respectu legis, statuti, & decreti, vt scilicet inducatur ab ea hypotheca conditionalis, quæ tunc habeat suum effectum, cùm inducta erit obligatio, seu facta erit impositio oneris alicuius soluendi pro necessitate publica, quæ hypotheca tunc retrotrahatur ad tempus, quo condita est lex, seu statutum, vel decretum. Respondeo primò quòd si lex, seu statutum, vel decretum dictam hypothecam inducit, hæc est tacita, non expressa, cùm non expressè in ijs fiat mentio hypothecę; At in tacita hypotheca non attenditur tempus contractus, & legis, seu Principium, sed tempus, quo incipit aliquid deberi l. vlt. C. de dote caut. non numer. cum l. Assiduis C. qui potior. in pign. habeant. ex quibus legibus habetur, quòd hypotheca tacita non inducitur à lege nisi quando causatur effectualis obligatio: At cùm effectualis obligatio ad soluenda onera inducitur, iam bona non sunt sub iurisdictione Legislatoris Laici, ergo nec tunc potest per legem antecedentem induci hypotheca.

3 Nec dici potest fictione eiusdem legis retrotrahi hypothecam ad tempus, quo condita est lex, seu factum statutum, vel decretum, quia lex non solet fingere super his, quæ tacitè inducta sunt l. Seruum filij §. vlt. de leg. 1. docetq. Socinus Senior

cons.

conf. 41. n. 25. Cùm vero aliqui Doctores *a* dicunt respici tempus impositionis in dicta hypotheca, & Ecclesiam teneri etiam ad onera extraordinaria, & collectas impositas per statutum super bonis quæ postea in eam transierunt, Intelligendi sunt, cùm sunt ea onera imposita determinatè, & interim dum dies solutionis aduenit, fiunt Ecclesiæ ea bona, quibus sunt ea onera imposita; At quando onera sunt indeterminata, non transeunt ad Ecclesiam, si transeant bona, quæ iussa erant soluere quæcumq; onera, vt supra dictum est. Hæc enim onera dici non possunt ordinaria, quia sint à lege, vel Principis constitutione, aut Senatus consulto indicta, vt aliqui volunt *b* ex l. 1. C. de vacat. publ. mun. Nam requiritur, vt sit onus certum, & non variabile, contineatq. præstationem vniformem, sicq. docent alij multi. *c* Quicquid sit non extat ordinatio, quæ obliget ad onera quæcumq. etiam extraordinaria, bona priuilegiata, vnde cùm eo Senatus decreto, & eo statuto non adimantur priuilegia Doctorum, & aliorum vt patet vsu, & experientia, cur illa Ecclesiæ debent dici auferri? curue illos indemnes conseruari, hanc nequaquam? Quod si factum esset, maxima iniustitia, maximaq; fraus in Ecclesiam esset commissa: quæ tamen longissimè abest à iustissimo Tribunali iustissimisq; ditionis Mediolanensis Senatoribus.

4 Respondeo secundò dato quòd sit hypotheca conditionalis, in nostro casu non retrotrahi ad tempus conditæ legis statuti, vel decreti, cùm conditio aduenit, quia non est conditio casualis, sed Potestatiua. Dicitur conditio casualis ea, quæ non dependet à voluntate contrahentium, vt fiat, hac adueniente retrotrahitur hypotheca ad tempus factæ pro-

a Calde. cõs. 7. de const. Alex. cõs. 36 n. 12. l. 2. apud Thusch. u. onera concl. 146 n. 23. 24. An. cõs. 206.

b Bart. in l. 11. qui ff. de imm. n. 5. & in l. Rescrip. to ff. de muner. & honor. § fin. & cons. 189. Alex. in l. 11. qui cit. Aegid. Thomat. de collect. init. 2. 6. cũ seq. Sal ic. in l. Placet. c. de Sacr. Eccl. n. 3. & in l. Item nulla C. de Episc. & Cler. vbi etiã Bart. Ang. cons 206. Ancha. cõs. 303 Crau. de antiq. tẽp. n. 9. 10. in v't. par. vbi cit. multos, & dicit es se opinionẽ magis communem.

c Guliel. de cun. in l. nemi nẽ C. de Sacr. Eccl. Dinus. in l. voluntariæ Cod. de excus. tut. & in l. Placet c. de Sacr. Eccl.

missionis ex leg. Qui balneum, & alijs paulò ante citatis, vt si Nauis ex Asia venerit, promitto centum aureos, & ob eos bona mea hypothecę subijcio, adueniente naui hypotheca censetur constituta tempore promissionis, & ideo ad illud retrotrahitur.

5 Potestatiua verò conditio est ea, quę dependet à voluntate contrahentium, qua eueniente non retrotrahitur hypotheca ad tempus contractus, sed tunc incipit hypotheca, cùm impletur conditio, verbi gratia, si mutuò à te accipiam centum nummos obligo tibi mea bona: Cùm accipiam eos nummos mutuo, tunc hypotheca incipiet, nec retrotrahetur ad tempus contractus, neq; enim est vllum ius, quod dictam hypothecam retrotrahat, cùm conditio est potestatiua. Cuius rei ratio, seu congruentia ea videtur esse, quia in conditione potestatiua pendet perfectio contractus, seu impletio conditionis à contrahentibus, & ideo non censetur ius quæsitum alteri contrahenti, licet sit conditionale, nisi cùm perfecta voluntas contrahentium adest: At in conditione casuali perfectio contractus non pendet à contrahentibus, ab ijs enim non pendet euentus conditionis, qui ideo censentur quantum in se est, iam expleuisse, & perfecisse, ac ius censetur quæsitum contrahenti, licet conditionale, quare in hoc casu, cùm ea adest hypotheca retrotrahitur ad tempus contractus initi, non autem cùm conditio est potestatiua: Atq. in hoc sensu intelligunt citatas leges Bartolus, & alij. a Cùm ergo conditio, si onera à Rep. vel Principe imponentur sint bona pro ijs hypoteca, sit potestatiua, pendens videlicet à Rep. vel Principe, non retrotrahetur ad tempus factæ legis, seu statuti, vel decreti, sed incipiet, cùm incipiet

obligatio

& ibi Bart. Castrens. n. 5 Iason nn. 4 & 19. vbi dicit esse communem opinionem Bald. n. 5. & in l. Item & in l. de ijs c. de Episc. & Cler. & in l. neminem C. de Sacr. Eccl. Bart. in l. 1. c. de mulier. & in quo loco n. 40. & cons. 180. lib. 1. Ang. cons. 14. Ru. in. cons. 111. Barbat. cons. 1. n. 16. & alij apud Thesc. v. onera con cl. 133.

a Bart. in l. qui Balneum cit. et in l. si is, qui pro tẽpore n. 47. ff. de vsu. vbi etiã Iasõ n. 31 et in l. si filius ff. de verb. oblig. vbi etiã Ang. & Alex. Soc. Sen. cõs. 41. l. 4. n. 1. Negusant. tract. de pignor. in 2. membro quintæ partis. Alciat. resp. 31. n. 4. Bur. cõs. 45 n. 3. l. 1. apud Menoc. cons. 851. n. 37.

obligatio soluendi onera: At cùm hæc incipit, bona iam sunt facta Ecclesiæ, ergo à lege, seu statuto laicorum non possunt hypothecari. Confirmantur prædicta, quia videmus in jis casibus, in quibus à lege est inducta tacita hypotheca, seu oppignoratio, vt in Dote, locatione &c. non retrotrahi ad tempus, quo condita est lex, sed tunc solùm habere vim, cùm inducta est obligatio, soluta scilicet Dos, Domus habitata, & in eam introducta mobilia, vt Mediolani seruatur in praxi tribunalium, in quibus Dos non habet ius aliquod contra anteriores creditores, quibus bona sunt hypothecata, haberet autem si tempus legis respiceretur, quæ cùm sit condita ante multos annos, si ad illud tempus hypotheca retrotraheretur, Mulier haberet anteriorem omnibus hypothecam ratione dotis, sic etiam mobilia in domum introducta ab eo, qui eam conduxit, sunt quidem oppignorata locatori, qui præfertur omnibus, quamdiu in domo sunt, at si extrahantur, creditores anteriores preferuntur in ijs, & si ea sibi vendicent, non tenentur locatori satisfacere, nisi forte pluris estimentur, quàm ipsis debeatur, quod indicat eam hypothecam, si ita est vocanda in rebus mobilibus, seu oppignorationem non retrotrahi ad tempus conditæ legis, seu statuti, sed incepisse cum ipsa obligatione soluendi pensionem domus. Quamuis autem locator habeat super bona mobilia existentia in domo locata potius ius, quàm alij, non est ob tacitam hypothecam, seu oppignorationem à lege concessam, sed ob aliud speciale ius, seu Priuilegium à lege, seu statuto tributum locatori, ratione cuius præfertur etiam anterioribus creditoribus. Si igitur tacita hypoteca in his casibus non retrotrahi-

tur ad tempus conditæ legis, seu statuti, nec in nostro casu retrotrahetur, in quo dicitur esse tacita hypotheca, à lege, seu decreto Senatus inducta.

6 Adde quòd si dicta hypotheca esset per Senatus decretum, seu statutum inducta, non alia de causa id videretur factum, nisi vt priuilegium immunitatis Ecclesiæ non seruaretur, nam esset à laico tribunali decreta, vt haberetur excusatio aliqua compellendi Ecclesiastcos ad solutionem onerum, & si nollent soluere, auferendi propria autoritate, quod ipsi negarent. Quamuis autem verba decreti, & statuti expressè eam immunitatem non auferrent, auferrent re ipsa, & ideo fraus contra Ecclesiam committeretur, hæc enim adest, cùm aliquid fit contra intentionem legis, licet non fiat contra verba ipsius, leg. 29. & 30. ff de leg. Intentio autem Sacrorum Canonum, est, vt facto non lędatur immunitas Ecclesiastica. Idcirco Bartolus licet approbarit, & consilium dederit constituendi dictam hypothecam, & obligationem in bonis, vt ad Ecclesiam translata soluerent nihilominus onera, quia tamen vidit id esse in fraudem Priuilegiorum Ecclesiæ, subdidit, se determinationi ipsius Ecclesię subijcere, & si Ecclesia aliud determinabit, se etiam aliud determinaturum. Quare in fine repetit. Leg. Placet; ait famulis, & Colonis Ecclesiæ non posse imponi collectas, quia fieret fraus legi neganti posse eas imponi Clericis. Et Consil. 186. vult Ecclesiam ad nulla onera teneri. Nec immeritò Baldus in l. Placet, ait statuta constituentia hypothecam, aut similem obligationem in bonis, esse fraudes, & figmenta in præiudicium Ecclesiæ. Neq; in hoc, vt vitentur censurę, & peccatum, valet dictum illud, expressa nocent, non expressa non nocent.

Quia

Quia licet id admittatur non rarò in foro, & actu Ciuili externo, non tamen in foro conſcientiæ, quæ etiam peccato tacito, & exterius palliato fœdatur, in quo paria ſunt directè, vel indirectè attentare quę prohibita ſunt. Imo nec in foro externo ſemper dictum illud admittitur, vt patet ex lege Dum captat ff. Si quis ali. teſt. prohib. & lege Athleta ff. de ijs, qui infam. §. Prætor. Prohibitum enim recta via non cenſetur conceſſum per indirectum cap. 1. de Cler. coniug. cap. cùm quid 84. de reg. iur. in 6. leg. oratio ff. de Sponſal.

7 Quòd ſi nihilominus hypothecam eſſe conſtitutam per ſtatutum & ordinationem Senatus, volumus laicis concedere, erit tantummodo pro oneribus realibus ordinarijs certis impoſitis ſuper bonis, antequam fierent Eccleſiaſtica, ita Abbas apud Thuſcum, [a] quia ea tantùm tenentur ſoluere Eccleſiaſtici. Et ideo fideiuſsor, qui ab Eccleſiaſticis exigi ſolet Mediolani cùm bona de nouo acquirunt Eccleſiaſtici, non erit obligatus, niſi pro oneribus realibus ordinarijs, cùm non ſubeat maiorem obligationem, quàm habeat principalis, vt eſt conſtans ſententia iuriſtarum, cùm ergo Principalis, id eſt Eccleſia, non teneatur niſi ad dicta onera, nec eius fideiuſsor ad plura erit obligatus. Quare ſi cogetur ad ſoluenda alia onera præter dicta, fiet ei grauis iniuſtitia, cogetur enim ad id, ad quod non eſt obligatus, & fiet contra libertatem Eccleſiaſticam ſaltem indirectè. Cùm autem non liceat directè eam lædere, nec licebit indirectè, ne quod vna via prohibetur, per aliam admittatur contra capüt. cùm quid 84. de reg. iur. in 6.

[a] Abb. conſ. 13. l. 1. et cõſ. 53. l. 2. apud Thuſc. citantem alios u. Eccleſia cõcl. 13. n. 2. cum ſeq.

§. V.

§. V. *Ob alias rationes non ſunt comprehenſi Eccleſiaſtici in decreto Senatus.*

1 Nullus preſumendus lædere ius tertij, niſi hic prius moneatur, & audiatur. Decretum Senatus non læditius Eccleſiæ, quæ non eſt citata. Non eſt conceſſum in onerum materia ſtatuere contra aliquem, niſi ex priuilegio. Hoc non habet Senatus.

2 A iure communi ſtatuta recipiunt interpretationem. Decretum Senatus iuxta ius commune eſt intelligendum. Debitum Eccleſię erga communitates non eſt liquidum, & ideo non poteſt contra eam fieri executio.

3 Conſtitutio generaliter loquens non refertur ad ſpecialia, nec derogat priuilegio inſerto in corpore iuris. Decretum Senatus generaliter loquitur, ideo non derogat libertati Eccleſiæ.

4 Bartoli cautela refellitur.

5 Immunitas Eccleſię, eſt beneficium Principum, ſi ab ipſis eſt, non priuilegium, & ideo latè eſt explicandum.

1 Illa etiam mihi perſuadent numquam fuiſſe mentem Excellentiſſimi Senatus grauare Eccleſiam ſuo decreto, eamq. comprehendere. Primò quia non eſt pręſumendus aliquis, iuſtiſſimum præſertim tribunal, velle ius tertij, Eccleſiæ præſertim lædere. Vnde reſcripta ſunt potius interpretanda fruſtra eſſe impetrata, quàm vt indebitè ius tertij lædant; ſi præſertim tertius ille tempore reſcripti, ſeu conceſſionis, nec monitus, nec auditus de iure ſuo fuit, non enim

præſumitur

præsumitur velle alteri nocere, vt alteri prosit, vt aiunt Doctores. *a* Quare cùm Ecclesiastici non fuerint citati, nec moniti, nec auditi, cùm decretum, de quo loquimur, factum est, non est credibile Senatum eis voluisse præiudicare, vt faueret laicis.

Secundò In onerum materia, non est concessum statuere contra aliquem, nisi ex speciali priuilegio, vt est sententia Bartoli, & aliorum, *b* at esse in senatu Mediolanensi huiusmodi priuilegium, contra Ecclesiam præsertim, nemo affirmat, non est ergo credibile Senatum illum voluisse sibi vsurpare, quod de iure non poterat.

2 Tertiò A iure communi interpretationem recipiunt rescripta Principum ex Baldo. *c* Si ergo à Senatu aliquod decretum factum fuit, quod ab aliquibus malè explicatur, interpretationem a iure communi recipere debet, At Ecclesiæ immunitatis priuilegium ab oneribus, est n corpore iuris insertum, etiam respectu bonorum acquirendorum, nedum acquisitorum, ergo decretum Senatus, si verè extat, non erit intelligendum nisi iuxta ius commune, at hoc de extraordinarijs oneribus, Personalibus, & mixtis loquitur, ergo per decretum Senatus non erit ei derogatū, sed iuxta illud intelligendum erit nō loqui de Ecclesiasticis, sed de alijs non subditis suæ ditioni.

Quartò debitum Ecclesiæ erga communitates non est liquidum, cùm se multis rationibus, & exceptionibus tueri possit, Decretum verò Senatus non clarè loquitur de illa, ergo executio non potest à communitatibus fieri contra Ecclesiæ bona. Sicut autem non est clarum instrumentum contra quod fieri possunt exceptiones, testibus Bartolo, & alijs: *d* ita nec clarum

a Bal. in cap. super eo vlt. not. de offic. deleg. Iason. cons. 57. l. 5. Dec. cōs. 57. apud Menoc. cons. 75. n. 64.

b Bart. in l. vn. C. de mul. & in quo loco. Nat. cōs. 447. n. 8. l. 2. Rimn. cons. 111. l. 5. apud Menoch. l. c. n. 89. & seq.

c Bald. in cap. supra eo u. & ideo verba de off. de leg. apud Menoc. l. c. n. 61.

d Bart. in l. si causa cognita n. 2. c. de transact. Alex. cons. 188. n. 7. l. 2. Dec. cōs. 68. n. 5. Crau. cons. 231. n. 8. apud Menoch. vbi s. n. 102.

seu

a Crau. cons. 106. Rimin. iun. cons. 10. fin Ang. cõs. 24. n 1. Decia. cõs. 496. n. 11. Ruin. cons. 117. n. 8 Euer. cõs. 42. n. 54. Alba cons. 8. n. 18. apud Gal. cons. 59. et Trott. ex Gattico.

b Iason. in l. fin. n. 6. c. de inof. test. et l. 1. n. 6. ff. de const. init. Plottius in indice ad l. si quando c. Vnde vi sup. cõ- st. de immun. et iure 12. liber. Lodou. Catt. cons. 740. n. 14. inter cons. Rimin. Sen. Alba cons. 8. n. 22. 23. apud Gall. cõs. 59. n. 82. et seq. et apud Trott. ex Gatt.

c Alex. cons. 210. n. 54. vol. 2. Salic. in auth. Calsa de Sacr. Eccl. n. 4. Martha de iurisd. p. 4. c. 4. ap. Duard 11 bul. cæn. cons. 15. q. 17. n 8.

ſeu liquidum eſt ſoluenda eſſe onera extraordinaria realia, aut mixta ab Eccleſia, cùm fieri poſſint variæ exceptiones, præſertim verò quòd oppoſitum ſit clarum ob deciſiones ſacrorum Canonum, & legum Ciuilium, ac declarationes Senatus eiuſdem, & Magiſtratuum.

3 Quintò Conſtitutio, ſeu decretum Senatus generaliter loquitur, ergo ad Eccleſiam non extenditur. Nam generalis diſpoſitio, non refertur ad ea, quæ ſpecialiter non veniunt leg. obligatione generali ff. de pignor. docentq; Crauetta, & alij. *a* Nec conſtitutio particularis derogat priuilegio inſerto in corpore iuris. cuiuſmodi eſt priuilegium immunitatis Eccleſiæ, niſi de eo expreſsè loquatur, vt docent Iaſon, & alij. *b* Si autem laicorum conſtitutio expreſsè de Eccleſia loqueretur, non ſubſiſteret, cùm laici careant iuriſdictione in eam, vt ſupra pluribus diximus, & pluribus probant Gallia cons. 59. à n. 80. ad 104. & Trottus apud Gatticum, & Doctores in cap. decernimus citatum. Ergo nec valebit ſi generaliter loquens intendat Eccleſiaſtica priuilegia imminuere, & Eccleſiam ligare, non enim careret laicus iuriſdictione in Eccleſiam, & Eccleſiaſticos, ſi poſſet ſtatuta condere contra eorum libertatem, etiamſi eos non nominaret, nam quod in ſpecie non poteſt ſtatui, nec in genere continetur argum. cap. Cùm in generali de reg. iur. in 6. docentque Doctores. *c*

Demum dato quòd decretum Senatus faueret laicis contra Eccleſiaſticos, illud non loquitur niſi de bonis poſt eius publicationem acquirendis, & de acquiſitis, vt puto poſt annum milleſimum ſexcenteſimum. At cur communitates prætextu eius decreti exigunt onera etiam ratione bonorum multo antè

acqui-

acquisitorum ab Ecclesia? Cùm enim verba decreti non conueniant bonis antiquis Ecclesiæ, nec consequenter conuenit dispositio l. 4. §. Toties ff de damno infer. & est trita iuris regula, teste Menochio cons. 75. n. 58. Iniquè ergo agunt communitates vexando bona Ecclesiastica antiqua, cùm dispositio, qua se tuentur, non conueniat illis bonis, nec super ea cadat.

4 Ex quibus colligi potest quòd meritò reprobatur communiter à Doctoribus [a] ea Bartoli cautela in l. Resc. §. sciendum ff. de muner. & honor. & aliorum quorundam, vt Ecclesia sit obligata soluere onera omnia etiam extraordinaria, tum imposita, tum imponenda, faciendum esse dicit, vt Ciues obligent se, & successores suos ad ea soluenda; idq; promittant, vel vt statutum fiat à Principe, vel Rep. vt Perusini fecerunt, ad eadem onera obligans; Sed hoc in fraudem Ecclesiæ esse asserunt citati Doctores, vnde Thesaurus timet de excommunicatione, si in iudicando Bartoli opinionem quis sequatur; adhibetur enim ea cautela in eum finem tantum modo, vt sint obligata bona ad onera si forte ad Ecclesiam peruenerint, & fit ei præiudicium in bonis acquirendis, pro quorum exemptione saltem ab extraordinarijs oneribus habet priuilegium. Quare Baldus ait Bartolum non dicere verum, loqui contra omnes non benè; Iason vero, & Guido Papa vocat eius dictum falsum, & damnatum per omnes; & ita declaratum à Senatu Mediolanensi pro Monialibus Sanctæ Claræ Nouariæ. Testatur Plottus in addit. ad consult. vlt. laud. n. 10. & 13. Pro ratione adducit Baldus, quia tributum non potest considerari, nisi cùm imponitur actu, et cùm sic imponitur, iam bona sunt Ecclesiæ,

[a] Abb. in c. vlt. ad fin. de vita, & honest. Cler. Bald. Auth. Itē nulla C. de Episc. & Cler. Ang. cons. 24. Iasō in repet. l. Placet n. 21. Thesaur. decis. 234 n. 5. Castr. in l. Placet n. 7. Natta cons. 1. n. 7. fin. Ruin. cons. 117. & alij apud Zumal. Galiam cons. 59. nu. 79. Trottum x Gattico, Barbos. de v. n. u. iur. Eccl. c. 3. §. n. 5 n. 55. vbi plures citat.

& ideò non poſſunt grauari. Eam autem obligationem, ſeu promiſſionem ciuium pro ſucceſſoribus, & illud ſtatutum Principis, ſeu Reip. non ſubſiſtit, cùm nullum certum, ac determinatum onus bonis imponitur, & cùm ea bona in priuilegiatam perſonam transferuntur teſte Panormitano, & alijs [a] communiter. Et ex ſupradictis colligi poteſt. Quicquid ſit, In ditione Mediolanenſi non eſt ea ciuium obligatio, & promiſſio; nec ſtatutum Eccleſiam comprehendens, quod toto hoc capite probauimus. Nec Principi, aut Communitati, ſua bona priuati vendiderunt, vt fecerunt Eugubini, vel donarunt, tum ea receperunt cum prædicto onere: Numquam enim hæc ſunt audita in noſtra ditione. Quamuis enim daremus Olibani aſſertionem eſſe veram in tract. de iure fiſci c. 7. n. 31. nempe ab initio omnia bona fuiſſe cōmunitatis, aut Principis, & ideo potuiſse lege ſancire, ne tranſirent ad Eccleſiam, aut non niſi cum obligatione ſoluēdi onera, nō enim id faceret vt Princeps, ſed vt Priuatus dominus, & poſſeſſor eorum bonorum; licet, inquam, daremus id verum eſſe, cùm tamen id non ſit factum in ditione Mediolanenſi, licet potuerit fieri, & bona in ea ſint priuatorum, nō Principis, id circo ea aſſertio Mediolanēſium bonis applicari non poteſt, quorum bona, nec à Principe, nec à Rep. ſunt empta, nec eorum vnquam fuere omnia, nec ab ijs Priuati Ciues ea cum prædicto onere acceperunt, aut nunc cùm alienant, Principis aut Reip. conſenſum accipiunt. Adde quòd olim etiam non probatur bona omnia fuiſſe Principis, aut Reip. immo prius fuit Priuatorum dominium, quàm Publicum; nec probatur à Principe, aut Rep. fuiſse priuatis data cum aliqua conditione. Et ideo ea Olibani

[a] Panorm. in c. Eccleſia S. Mariæ de Conſt. & in c. fin. vbi I. mola de vita & honeſtat. Cler. apud Duard. in bul. cæn. can. 18. q. 6. n. 8. 9. 10.

Olibani doctrina meritò reijcitur. *a*

5 Nec dictis opponi potest priuilegium concernens immunitatem Ecclesiæ esse stricti iuris, vt vult Thesaurus, *b* & ideo esse strictè interpretandum cap. Priuilegia, & Cap. odia de reg. iur. in 6. ac propterea debere explicari de oneribus personalibus, non verò de extraodinarijs realibus. Non, inquam, id opponi potest, quia immunitas, ac libertas Ecclesiastica, non tam est Priuilegium, quàm Beneficium Principis, dato quòd ab eo sit factum, & ideo latè est explicandum, cùm contineat Principis tantummodo præiudicium, de quo cùm agitur latissima interpretatio facienda est l. si quando Cod. de bonis vac. cap. c. lim de verb. signif. cum glossa, & l. fin. ff. de const. Princ. cum Doctoribus, *c* si præsertim pro salute animæ, & pro Dei cultu, ac religione sit concessum, vt docent Dinus, & Oldradus relati à Io. Andrea, cuiusmodi sunt Priuilegia Ecclesiæ concessa. Adde quòd non agimus de re odiosa, agitur enim de fauore Ecclesiæ, quod animæ bonum, & Religionis continet, & ideo latissimè est interpretanda, etiamsi esset Priuilegium, cùm fauores huiusmodi sint ampliandi, etiamsi ex ijs damnum aliquod in alium redundet, primarius enim finis legis decernentis illud Priuilegium, siuè beneficium, est fauor, nec fauor huiusmodi ab alterius damno separari commodè potest, vt est exemptio Ecclesiæ ab oneribus, & damnum inde Principi; aut Reip. resultans, seu etiam Priuatis, cùm Princeps, aut Resp. volunt distribui onera, a quibus est exempta Ecclesia, in alios non exemptos; Quam doctrinam multorum autoritate probat Sanchez de marrimo. l. 1. disp. 1. n. 4.

a Dian. 1. p. tr. 1. resol. 1. & 3. p. tr. 3. resol. 14.

b Thesaur decis. 16.

c Roland. cons. 85. nu. 18. cum seq. l. 4. Caphel. cons. 369. n. 73. cum seq. & alij relati à Io. Andr. in addit. ad specul. de iurisd. omniū iud. v. Pastoralis.

CAPVT XVII.

An ex pacto Ecclesiasticorum cum laicis teneantur illi ad onera extraordinaria.

1 *Argumentum pro laicis.*
2 *In multis non probat id argumentum.*
3 *Cùm apponitur pactum Ecclesiasticis à laico contrahente, vt hic seruetur indemnis, quomodo obliget.*
4 *Per id pactum non obligantur Ecclesiastici soluere onera.*
5 *In quibus peccet argumentum pro laicis numero primo adductum.*

1 

Vt supra capite secundò allatum argumentum, nempe in contractibus emptionis, Permutationis, & alijs huiusmodi, quos Ecclesia cum laicis facit, poni pactum, vt laicus vendens, Permutans &c. non teneatur ad onera pro ijs bonis alienatis, & vt Ecclesia eum seruet indemnem. Quare se obligat loco laici ad omnia onera, ad quæ tenebatur laicus, atq; adeo ad extraordinaria etiam mixta, ergo ex pacto ad hæc tenetur Ecclesiasticus.

2 Verùm si quid probat argumentum, probat tantummodo obligationem Ecclesiastici, cùm contraxit cùm laico contractu Emptionis, Permutationis, aut simili

simili. Cæterùm nihil probat cùm bona Ecclesiæ absolutè relinquuntur donatione inter viuos, vel causa mortis, testamento, legato, vel ad extinguendum ęs alienum à laico contractum, in quibus casibus sarta, tectaq; Ecclesię immunitas remanebit.

3 Secundò si quid probat argumentum, tantummodo probat teneri Ecclesiasticos ad onera dicta cùm apponitur in contractu pactum prædictum: at hoc non semper apponitur. Ergo cùm non erit appositum, Ecclesia sua gaudebit immunitate.

Tertiò etiam si illud pactum apponatur, non plus obligat, quàm si non esset appositum, quia ex natura rei inest obligatio seruandi indemnem venditorem aut permutantem bona &c. non enim est æquum vt ille sentiat onus, qui non fruitur commodo rei alienę. Sicut ergo cùm non apponitur illud pactum, nihilominus tenetur emptor venditorem indemnem seruare, ita & cùm apponitur, quare nihil amplius operatur appositio eius pacti, quàm si non apponeretur.

Quartò Quamuis tale pactum apponatur, non obligat, quia non potest Ecclesiasticus cedere iuri immunitatis Ecclesiasticę.

4 Quintò si promittit Ecclesiasticus indemnem seruare laicum venditorem, aut Permutantem &c. non promittit se soluturum onera omnia realia, neq; ad id se obligat, sed cùm sciat se iure communi esse exemptum ab obligatione soluendorum onerum, & supponat secum & cum Ecclesia iustè acturos Principem, & Magistratus, nec exacturos onera à non possidentibus bona in se translata, si fortè accidat, vt molestentur, promittit se curaturum, vt ea molestia cesset, probādo ea bona, ob quę laicus vexatur facta esse Ecclesiastica. Et hoc solùm promittit cùm promittit dictam indemnita-

demnitatem; nec in ea promissione se obligat ad iniustam aliquam solutionem, si laicus iniustè vexabitur. Atq; ita esse eo argumento suadetur, quòd non minori pretio alienantur ea bona, quàm si tale pactum non adesset, cùm tamen si Ecclesiasticus subiret obligationem soluendi omnia onera, hæc esset compensanda imminutione pretij, aut alia re æquiualenti ei diminutioni.

Sextò Etiamsi se validè obligaret Ecclesiasticus ad onera omnia soluenda, non ideo si pactum non seruaret, posset ad hoc seruandum compelli à Magistratu laico, quia hic non est ipsius iudex, sed à iudice Ecclesiastico compellendus esset, vt supra diximus.

5 Quare allatum argumentum in pluribus peccat. Primò quòd supponit Ecclesiasticum posse valide cedere immunitati Ecclesiasticæ. Secundò quòd à particulari contractu Emptionis, & permutationis, ac similium concludit de omnibus, etiam gratuita donatione, & onerosa, quę scilicet fit cum pacto vt Ecclesiasticus aliqua munia obeat, præsertim spiritualia, vt est Missæ celebratio, Assistentia in Choro, Ministratio Sacramentorum &c. Tertiò quòd in omnibus contractibus vult apponi pactum obligationis ad onera soluenda, cùm non ita sit, sed in aliquibus apponitur pactum seruandi indemnem laicum, & vt hic sit deobligatus ab onerum solutione, quæ bonis in Ecclesiam translatis erant imposita. Cessat autem eius obligatio statim atq; ipsius bona sunt facta Ecclesiastica, si iustitiam cum Ecclesia seruari velint laici, & indemnem eum seruat Ecclesia ostendens esse sua bona illa, propter quæ laicus molestatur, si enim post huiusmodi probationem ad

huc.

huc molestetur ille, grauis iniustitia committitur à Communitate, & Principe, cùm ob bona non sua molestetur; cùmq; Ecclesia non sit causa eius iustitiæ non soluendo onera, ad quæ non tenetur, nec est obligata resarcire damnum proueniens ex ea iniustitia ei, qui secum contraxit, satis est Ecclesiasticum probare ea bona esse sua, atq; ideo immunia, quo viso si Resp. molestat alium, non est Ecclesiastico imputandum.



CAPVT

CAPVT XVIII.

An si Ecclesiastici non contribuant hoc belli tempore, Ingrati erga Remp. vocari possint, dicendiq; sint laicos lædere.


§. 1. Quandonam ingrati erga Remp. sint dicendi Ecclesiastici.

1 *Ecclesiastici agnoscunt beneficia in se Principum, & Reip.*

2 *Non sunt ingrati cùm nolunt soluere onera alijs imposita, quia iustissimè faciunt, quia non possunt satisfacere suis obligationibus, & quia ad victum necessaria desunt.*

3 *Secundò quia alias obligationes subeunt pro laicis, & quia onera non exiguntur, vt sacri canones prescribunt.*

4 *Iniustè non agunt Ecclesiastici onera non soluentes: laici iniustè agunt eos vexantes ob eam causam, & tenentur aa restitutionem.*



AD probandam Ecclesiasticorum obligationem ad onera soluenda diximus Cap. XI. adduci à laicis grati animi significationem exigere, vt Ecclesiastici contribuant. Nec abnuimus esse paratos Ecclesiasticos ita facere, modò necessaria ob id non

non demantur ipsis, & modo sacrorum canonum decreta seruentur. Quia tamen ad huc vrgent aliqui non vitari ingrati animi notam ab Ecclesiasticis, si non soluant onera, quia queruntur hæc ab ipsis ob beneficia in eos à Principe, vel Rep. collata: Et quia sentientes commodum defensionis, sentire etiam debent incommodum solutionis onerum. Ideo hoc de nouo examinandum duximus, ne tanta nota Ecclesiasticorum moribus, & famę inuratur.

1 Ingrati equidem essent Ecclesiastici si beneficia in se Principum, & reip. non agnoscerent: Agnoscunt ergo, & prædicant, semperq; prædicabunt, ijsq; correspondere pro viribus optant, & gratias quàm maximas agunt. Et si poterunt, accedatq; superiorum Ecclesiasticorum consensus, & vera necessitas reip. adsit ab Episcopo, & Clero comprobata, subsidium Reip. non negabunt. Non ne hoc satis est, vt ingrati animi nota euitetur? Nisi forte noua Ecclesiasticis conditio imponatur, ne sint ingrati, vt sibi necessaria, reip. elargiantur, ipsiq; mendicent, aut aliquo artificio, vel industria victum quęrant: quæ conditio iniqua est, cùm nec grati animi leges eam exigant, nec laicis imponatur, quos tamen non minoribus, aut paucioribus beneficijs afficit Princeps, aut Resp. quàm Ecclesiasticos.

2 Addo etiam Ecclesiasticos immeritò vocari ingratos, quamuis onera alijs imposita subire nolint, id enim iustissimis de causis recusant, Primò quia non possunt, dum enim ea subeunt coacti, coguntur quàm plurimi, Religiosi præsertim, ac Moniales, multaq; pia loca obligationibus suis missarum, alendorum, & curandorum pauperum, eleemosynarum, & aliarum huiusmodi rerum non satisfacere.

Secundò quia ad victum, & vestitum suo statui, ac dignitati conuenientem necessaria deesse oportet.

3 Tertiò quia alia onera, & obligationes subeunt erga laicos, cuiusmodi sunt pro ipsis orare, sacrificare, sacramenta ijs ministrare, pro quibus non est magnum temporalia à laicis suppeditari iuxta illud D. Pauli 1. Cor 9. 11. si nos vobis Spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Caueant laici, ne ex D. Pauli sententia ipsi ingrati meritò sint appellandi, cùm spiritualia ab Ecclesiasticis recipiant, & non modo terrena non suppeditent, sed & vi auferant ab ipsis quæ ad alimenta sunt necessaria. Meminerint oportet laici bona Ecclesiasticis data esse alimentorum, & decimarum loco, atq; ideo sicuti si darentur nunc alimenta, & decimę, eæ ab omni onere exemptæ darentur, sic & exempta esse debere ea, quæ alimentorum, & decimarum loco sunt substituta; etenim subrogatum induit conditiones illius rei cuius loco subrogatur seu sapit eius naturam l. si eum §. qui iniuriarum ff si quis cautio. & §. fuerant Inst. de act. Nec vlla ęquitas suadet, vt de alimentis conuenientibus aliquid detrahatur: & si quid fortè ex ijs superest, memoria repetant laici pauperum sustentationi esse destinatum, cui non seruire magnum est reip. damnum, necesse autē erit eam sustentationem deserere, si compellentur Ecclesiastici onera soluere, quę bonis laicorum fuere imposita. Vltimò quia prædicta onera nō imponuntur, nec exiguntur eo modo, & forma, quam sacri Canones præscribunt.

4 Cùm ergo iustissimas habeant Ecclesiastici causas denegandi subsidia, quæ optant laici, iniustissimè hi cos ingratos vocant. Dum tamen ingrati animi vitio notantur Ecclesiastici, certè ab omni iniustitia

stitia

stitia liberantur, dum non iniusti, sed ingrati appellantur, quod enim ob grati animi significationem debetur, non est ex iustitia commutatiua debitum, siq; petatur tamquam ex ea virtute debitum, tum demum iniustè agent resp. Princeps, alijq; omnes, cùm collatio beneficiorum non imponat obligationem ex iustitia commutatiua ad ea compensanda, nec dat benefactori ius aliquod illius iustitię, vt sibi vendicare possit bona eius, cui benefecit. Quare æquum quidem est benefactori subuenire, at si non fiat, non potest ille quasi debitum ex iustitia velle subuentionem, imo eam si vi exigat, aut si clam auferat, quod prætendit in beneficij compensationem, tenebitur da restitutionem. Quare iniusti nunquam vocari poterunt Ecclesiastici si nolint in necessitate reip. contribuere, cùm nulla iustitiæ commutatiuæ obligatione erga eam teneantur; nec etiam distributiuæ, cùm huius munera consistant in bonorum communium distributione, de qua hic non agitur. Quare si peccant hac in re Ecclesiastici, contra iustitiam legalem peccant tantummodo, ob quam quisq; tenetur procurare bonum commune, quando opus est, vt pars bonum totius, cùm præsertim in periculo versatur communitas. Nec peccans contra hanc virtutem ad restitutionem aliquam tenetur, nisi ille sit, ad quem ex officio spectet boni communis conseruatio, *a* ideoq; ius non habet Princeps, aut Resp. auferendi vi ob eam transgressionem ea, quæ transgressor non dedit, nisi iudicis personam induat, velitq; eam transgressionem punire, quam personam laici respectu Ecclesiasticorum induere non possunt, vt ex pluribus legibus, tum Canonicis, tum ciuilibus apertè constat.

a Less. de iust. l. 2. c. 1. d. 3. n. 11. 12. ex D. Thom. 2. 2. q. 58. à 5. 6. 7.

Oo 2 §. II.

§. *II. Compulsio Ecclesiasticorum non est ob defensionem laicorum.*

1 Ecclesiastici laicos non lędunt.
2 Defensio quandonam licita sit. Vis actualis ab Ecclesiasticis non infertur laicis.
3 Laici contra Ecclesiasticos non se tuentur cum moderamine inculpatę tutelæ. Et iniquè agunt eos molestantes, cùm pręsertim cum alijs priuilegiatis non ita se gerant, nec cum potentibus viris onera non soluentibus.
4 Opiniones variæ circa eum, ad quem spectet damnum tolerare, cùm sit alteri priuilegium ab oneribus.
5 Defenduntur bona Ecclesiasticorum tantum modo indirecte tempore belli. Successerunt bona loco decimarum, & alimentorum. Non subit maiores labores, aut sumptus Princeps, quia defendat Ecclesiam cum laicis, quam si solos laicos defenderet. Ob defensionem Ecclesiæ multa Principibus concessit Papa.

1 Nec illud effugium quo se laici tuentur, quicquam ijs fauet, Nempe compelli Ecclesiasticos ad onerum solutionem, non in penam alicuius transgressionis, & in vindictam, sed in sui defensionem, & damnorum passorum restaurationem.

Nam densensio tunc est, cùm damnum iniustè imminet, illudq; arcetur, non autem cùm damnum iam euenit. In nostro autem casu si Ecclesiastici onera non soluunt, & ob id laici paulo amplius grauati sunt, iam damnum passi sunt, non ergo se tuentur, contra Eccle-

siasticos

siasticos; Et si se tuentur quanam in re eos Ecclesiastici vexant, quod ve damnum iniustè inferunt, ob quod armatorum militum, satellitum, & exactorum vi vti debeant laici contra ipsos Ecclesiasticos? Non arma contra eos, capiunt Ecclesiastici, non milites conscribunt, non bona eorum furantur, non vi rapiunt, & spoliant, non cum hostibus conueniunt, vt eos lædant, aut quę illorum sunt extorqueant? Equidem nihil horum à Monialibus, nihil a Religiosis, nihil à sacerdotibus, alijsq; clericis, nihil à xenodochijs, nihil ab alijs pijs locis fieri conspicimus; Quanam ergo in re vobis Ecclesiastici obsunt, ò laici, quid ue causæ habetis, vt in eos insurgatis, & quasi vos lędant, illorum bona grauando, eorumq; reditus auferendo, defensionem vestram prętendatis? Video quem imitentur, Iniquissimum Regem Nabuchodonosor, qui cùm ad populos suo regno non subiectos misisset nūtios, vt sibi subderentur, multiq; sua libertate cadere recusassent, indignatus ille, Iurauit quod defenderet se de omnibus Regionibus his. Et factū est verbū in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, vt defenderet se. a Hæc sunt scripturę Diuinę verba. En quàm pręclarum sequantur autorem Catholicæ quædam communitates. Non lędebant populi illi Regem, aut eius Regnum, ei tributa, & subiectionem, quam ex iustitia non debebant, denegabant, ille tamen se iniustè læsum vociferatur, & eorum bona, ciuitates, regiones, ac prouincias vastat, quasi insilirent illi in ipsum, & se defendere cogeretur. Non ne quid simile nunc licet animaduertere? Nisi quòd in nostro casu Princeps contra Ecclesiasticos non armatur, sed quædam communitates. Nulla in re Religiosi, alijq; Ecclesiastici laicos lædunt, non vexant, non eorum bona.

a Iudith. 1. u. 12. & c. 2. u. 1.

bona inuadunt, non remp. perturbant, nec in eam in-iustitiam aliquam committunt, sua tantummodo libertate, & priuilegijs vti volunt, non tributa soluere, non onera portare, ad quæ non tenentur ex iustitia, non contribuere sine summi Pontificis consensu, juxta sacrorum Canonum decreta. Quid hic laici? Fit verbum in eorum domo, consilijs, ac tribunalibus, vt se defendant contra Ecclesiasticos; minantur idcirco, rapiunt vi eorum bona, compellunt ad solutiones, ad quas nulla obligat iustitia. Hoc est se tueri, an potius iniquè insilire in alium, & lædere?

2 Certè vt defensio sit licita, & vis vi licitè repellatur duo debent concurrere ex communi Theologorum sententia. Primum est vt actualis vis ab alio clare, & manifestè inferatur: Secundum, vt ea repellatur cum moderamine inculpatę tutelæ. In nostro casu nulla vis actualis clarè, & apertè ab Ecclesiasticis infertur, & iustam habent causam negandi solutionem onerum, cùm à suo Iudice non iubeantur id facere, nec Episcopus, & Clerus iudicarint adesse necessitatem, ad quam non sufficiant laicorum facultates. Quare non esset satis laicos duci probabili opinione, quod necessitas prędicta adesset, cui tenerentur Ecclesiastici subuenire, neq; enim id certò, & euidenter scirent, cùm contraria Ecclesiasticorum opinio optimis nitatur argumentis, & fortè euidentibus, & ideo non possunt laici asserere, vim aliquam inferri ab Ecclesiasticis certam, & euidentem, cùm ea dubia omnino sit; Non ergo laici vim euidentem facere possunt, nec se propria autoritate tueri, viribus, & potentia, sed ad superiores Ecclesiasticos recurrere debent.

3 Secundum etiam deest in hac laicorum defensio-

sio.

sione, neq; enim est cum moderamine inculpatę tutelæ; cùm vi auferantur bona ab Ecclesiasticis sine euidentia quòd iniustè hi negent solutionem onerum, & cùm Summus Pontifex sine incommodo adiri possit. Quare defensio non est inculpata, sed peccaminosa, nam modus debitus non seruatur. Quod magis confirmatur, quia sæpe vtuntur laici Iurisdictione contra Ecclesiastica bona, nec adest vsus tantummodo facti; Laici enim conqueruntur apud Magistratus, vel Iudices laicos, si querelas audiunt, & examinant, tum ferunt sententiam, & statuunt Ecclesiasticos debere onera subire, ad eaq. exigenda concedunt Milites, Satellites, executores, qui bona Ecclesiasticorum diripiant, vel saltem colonos eorum vexent. Quid autem est hoc aliud, quàm exercere iurisdictionem cùm feratur sententia cum autoritate? Non se igitur tuentur laici cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed per actionem illicitam, per sententiam videlicet, & executionem eius sine forma iudiciali; atq; adeo per vsurpatam iurisdictionem. Quem modum defensionis non admitteret Magistratus Laicus, si quis ad Ecclesiasticum tribunal confugeret conquerens de negata solutione ab aliquo laico, Iudexq; Ecclesiasticus concederet, vt à putato debitore auferret quod pętendit, atq; ad id exequendum auxilia subministraret; Dicet enim, & quidem meritò, non esse eam defensionem, sed vsurpatam iurisdictionem: lædimur, inquiunt laici, ab Ecclesiasticis, quia si ipsi onera non soluant, cogemur nos aliquid amplius Principi, ac Reip. contribuere. Audio. At idcirco ne Ecclesiastici male tractandi? Iniquissimè profectò agitis. Non enim id culpa Ecclesiasticorum accidit, qui iustè se exemptos esse contendunt ab o-

neri

neribus ſoluendis, ſuaq; priuilegia pro viribus tuentur: Idem præſtant laici Doctores, Cauſidici, Tabelliones, ius duodecim liberorum habentes, & alij priuilegiati, quamuis cæteri ob huiuſmodi priuilegia magis grauentur à Principe, vel Rep. neq; ideo contra ipſos inſurgunt alij laici, & quidem meritò, neq. enim ipſorum culpa maius illud grauamen ſubeunt, & æquiſſimum eſt vnumquemq; priuilegiatum ſuo frui priuilegio, eum præſertim, qui reip. communiq. bono inſeruit. Si ergo ex prędictorum bonis non compenſantur damna, quæ non priuilegiati patiuntur ob priuilegiatorum à Principis laici iuriſdictione nō exemptorum priuilegia, cur compenſari debent ex Eccleſiaſticorum bonis, qui nullum damnum iniuſtè laicis inferunt, nec eius illis ſunt cauſa iniuſta, & à Principis Laici iuriſdictione ſunt exempti? Quid ſi eos magis grauet Princeps, aut Reſp. quia Heluetij, aut Veneti, aut Genuenſes, vel alij Principes, etiam rogati, ſuppetias non ferunt, idcirco ne eorum bona rapere licebit? Nequaquam, vt puto. At cur contra ipſos non ſe laici ſubditi defendunt? Si enim ſubuenirent, ſumptusq; Principi ſuppeditarent, non tantopere grauarentur tributis. Certè id non agunt, quia iniquè agerent, non enim illi iniuſtè denegant ſubſidia, ad quę ex iuſtitia non tenentur, licet fortè aliquis ex gratitudine teneatur ob multa à Principe ſubſidium petente accepta beneficia. At nec Eccleſiaſtici ex iuſtitia tenentur ſua Reip. ſubminiſtrare, cur ergo contra hos defenſionem ſuam ſuſcipere profitentur laici, non contra illos? Vtriq. nolunt, quibus indiget Reſp; ſubminiſtrare, vtrique prętenſa ſubſidia negant, vtriq; dum negant, nullam committunt iniuſtitiam, vtriq; non lædunt quemquam, ſed
ſua

Ita conseruant; Cur ergo Ecclesiasticis adeo indignantur laici, à quibus multa beneficia accipiunt, & ab ijs se lęsos prædicant? Si sua priuilegia tuentes non lædunt laici multi priuilegiati, qui tamen à solo Principe laico sunt exempti, nec lædent Ecclesiastici, idem facientes, qui & à laico Principe, & à summo Pont. ex Christi Domini concessione priuilegia eadem sunt sortiti. Inuidia hæc est in Ecclesiasticos vel odium, non iusta defensio. Princeps subditos grauat, hi autem in Ecclesiasticos insurgunt; quę horum culpa est? Ad Principem ipsum vos subditi confugite, rogate illum, vt cùm sint Ecclesiæ, & Monasteriorum bona iam multis ab hinc seculis per laicos Principes, & per Summum Pontificem ab oneribus exempta, non hęc onera permittat in vestrum vnumquemq. distribui. Addat Legatus vester, Principes, & Imperatores in Ecclesiæ priuilegia sponte consensisse, Priuilegia autem non fieri in pręiudicium alterius, atq ideo non esse ęquum, vt facta Ecclesię priuilegia in subditorum damnum conuertantur; cōuerterentur autem, si onera, à quibus eius bona sunt exempta, subditorum bonis adderentur. Meminerit eius beneficentia non ęquum reputari si forte vnus miles vnicuiq. familiæ in Principatu indiceretur, vnam familiam ad duos compelli, quia aliquæ familiæ Ecclesiasticę in rep. sint, parem esse rationem, & ęquitatem etiam bonorum, & ideo ęquum non esse vt bonis laicorum addantur onera, quia illa Ecclesiasticorum sunt exempta. Hęc, & similia afferat legatus vester, eam esse puto Principis benignitatem, vt rei iustitiam animaduertens, sit suis Ministris impositurus, ne à suis subditis exigant, quę à Clericorum bonis, si laicorum essent, exigerentur. Quòd si nec sub iti

hanc legationem ſuſcepere, aut verentur ne fruſtra ſuſcipiatur, vel etiam fruſtra aliquando ſuſceperunt, nullam hinc culpam Eccleſiaſtici contraxerunt, vt ideo ab illis ſint vexandi. Non audeo aſſerere Principem iniuſtè agere, ſi ſubditos plus grauari iubet, aut permittit, quàm alioqui grauarentur, ſi Eccleſiaſticorum nulla eſſet exemptio. Illud conſtanter aſſero, iniquè Eccleſiaſticos moleſtia affici, ab eiſq. onera exigi, quia Princeps vult à ſubditis, quod ab horum bonis dandum eſſet, niſi eſsent exempta. Non enim, ſi ego à Petro damnum aliquod patior, poſſum in Paulum inſurgere, vt damnum illud vitem, eiuſq. bona auferre, quamuis fortè ſi donaret aliquid Petro, meum damnum impediret. Pari modo ſi Princeps ſubditos grauat, iniuria agunt, ſi Eccleſiaſticos vexant, quia ſi hi ſpontè darent Principi, hic ab illis tantum tributi, quantum exigit, non eſſet exacturus: Non id illi ſuadent Eccleſiaſtici, non malis artibus ad id eum inducunt, ſua iura tantummodo tuentur, vt multi alij priuilegiati, nemo idcirco meritò de ijs conqueri poteſt, & multò minus eorum bona grauare, vt damnum laicorum impediatur, cùm eius ipſi non ſint cauſa, ſed Principis voluntas cum indigentia coniuncta. Præterea quot ſunt inter ipſos laicos, qui ſua potentia, & autoritate ſe ab oneribus ſoluendis eximunt? iniuſtè quidem, eximunt ſe tamen, & alij eorum onera idcirco ſoluunt, magiſq. grauantur, quàm alioqui grauarentur: Nec tamen contra horum quemquam hiſcere quis audet, vel Communitas, vel Magiſtratus, contra quos, ſi ageretur, vt cum omni iuſtitia agi poteſt, non parum ſubſidij laici, Communitateſq. eorum perciperent. Cur non cum his, ò laici, vt cum Eccleſiaſticis contenditis? Cur

non

non milites, cur non exactores immittitis? Cur siletis? Cur ad Iudices, cur ad Magistratus, cur ad Senatum, cur ad Gubernatorem, cur ad Principem ipsum, si apud alios nihil obtinetis, non acceditis, iustitiamq; exposcitis? Quid plura? Cur si Iudices, & alij superiores ius dicere contra illos incipiunt, vos seceditis, & quicquam scire de potentium illorum iustitia dissimulatis, & fortè etiam contraria in iudicio deponitis? Verentur, optimè noui, eorum potentiam, & autoritatem. At cur etiam Ecclesiæ ipsius, & Dei Opt. Max. cuius causa agitur, non verentur potentiam, & autoritatem longè maiorem? Sed hanc nihili, illam magnifaciunt, & Ecclesiastica iura conuellere sine vllo conscientiæ scrupulo non dubitant, Ecclesiasticis autem indignantur, si ea tuentur, arma contra eos sumunt, vimq. parant, donec quod volunt extorqueant. Iniustè agere Ecclesiam, si sua iura iustissimè tuetur, seq; iure defensionis contra eam insurgere prædicant; contra eos, qui nullum ius habent exemptionis, & se eximunt, nihil tentant, satisq; sibi consultum putant, si iure exemptam Ecclesiam grauent, & contra eam cum omni iniustitia se defendant, eius scilicet bona auferant, eamq; & eius Ministros in angustias redigant. An hæc rationi sint consentanea iudicet Lector. Ego quidem ea iniquissima arbitror.

4 Iure ne, an iniuria onera in laicos distribuantur, à quibus Ecclesiastici eximuntur, non est huius loci disputare. Nec satis videtur, constare, cùm Doctorum diuersæ sint sententiæ, etenim Natta [a] putat alienantis bona debere esse damnum, cui Senatus Mediolanensis fauisse videtur in ordinatione contra quemdam, qui Minoiæ fecerat venditionem. The-

[a] Nat. cons. 280. & 315.

saurus verò, & Alba *a* putant debere esse damnum aliorum non exemptorum in ea communitate, in qua sunt bona, quę in priuilegiatum transferuntur. Atq; ita videtur decidisse Magistratus Mediolanensis teste Zumallio. *b* At Speculator, & Ioannes Andręas *c* hoc damnum sentire Principis esse dicunt, nam ipse, si non fecit illud priuilegium, consensit saltem in ipsum, & quamuis non consensisset, nihil referret, quia Dei autoritate Ecclesia illud dedit, & à Principe Ecclesiasticos eorumq: bona excemit. Quare in pręiudicium Principis videtur factum, non autem populorum, vt etiam accidit in priuilegijs personalibus, si enim iubeatur vnusquisq; Paterfamilias militem subministrare reip. erunt exempti Ecclesiastici, nec ideo populus tenebitur pro illis militem dare, sed Princeps minorem numerum militum habebit. Hæc innuisse sufficiat, id enim decidere nostri non est instituti.

a Thes. decis. 234. n. 3. Albac ons. 8.

b Zumal. apud Gam.

c Spec. p. 4. de cens. & ex ct. n. 9. Io. Andr. in c. Peruenit de immun. apud Episcopum à Ba' lic. Petri in c. conuenioi fin.

5 Ad id quod initio dictum est Ecclesiasticos sentire commodum defensionis suorum bonorum, & ideo debere sentire etiam incommodum solutionis onerum, supra respondimus, negamusq; consequentiam, quia non est defensio directa bonorum Ecclesiasticorum, sed indirecta, nam directa defensio est Arcium, non camporum, & præterea Ecclesiastici alterius generis incommoda tolerant, onera scilicet ferunt spiritualia pro Principe, Rep. & Populo, vt dicitur cap. Ad vestra de cohabit. Cleric. & Mulier; docentq; Doctores. *d* Non est idcirco æquum, vt alio onere pro eadem re grauentur leg. Titia §. Qui inuita de leg. 2. & probant Natta, & Crauetta. *e* Addendumq; quòd bona Ecclesiastica loco decimarum successerunt, & pro alimentis Ecclesiasticorum, & pauperum data sunt, & ideo

d Anchar. cons. 61. Bo'. tit. de pæn. 43. Plot. in l. si quando nu. 855.

e Nat. cons. 160. l. 1. n. 54. Crau t. con. 15. n. 86 ex M noch. cōs. 75. n. 9.

& ideo oneribus subiacere non debent, vt supra diximus.

Et præterea etiam pacis tempore sentiunt commodum rectæ gubernationis, & defensionis ab iniustitijs iniquorũ, nec tamen pro gubernatione seu defensione quicquam temporalis tributi Principi laico debetur ab Ecclesiasticis, quia stipendia à laicis recipit, nec maiorem laborem subit ex defensione Ecclesię, quàm laicorum tantùm, aut si maiorem tolerat, eius non habetur ratio, cùm idcirco maiores sumptus non faciat. Cùm autem tempore belli idem accidat, nec maiores sumptus, aut labores tolerentur pro rerum Ecclesiasticarum defensione, quàm pro illis laicorum tantùm, cur ad hos sumptus Ecclesia concurrere debet? Gubernationem autem redundare in commodum gubernantis, ostendit Suar. l. 4. contra Reg. Angl. c. 24. n. 8. & pro defensione, quàm suscipiunt Principes pro Ecclesia, multa esse ipsis Principibus concessa à summo Pontifice certissimum est. Adde quod supra innuimus cap. 9. §. 6. bellum esse inter Christianos Principes, qui Ecclesiæ sunt defensores, quare penes quemcumq; sit victoria, eius bona non rapiet, sed intacta ipsi Ecclesiæ relinquet.

C A-

CAPVT XIX.

An nisi Ecclesiastici onera Soluant, periculum aliquod immineat, ne nimis grauentur laici, & ad inopiam redigantur.

1 *Non est timendum, ne Ecclesiasticorum fiant pleraq; bona, quæ nunc sunt laicorum, cùm seculis præteritis plura fuerint Ecclesiæ bona, quàm nunc sint.*
2 *Aliqui leges condiderunt contra donantes Ecclesiæ.*
3 *Timuerunt olim aliqui parum pij ne omnes cælibem, ac religiosam uitam amplecterentur, quibus D. Ambrosius satisfecit.*
4 *Argumentum contra prædictum timorem laicorum.*
5 *Ob eum timorem Ecclesia non debet cedere suis priuilegijs.*

1 Liud iam superest argumentum, quo nituntur laici probare soluenda esse onera ab Ecclesiasticis, quia si ea non soluant, breui omnia immobilia sunt futura Ecclesiæ, aut saltem pleraq; & ideo laici nimis grauabuntur, si Ecclesia ab oneribus exempta relinquatur: Videmus enim quam plurimos sua ei largiri, quare breui eo laici deuenient, vt non habeant vnde Remp. sustentent, & id circo corruat hæc necesse est. A quonam hanc diuinandi lucem hause-

runt

runt ista dicentes? Verè illud Dauidis vsurpare possumus. Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. *a* Cur omnia futura Ecclesiæ enuntiant, & trepidant? Supra millesimum sexcentesimum, & quadragesimum annum agit Ecclesia, nec omnium immobilium bonorum factà est domina, non est quòd timeant laici breui in posterum omnia futura ipsius. Timorem hunc pellant: Plura seculis præteritis fuerunt Ecclesiæ bona, quàm nunc sint; multa enim quę ipsa habebat facta sunt laicorum, quocumque casu id acciderit, siue venditione, siue permutatione, siue authenticarum scripturarum amissione, siue aliquorum potentium violentia, qui illa iniustè vsurparunt, quibus Ecclesiastici contradicere aut non potuerunt, aut non sunt ausi, siuè bellorum, terræque sterilitatis causa, siuè alia quacumq; Quare Carolus à Basilica Petri Nouariensis *b* Episcopus testatur ex libro in quo descripta sunt bona beneficiorum suę diœcesis ante trecentos annos haberi bona Ecclesiarum suę diœcesis, non esse aucta, sed imminuta. Idem putat, & ego cum ipso, in alijs diœcesibus euenisse. Quod olim factum est, fiet etiam futuro tempore, ait enim Spiritus Sanctus. Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est; quod factum est? Ipsum quod faciendum est? *c* Ad Dei prouidentiam spectat tum laicos, tum Ecclesiasticos alere, numquam ille permittet; vt omnia Ecclesiæ fiant: Numini Optimo, ac Sapientissimo, prouidentissimoq; irrogat iniuriam, qui ei diffidit; Scit illa infinita bonitas quid laicis opus sit, Quid Ecclesiasticis Fidant laici, non minorem illa gerit laicorum curam, quàm Ecclesiasticorum.

a Ps. 13.5.

b Car. à Basil. Petri in C. conuenior.

c Eccl. 1. 9

2 Hoc olim timore perterriti aliqui Imperatores

legibus

legibus conati sunt Christianorum liberalitatem in Ecclesiam cohibere teste Spondano anno Christi 57. n. 24. eorum vestigia nunc sequi tentant aliqui, sed cùm inanem fuisse eum timorem docuerit experientia, inanem etiam esse præsentem laicorum timorem credendum est.

3 Huic similis olim timor, seu querela fuit contrà religiosam vitam, & Virginitatem, dicebant enim homines parum pij finiturum breui mundum, cùm sequuturi essent viri, fæminæq. eum viuendi modum, in quo magna bona reperiri prædicabant sancti. Cui D. Ambrosius respondit dicendo melius esse ad finem mundum peruenire per virtutem, quàm per vitium. Eodem modo respondere nos possumus laicorum supradictæ querelæ, melius videlicet esse Remp. euerti per Pietatem, Religionem, ac Virtutem, quàm per vitium: Nam vere melius esset Remp. cadere, si tamen casura esset, & non potius hinc magis conseruanda, ob bona ad Dei cultum, eiusq; Ministrorum, ac Pauperum sustentationem in Ecclesiam translata, quàm ob eorum, quæ nunc habet eadem Ecclesia, & in posterum acquiret, rapinam, & onera contra iustitiam imposita.

4 Preterea si omnia bona fient Ecclesiastica, vel omnes Christiani Ecclesiasticum statum assumenr, vel non omnes; Si omnes nulli erunt laici, quorum bona grauentur ob sustentationem Reip. & bonorum Ecclesiasticorum omnes in rep. erunt participes, Princepsq; ipse erit Ecclesiasticus, atq; adeo, cùm opus erit, grauare poterit ea bona, eaq; grauando non mittet falcem in messem alienam: Si non omnes fient Ecclesiastici, omniaq; bona immobilia, aut eorum maior pars in Ecclesiam transferantur, tenebitur

Eccle-

Ecclesia laicos sustentare, vt pote pauperes, ad quorum sustentationem bona Ecclesiæ relinquuntur, ac Reip. expensas omnes suppeditabit, nam cùm laicorum facultates non sufficiunt, tunc iubentur Ecclesiastici onera sustinere Cap. Non minus, & Cap. Aduersus de immun.


Quare deponant hanc curam laici, nec vereantur ne omnia bona immobilia ad Ecclesiam perueniant, & si hoc vereri volunt, sibi etiam persuadeant Ecclesiam tunc non defuturam necessitatibus Reip. omniaq; onera libentissimè subituram. Quòd si fortè viderint facultates Ecclesiæ nimis excrescere, ad summum Pont. omnium fidelium Pastorem recurrant, vt remedium adhibeat, ne immoderatis Ecclesiæ diuitijs laici supra vires grauentur, non ipsi per vim, & iniustitiam eas resecent, & minuant.

5 Prædictus porrò laicorum timor non est tanti faciendus, vt ob illum debeat Ecclesia sua perdere priuilegia, debeantque idcirco eius bona grauari. Sicut timor ne quamplurimi, aut omnes fiant Religiosi non est sufficiens causa, vt ad militiam cogantur Ecclesiastici, quamuis quò plures Religiosum habitum suscipiant, eò pauciores milites conscribi possunt pro Rep. Nec si vereatur Ecclesia ne Principum Laicorum potentia eò excrescat, vt sibi molestiam sit allatura, & obedientiam subtractura, si eos maximè populi reuereantur, licebit idcircò à fidelitatis iuramento populos liberare. Est enim hic timor improbabilis, & ob eum quiuis illicitè operatur, nec dat facultatem, vt aliorum iura auferantur.

CAPVT XX.

An exemplis probari poſsit, poſse Principes Laicos grauare, vel auferre bona Eccleſiaſticorum in neceſsitate.

1 *Exempla ex Sacra Scriptura pro laicis.*
2 *Eadem ex alijs hiſtorijs.*
3 *Ad exempla ex Sacra Scriptura allata reſpondetur.*
4 *Ad exempla ex alijs hiſtorijs deſumpta reſpondetur. Quæ vel ſunt iniquorum, vel falſa, & ſi aliqua fuerunt Piorum Principum, & vera, adfuit Papa, & Ordinis Eccleſiaſtici conſenſus.*
5 *Principes pij à Papa obtinuerunt, vt Eccleſiarum bonis vti poſsent.*
6 *Principes manus inijcientes, in bona Eccleſiaſtica, aliquando à Deo grauiter puniti ſunt.*
Sunt oues Eccleſiæ, non Paſtores Principes, & ideo bonorum Eccleſiæ non ſunt Domini.

1 
Liqua ex ſacra Scriptura, & alijs hiſtorijs fauere videntur. Ex ſacra Scriptura afferri poſſunt aliqua Principum exempla, qui neceſſitatis tempore theſauro ſacri templi vſi ſunt ad eam auertendam, quæ facta, cùm non improbet Sp S. illius autor, ſignum eſt rem eſſe licitam. Ezechias Rex Optimus, ſantiſſimusq; argentum, quod in domo Domini repertum eſt, & laminas auri,

quas

quas confractis Templi valuis reperit, accepit, deditq. Sennacherib Assyriorum Regi, vt ab obsidenda Ierosolyma abstineret. *a* Asa, cuius pietas à Sacra pagina laudatur, vt Regem Syrię ad se tuendum adduceret, argentum, & aurum, quod in domo Domini inuenit, ei dono misit. *b* Optimorum Regum hęc sunt facta, vt constet non esse mali Pricinpis simile quid perpetrare.

a L. 4. Reg c. 18. u. 15. 16.

b 3. Reg. 15. 14. 18.

2 Ex alijs etiam historijs habemus Ludouicum Secundum Sicilię Regem Ecclesijs imposuisse contributiones in subsidium belli, quod gerebat contra Carolum Nepotem suum.
Ferdinandum, & Isabellam Catholicos Reges Ecclesiarum argentum, & aurum accepisse ad alendum exercitum contra Alphonsum V. Lusitaniæ Regem, cùm de recuperanda Tauri Ciuitate agebatur. Richardum Anglorum Regem Ecclesiarum bonis non pepercisse ad sustinendos belli sumptus, Summumq. Pontificem pro eo adiudicasse contra Gualterium Rhotomagensem Episcopum, qui ei obstiterat, & Romam nuntios miserat ad conquerendum de Rege. Nicephorum Imperatorem census ab Ecclesijs, & Monasterijs exegisse ad expeditionem contra Bulgaros. Quę à moderno autore sunt allata, vt præsentia Ecclesiasticorum grauamina excuset, desumpsitq. ex Illesca in hist. Pontif. 2. p. Fragosa de regim. Christian. reip. n. 334. Neubrigensi l. 5. c. 21. & 24. Paulo Diacono l. 24. Nec deerunt alia exempla si historiæ perlegantur.

3 Verùm exempla ista, siuè sacra, siuè prophana nihil probant; Non sacra, quia illi Sanctissimi Reges necessitate extrema coacti ad diuitias in Sacro Templo repositas confugerant eo tempore, quo Summo

Sacerdoti imperabant ipsi, non hic illis, quare eius consensus non erat exigendus pro templi auro, & argento auferendo in tanta necessitate, sed regia potestas ad illud etiam extendebatur. At in Euangelica Lege non Principi Laico Pontifices, sed his ille subest, quoad res ad bonum spirituale spectantes, ideoq. res ille Sacras, Deoq. dicatas suo arbitratu sine eorum consensu attingere non potest, cùm consensus huiusmodi sine incommodo haberi potest. Quare quod in antiqua Iudęorum Lege actum est, afferri non potest ad probandum fieri aliquid posse licitè in nostra Christianorum Lege, cuius Sacerdotium longè excellentius est, quàm fuerit illius.

4 Alia prophanarum historiarum non sunt adducenda, cùm vel sint iniquorum, & Ecclesię hostium, ac tyrannorum, vt est illud Nicephori, qui imperium tyrannice inuasit, & gubernauit, hęresibus fauit, iussitq. militares duces more seruorum vti Episcopis, & alijs Clericis, eaq. de causa Christianos irrisit, quia proximum diligebant, eiq. eleemosinas impertiebantur, iuxta Euangelica præcepta, omnesq. præcedentes Imperatores ambitione, luxuria, barbara crudelitate superauit, vt ex Theophane narrat Baronius. a

a Baron. anno 8.0.811.

Vel à veritate videantur aliena, vt illud Richardi Angli, quem sua autoritate nullum tributum Ecclesiasticis imposuisse lego, sed Archiepiscopum Cantuariensem ad alios Episcopos, & Prelatos misisse, qui eius Regis indigentiam, ipsis significaret; peteretq. vt pecunijs opitularentur: cui non Gualterius videtur obstitisse, sed S. Hugo Lindoniensis Episcopus, qui in Episcoporum, & Prælatorum Regni conuentu perorauit, ne quid contribueretur, quia pauperes

peres

peres in maxima erãt penuria,& egestate,quib⁹ Ecclesiarum pecunijs subueniendũ erat, nec missos ob hanc causam à S. Episcopo,& Rege Nuntios ad Papam inuenio, aut Papam pro Rege tulisse sententiam,sed ob aliam fuerunt missi legati, nempè cùm Rex contradicente Archiepiscopo Rhotomagensi Castrum quoddam Ecclesię illius muniuisset opportunum ad reprimendas inuasiones Francorum in Northmanniam oblata Archiepiscopo æqua compensatione, & ab hoc reiecta, imo excommunicatione perculsis ministris Regijs, & Prouincia interdicto, res ab vtroq. ad Summum Pontificem delata est, hic verò non Iudicis, sed sequestri partes agens Episcopo autor fuit, vt se amicabiliter cum Rege componeret, & oblatam compensationem reciperet, asserens licere Principi infirmiora terræ suæ loca munire, cùm inde sibi, & suis damnum ab hostibus timet. Ita *a* Baronius, citato Rogerio, & Neubrigensi. Iudicem agere noluit in ea causa summus Pont. nefortè cogeretur, Regem condemnare, qui propria autoritate Ecclésiæ Castrum muniuisset, vel Episcopum, qui debitam, & æquam compensationem recusasset pro eo castro, vrgente Regni necessitate à Rege erepto, maluitq; idcirco rem amicabiliter componere neminem condemnando. Qui casus, vt patet valde à nostra quęstione distat, in qua agimus, non An liceat Principi Castrum Ecclesiæ munire, ne hostes in Regnum insiliant, data Ecclesiæ sufficienti compensatione; Sed An ei liceat sine consensu Ecclesiasticorum grauare bona Ecclesiæ extra necessitatem extremam, quę sunt valde diuersa. Et vtinam hoc tempore Ministri Principum, ac Principes Richardum prædictum imitarentur, dũ Ecclesiarum agros,&alia liberè auferunt,vt Ditionis

a Baron. an. 1187. 1197.

nis propugnacula, ac munitiones constrant, compensarent scilicet pecunia, vel alijs rebus ablata: Verùm non rarò imitantur eum Regem in auferendo, non autem in compensando.

Quo ad Catholicos Reges Ferdinandum, & Isabellam, respondeo sine summi Pontificis beneplacito, bona Ecclesię non grauasse, sed à Xisto Papa impetrasse, vt Ecclesiastici centum millia aureorum contribuerent, vt bellum Mauris inferri posset [a] Quòd si contra Alphonsum Regem arma càpientes auro, & argento Ecclesiarum vsi sunt, non sine Ecclesiasticorum consensu id fecerunt, mutuòq; illud acceperunt, non liberè vsurparunt, teste Mariana, [b] qui & narrat quo pacto Ferdinandus Tauro Medinam campestrem abierit pecuniæ, & commeatus inopia pressus, ibiq; ordinum consensu concessum ei fuerit, vt ad belli necessitates templorum aurum dimidia ex parte mutuum sumeret, rebus tranquillis integrum fide integra redditurus, eoq; subsidio ad obsidendam arcem Burgensem redierit. Ex quibus patet sapientissimum Regem nihil contra Ecclesiastica bona fecisse, sed vrgente necessitate seruandi suum exercitum, non sua autoritate, sed Ordinum consensu; aurum Ecclesiæ mutuum accepisse non vsurpasse.

[a] Mariana l. 25. c. 3.

[b] Idem l. 24. c. 8. n. 40.

Quod de Ludouico Secundo Siciliæ Rege adducitur, si hic quid iuris in Ecclesiasticas res vsurpauit eas grauando sine Papæ, & Ecclesiasticorum consensu, pro exemplo esse non debet, cùm sibi vsurparit quod suum non erat, & vsurpare prohibitum erat à Pontificijs constitutionibus, & à Friderico prędecessore. Aliqui etiam Principes in Ecclesiam, & Summos Pontifices insurrexerunt, nec tamen iure idfecerunt, aut ob id ius aliquod eorum posteri adepti sunt contra

eandem

eamdem Ecclesiam, & Pontifices ipsius. Probabile tamen puto dictum Regem contributiones Ecclesiasticis imposuisse cum Pontificio, aut saltem eorumdem Ecclesiasticorum consensu; vt etiam Franciscum Primum Galliæ Regem in Mediolanensi Ducatu, & alijs Italiæ partibus subsidium ex Ecclesiarum pecunijs sibi comparasse.

5 Alij Principes maximè pij, & Catholici nihil de Ecclesiæ bonis attigere, nisi prius obtenta à Summo Pontifice licentia, vt Maximilianus Primus, Resp. Veneta, Rex Neapolitanus moturi bellum in Turcas ab Alexandro Sexto, Carolus V. Imperator in bello contra Protestantes, Carolus IX. Francorum Rex in eo contra Rebelles à Pio V. Emanuel Lusitanię Rex in eo contra Mauritanos, Carolus Emanuel Sabaudię Dux, Duces Florentini, ac Ferrarienses, Philippus IV. Hispaniarum Rex Princeps noster annis 1624. & 1633. ab Vrbano Octauo obtinuerunt, vt sibi suarum Ditionum Ecclesiæ subsidium conferrent pro suorum Regnorum defensione, testibus multis, *a* & moderno autore prę sentium grauaminum Ecclesię defensore. Et hunc esse morem Catholicorum Principum ait Baronius anno 387. addens nonnisi Apostatas, & Hæreticos Impp. exegisse ab agris Ecclesiæ censum.

6 Non rarò autem Principes propria autoritate in res Ecclesię manus inijcientes à Deo Opt. Max. grauiter puniti sunt, vt Alexius Imp. qui in necessitate ornamentis, & donarijs Ecclesiæ ærario suo subuenit, sed tot malis est afflictus, vt omnia restituere promiserit, legemq. tulerit, ne quid simile in posterum auderent cæteri, etiamsi, vel Cadmea necessitas vrgeret. *b* Alphonsum cognomine Sapientem in multa mala inci-

a Marta de iurisd. p. 4. cas. 10. n. 20. Campana de vita Philippi 2. p. 3. l. 2. an. 1569. Marchin. trac de bel. diu. p. 4 c. 4 n. 28. 29. Guald. hist. p. 1. l. 7. an. 1633. Dian. p. 7. tr. 1. resf. 20.

b Baron. an. 1082.

incidiſſe ob bona Eccleſiæ vſurpata cenſent hiſtorici apud Dianam p. 7. tr. 1. reſ. 20. Carolum Martellum ob Eccleſiaſticas pecunias in vſum proprium verſas longa torſione, & verenda morte conſumptum eſse narrat S. Bonifacius apud Baronium *a*, & eum teſtatur uiſum D. Eucherio Aurelianenſi Epiſcopo æternis ſupplicijs idcirco mulctari: Charibertus Francorum Rex cùm poſſeſſionem Eccleſiæ S. Martini vi abſtuliſſet eodem anno obijt *b* poſt acutiſſimum totius anni morbum. Ludouico cognomento Craſſo minatus eſt filij mortem D. Bernardus ſi perſiſteret in auferendis bonis, ac reditibus Eccleſiæ, non inanes fuiſſe minas euentus oſtendit, nam breui occiſus eſt illius filius caſu equi vt refert Diana 7. p. tr. 1. res. 20. n. 7. vbi & refert ex Valboa Carolum V. claſſem magnam Indicam, Philippum Secundum, multas triremes, & fortiſſimam arcem Goletam amiſiſſe cùm ſubſidia ab Eccleſiaſticis voluerunt, licet cum Eccleſiaſticorum, & Papæ licentia. Diuinitus plures fuiſse punitos ob manus in Eccleſiarum, & Monaſteriorum bona iniectas, licet bellorum cauſa id fieret, & varia accidiſſe miracula, pęnaſq. Cęlitus datas vſurpatoribus eorundem bonorum, & expilatoribus narrat Gregorius Turonenſis. *c* Vtinam noſtra ętate, non aliqua accidiſsent rerum Eccleſiaſticarum impugnatoribus, ex quibus certisſimum Diuinę vltionis argumentum ſumere poſſumus. Sed parcendum eſt recentiorum nomini.

Addo Berengarium Italiæ Regem, qui ob ablatam Inſulam S. Iulij à Nouarienſi Epiſcopo, ſe ſuumq; perdidit Regnum, *d* Ethelredū Angliæ Regem qui ob vaſtatam Eccleſię Roffenſis ditionem deprædationes Danorum expertus eſt. *e* Bertam Richuuini comitis coniungem

a Idem an. 745. ſeu 858.

b Idem an. 572. & Greg. Turon. de glor. confeſ. c. 71.

c Turon. l. 2. de glor. mart. c. 17. & 66. & l. 1. c. 105. & de glor. confeſ. c. 71. & l. 4. hiſt. c. 16. & 18. & de geſtis Franc. l. 4. c. 2. 47. 48. 49. ex Baron. an. 536. & 557. & 570. & 576.

d Baron. an. 962.

e Idem an. 983.

coniugem, quæ Iuliacam Villam inuito Iulione Rhemensi Episcopo vsurpans, graui, & lethifero morbo laborauit, ac miserrimè animam efflauit *a* Imitentur potius Christiani Principes Sancium Primum Arragoniæ Regem, qui cùm multos reditus Ecclesiasticos, licet cum licentia Alexandri II. & Gregorij VII. Summorum Pontificum comsumpsisset necessitate belli contra Mauros pressus publicam ob id egit pœnitentiam anno 1081. ex Diana 7. p. tr. 1. res. 20. n. 8. Nam Dei cultus tunc maximè est promouẽdus donationibus, & Eleemosynis Ecclesiæ, & pauperibus vt eius ira mitigetur, cùm bella, & aliæ publicæ necessitates vrgent, non autem eadem ira est fouenda, & augenda grauando ipsam Ecclesiam, eiusque ministros contributionibus Malorum enim mede la est Deo dare nostra, non ab eo, eiusq. ministris quæ ipsius sunt auferre, quod regnorũ, & Rerump. ruina est.

a Idem an. 484.

7 Non pastores, sed oues Ecclesiæ se esse meminerint Principes, ac Magistratus, vt monuit Basilius Imp. *b* atq. adeo bonorum Ecclesiasticorum non esse Dominos, nec administratores, ad oues enim non spectat de Pastorum bonis suo arbitratu disponere. Nec Magistratus ab huiusmodi pœnis se immunes futuros putent, quia suorum Principum causam tueri se profitentur, Childericus sit optimum huius rei exemplum. Primus hic apud Sigibertum Francorum Regem habebatur, sua hic potentia nixus agellum ab Ecclesia Aquensi rapuit, Carò res ei stetit, nam post continuum, & acutissimum vnius anni morbum miserrimè expirauit. *c* Alius nobilis à muribus fuit discerptus ob bona Ecclesię direpta teste Baronio. *d* Quam pœnam sustinuit etiam Viecislaus Poloniæ Dux ob bona orphanorum, & Viduarum, ac pauperum vsurpata. *e*

b Exhort. ad Syn. Gen. act. 10.

c Cochier in Thes. pol. t. 1. c. 5. §. meminerint ex Greg. Turon. l. c. de glor. confes. c. 71.

d Bar. an. 111. n. 2.

e Io. Longinus lib. 6. hist. Polonicarum Cromerus li. 8.

CAPVT XXI.

Sanctorum virorum ſententia quænam fuerit, cùm Principes aliqui bona Eccleſiæ grauare conati ſunt, vrgentibus bellis.

1 *Clothario indicenti onus Eccleſijs reſtitit S. Iniurioſus.*
2 *Sine conſenſu Ordinis Eccleſiaſtici non impoſuit onera Eccleſiaſticis Philippus Bellaturus contra Turcas; Cùm tamen eſſet id nimis graue, Petrus Bleſenſis pluribus probauit non eſſe id tolerandum.*
3 *D. Ambroſius compulit Theodoſium ad abrogandam legem contra libertatem Eccleſiæ.*
4 *S. Ioannes Eleemoſynarius obſtitit accipienti Principi Heraclio bona Eccleſiæ ob bellum in Perſas.*
5 *Gregorius Nonus, & Bonifacius alijs vſibus applicare bona Eccleſiæ, quàm ad eum, ad quem ſunt data, vocant ſacrilegium inexcuſabile.*
6 *Sancti Regis pænitentia, cùm inuaſiſſet bona Eccleſiæ.*



On omnes ſanctiſſimorum virorum de hac re ſententias huic tractatui inſerere eſt animus, ne rerum prolixitate faſtidium lectori afferam, pauciſſima ſelegi ponderatione digniſſima. Ac primò.

1 Cùm Clotharius Rex Francorum indixiſſet, vt Eccleſiæ Galliæ Fiſco ſuo ſoluerent neſcio quam pecuniç ſummam S. Iniurioſus Epiſcopus Turonenſis ei con-

ei constanter obsistens illa verba dignissima sua Sanctitate protulit, & quæ Principum omnium mentibus insculpantur. Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur. Quę Sanctissimi Viri verba, ac rationes adeo Regem permouerunt, vt errati veniam petierit, decretumq; reuocauerit. Historiam refert Gregorius Turonensis. *a* Notanda est autem ratio, quam attulit, nempe non esse horrea Principis replenda bonis Pauperum, quos horreo suo alere debet. Bona enim Ecclesię sunt bona Christi, & Pauperum, cultusq; Diuini vsibus deputata, & ideo in alios vsus non sunt conuertenda, etiamsi de bello Sacro, & contra fidei hostes agatur, sine Papæ, aut saltem Episcoporum cum Clero consensu.

a Turon. l. 4. c. 2. de gest. franc. ex Baron. an. 536.

2 Sine dicto Papæ consensu decimas non impetrarunt aliqui Galliæ, Anglięq; Reges, & Flandrię Comites pro expeditione in terram Sanctam, teste Baronio. *b* Nec sine eo bella moturus in Saladinum Turcarum Imperatorem Philippus Galliarum Rex tributum Ecclesiasticis indixit. Sed cùm ob illud Ecclesię, ac Pauperes nimis grauarentur, Insignis doctrina, & sanctitate, vir Petrus Blesensis multis tum rationibus, tum autoritatibus, tum exemplis Aurelianensem Episcopum Regis consanguineum hortatus est, vt se illi opponeret hac in re. *c* Cuius rationes hæ fuerunt.

b Baron. an. 1188.

c Petrus B'e'. Ep. 112. & 11.

Prima Princeps, qui fidei vexillum fert ante Reges, & Principes terrę, grauando Ecclesię bona non debet esse in fidei defensione retrogradus; Quare si bellum suscipit, non de spolijs Ecclesiarum, non de sudoribus Pauperum viaticum sibi, & suis exhibeat, nam

quæ ratio est, vt qui pro Ecclesiæ pugnant, Ecclesiam spolient?

Secunda quia si testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua Pauperibus non dedit, vbi quæso mittendus est, qui bona pauperum, vel Ecclesiæ vi abstulit, rapuit, aut fraudauit?

Tertia quia numquam Pauperum, numquam Ecclesię spolia prosperum habuerunt euentus auspicium.

Quarta quia Ecclesiastici sunt positi in eis, quæ sunt ad Deum, vt offerant dona, & sacrificia pro Rege, ac populo, & si iratus in eos est Dominus, Sacerdos medius intercedat, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio, vnde quid aliud à Pontificibus, vel à Clero potest, vel debet Princeps exigere, quàm vt incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo? Sic Moyses, & Aaron motum Diuinę indignationis contra populum Israel oratione placarunt; Idem populus Moyse orante contra Amalechitas præualebat, eo ab oratione cessante vincebatur. Sacerdotibus vociferantibus muri hostilis Ciuitatis Iericho corruerunt temporibus Iosue.

Quinta Quia Rex non ad oppressionem pauperum, sed ad tuitionem Ecclesiæ potestatem gladij accepit, & ideo eius bona grauare non debet.

Sexta Quia moriturus est Princeps, & Ecclesiæ suffragijs indigebit, quibus si eam viuens bonis spoliabit, indignus fortè iudicabitur.

Septima Quia Ecclesia à diebus antiquis libera est, & filij eius, qua libertate Christus eos liberauit dicendo in Euangelio, quia filij sunt. Si autem angariatur exactionibus, & oppressionibus potentium, cogitur ancillari, & iam non Sara libera, ac Domina

est,

est, sed Agar Serua, quæ seruit cum filijs suis. Quare si Principes belli Ierosolymitani obtentu volunt triburarijs functionibus characterem seruitutis Ecclesiæ Christi inurere, qui filius est ex aduerso ascendat, mori potius eligat, quàm seruire. Princeps autem locum agnoscat, & officium, in quo posuit eum Dominus, nec de Thesauris Ecclesiæ, qui solùm debentur pauperibus, prelia Domini prelietur, neq. confidat in fortitudine, aut multitudine armatorum, sed in Domino, qui est fortitudo plebis suæ. Quia tamen Principes, & Magistratus viam suam ab executionibus inceperunt, & viaticum sibi de rapinis pauperum, & Ecclesiarum Spolijs confecerunt, fuit propterea hęc via scandalum ipsis, nam victi ab hostibus recesserunt. Notent hæc Sanctissimi Viri verba Duces, Magistratus, ac Principes, nam bellorum infelices exitus ascribit Ecclesiasticorum grauamini, timeantq. ne dum quærunt ab Ecclesia contributiones, vt Milites sustententur, & contra hostes oppida defendantur, hę sint veluti ingentes exercitus, qui omnia Principis, ac populi perdant. Dictis non est contentus Vir iste doctissimus æquè, ac morũ probitate clarissimus.

Addit alia maximè notanda, monet enim Archiepiscopum, ad quem scribit, vt hanc suscipiat prouinciam monendi Regem, vt à grauanda Ecclesia abstineat, nec Euangelicæ libertatis obliuiscatur, quę non solùm filios Dei, sed amicos facit, & ideo, ne cum alijs multis Episcopis Principi adulctur, assentiendo ijs onerum impositionibus, sed pro Domo Israel ex aduerso ascendat, & pro testamento Dei, idest Ecclesiasticis personis, murum inexpugnabilem se opponat, enorme namq. famę, & animæ discrimen incurret,

curret, si hanc iniuriam Christi (en vt Ecclesiasticorum grauamina à Principe Laico imposita vocet Christi iniuriam) silentio, & neglectu dissimulet, Tum sic concludit, Reuerendissime, ac Dilectissime Pater mi tuæ discretioni committo Religiosorum quietem, Pacem simplicium, causam Christi, & Ecclesiæ libertatem. Ponderemus quæso singula.

Non ergo existimat bona Ecclesiastica grauari posse sine detrimento quietis Religiosorum, Pacis simplicium, Christi causę seu honoris. Ecclesię libertatis: Quies autem Religiosorum turbatur, quia necessarijs ad victum, & vestitum carebunt, atq. ideo cogentur secularibus se immiscere negotijs; relictis spiritualibus, quod vtinam in ditione Mediolanensi verissimum experientia non doceret. Pax etiam simplicium magna patitur incommoda, quia multi videntes à Principe seculari Ecclesiasticos grauari eos nihili faciunt, & à reliquo populo non segregant, ac distinguunt, atq; ideo Sacra prophanis miscentes, multis cogitationum tumultibus iactantur, diuina à terrennis non distinguentes. De Christi causa agitur, quia de ipsius bonis tractatur, quæ dum auferuntur, vt militibus, aut alijs ob bellum dentur, Christus causa sua iniustè cadere dicendus est, dum laicus illius bona vsurpat tamquam sua cum multorum pauperum, qui ijs sustentabantur, damno: Libertatis demum Ecclesia iacturam patitur, quia priuilegia eius antiqua auferuntur sine Summi Pontificis capitis ipsius consensu, & forte etiam falso necessitatis prætextu, soluereq; tributa cogitur laico Principi, cui subiecta non est. Hic Petri Blesensis sensus fuit in Epistolis 112. & 121.

3 Idem Archiepiscopi Mediolanensis S. Ambrosij fuit,

fuit, [a] cùm legem latam, qua Viduæ vetabantur relinquere bona sua Ecclesiæ, & eius ministris, aut pauperibus, compulit Theodosium Imp. abrogare, licet Imperator necessitatis reip. velo se tegere posset, ac dicere se non autoritatiuè, sed vt Reip. œconomum agere, ne laici ad inopiam aliquando redigerentur cum Summo reip. ipsius periculo. Quæ quidem lex non tributariam reddebat Ecclesiam; sed acquirere Viduarum bona impediebat, eius tamen libertatem tueri hac in re voluit Summus Vir animaduertens hanc esse Christi causam, quid quæso præsenti tempore acturum fuisse arbitramur cùm Christi sponsa Ecclesia sub tributo ponitur, cogiturq; inuita prophanis bellis inseruire?

[a] Baron. an. 309.

4 Eadem fuit mens, idem sensus Sanctissimi Episcopi Alexandrini Ioannis Eleemosinarij [b] Cùm enim Persici belli necessitate vrgente Heraclius Imp. pecunia carens, nec à quibus eam mutuo acciperet, habens, carensq; spe tributorum exigendorum à populis, qui sæpius ab hoste spoliati fuerant, ad Ecclesiarum bona confugeret, & huc, illucq; exactores ad multas Imperij Ecclesias destinaret, iamq; misisset ad Alexandrinam Virum insignem Nicetam, qui eius Ecclesiæ pecunias colligeret, atq; in Fiscum inferret, obstitit Vir Sanctissimus Ioannes negans se daturum, quod suum non esset, sed Pauperum. Historiam hanc sic narrat Leontius, Accedens Nicetas Patricius ad Ioannem Patriarcham, Manus, ait Imperatoris eget multis pecunijs, quas ad necessarios vsus Reip. quotidie consumat; Nam ipse quoq; vides in quantas angustias reducta sit Resp. oportet ergo, vt quæ temerè, & ad nihil quod oportet, à te consumuntur, deferantur ad ærarium publicum. Cui Ioannes

[b] Baron. an. 620. & Sur. die 23. Ian.

nihil

nihil propterea conturbatus respondit, Non est iustum, vt quæ Regi Cęlesti sunt consecrata, prodantur Regi terreno, est enim hoc plane Sacrilegium, & non paruum in Deum peccatum. Sin autem tibi visum est sic facere, Ecce quæcumq; Ecclesię sunt, ea accipe, & fac, vt volueris, si quidem nulla ratio ab hac te abducit sententia, mea enim voluntate, ne obolum quidem dimittam eorum, quę sunt reposita. Cùm nihilominus Nicetas Ecclesię pecunias iussisset auferri, atq; Eleemosynarum materiam magna ex parte eleemosynario sustulisset, miraculo ostendit Deus, quàm sibi grata fuisset Ioannis constantia, in neganda Ecclesiæ pecunia Imperatori, nam quasdam mellis amphoras in aurum vertit plura suppeditans, quàm Nicetas asportasset: Quo miraculo hic commotus non solùm ablata omnia Ecclesię restituit, sed multa ex suo addidit, & veniam inconsiderati consilij ab Episcopo petijt. Paulisper, si placet, factum istud ponderemus, facit enim ad rem nostram.

Primò Bellum erat cum Persis Romani Imperij, & Ecclesiæ hostibus, qui totam fere Remp. Christianã cum eodẽ Romano Imperio in angustias redegerant; Vindicanda ab eorum potestate erat Sanctissima Crux, quam expugnata Ierosolyma abstulerant, summa erat Imperatorij ærarij angustia, nullum videbatur aliud adesse remedium, pręterquam Ecclesiarum bonis vti, earumq; pecuniam ad vsus bellicos pro militari stipendio conuertere, Vir tamen Sanctissimus negauit, se eam sponte daturum, ea potissimum ratione ductus, quia Pauperum illa erat, eorumq; indigentiæ subleuandæ destinata, Regiq; Cælesti donata, quod huius decretum gratissimum Deo fuisse enarratum Miraculum comprobauit. At nunc etiam

bona,

bona, & Reditus Ecclesiastici sunt Pauperum, ac Deo consecrati, non ergo terrenis vsibus sunt mancipandi, licet bellum urgeat, & aliqua necessitas opponatur, quæ tamen, vt supra vidimus, voluntaria est, auferriq; magna ex parte potest, si Princeps, eiusq; Ministri velint.

Secundò Episcopum prius adijt Nicetas, Eoq; negante subsidium propria abstulit autoritate, sed facti paulò post eum pænituit, & omnia cum fęnore multa de suo addens restituit. Vtinam qui Nicetam imitantur in auferendo ab Ecclesia postquam à Papa non est impetratum, quod optabant, imitentur eum etiam in agenda pænitentia, & ablatorum restitutione, ad quam tenentur, abstineantq; à pessimorum Principum exemplis sectandis Valentis hæretici, Iuliani Apostatę, Iustinæ perfidissimæ fœminę Imperium pro filio Valentiniano puero gubernantis, & aliorum quorum ea fuit cogitatio iniqua vt Ecclesiasticos, Monachos pręsertim, ac Religiosos, tributis vexarent, à quibus exemerant pijssimi Principes Constantinus, Constantius, Honorius, & alij. a

Non deerat Heraclio propositum restituendi Ecclesijs ea, quę ab ipsis exactores in Fiscum asportassent, & ideo mutuò se accipere dictitabat. At quia id cultum Diuinum minuebat, & Pauperum necessitatem augebat, idcirco assensum ei actioni denegauit prudentissimus æquè, ac Sanctissimus Episcopus. Multò magis eum denegasset, magisq; obstitisset, si nunquam restituendi animum Principi, & eius Ministris adesse nouisset, vt fortè his temporibus accidit cum magna Diuini cultus diminutione, & Pauperum sustentationis incommodo.

a Baron. an. 375. & 387. & 4 2. ex l. 40 41. Cod. de Epis. & Cler.

5 Prædictorum Patrum sententiam Secutus Gre-

Ss gorius

gorius IX. *a* pronuntiauit ea verba, Cùm valde sit iniquum, ea, quę collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesijs, vel relicta, aut eis iustis modis alijs acquisita, alijs vsibus applicari, meritò inuasores ipsarum rerum tamquam sacrilegi sunt anathemati vsq. ad satisfactionem congruam supponēdi. Idem sensit Bonifacius Papa, *b* cùm dixit eum esse inexcusabilem qui Deo consecratum aufert, siuè animal sit, siuè ager, vel quicquid aliud. Nec dissensit Concilium Syluanectanum *c.* cùm loquens de Mancipijs Ecclesiæ consecratis, vetat ea in secularium seruitutem redigi, quia iniustum est, vt quæ pro remedio animæ suę quis donauit, ad alios vsus distrahantur.

a Cap. conquestus de foro Compet.

b Cap. nulli liceat 12. q. 2.

c Cap. iniustum de rerũ permut.

6 Concludam hoc caput Sanctij Arragonum Regis insigni facto, hic ob bellum sub prætextu Pontificię licentię, quę re ipsa non aderat, in bona Ecclesię inuasit: Verùm ita eum facti huius pęnituit, vt humillimo corporis habitu cum gemitibus, & lacrymis publicè veniam petierit, & omnia restituerit, vt ei à Raymundo Episcopo mandatum fuerat. *d* Qui secuti sunt errantem, sequantur pęnitentem, vt Diuinę indignationis gladius in vaginam recondatur.

d Mariana l. 10. cap. 2.

CA-

CAPVT XXII.

An opinio, quòd Ecclesiastica bona grauari posint hoc tempore belli a laicis, grauantes excuset quia probabilis sit.

§. 1. Non est probabilis, nec sequenda opinio concedens posse grauari Ecclesiasticos hoc tempore belli.

1 *Doctorum numerus, vel grauitas non facit opinionem probabilem: sed rationes, etiamsi vnus tantùm sit Doctor.*

2 *Non est probabilis opinio sentientium bona Ecclesiastica posse à laico Principe grauari hoc belli tempore. Est enim contra iuris decisionem, & contra rationem.*

3 *Licet concederetur esse probabilis, nõ esset sequenda; cùm opposita faueat Ecclesiæ, & communior sit. Et melioribus etiam rationibus sit nixa, fauendum est Ecclesię.*

4 *In foro iudiciali sententia communior est amplectenda. In dubio ea, quę est benignor, vt est ea, quę fauet Ecclesię.*

5 *Rationes, ob quas Ecclesiastici non debent soluere onera.*

1 DOctorum præcisè numerus, vel grauitas opinionem non facit probabilem, aut communem, sed Rationes, etiamsi vnius tantùm Doctoris autoritate fultæ sint. leg. 1. §. Sed neque Cod. de vet. iu. enucl. cum Decio cons. 499. n. 12. & cons. 258. n. 1.

ac Martha de iurisd. p. 4. c. 153. n. 14. vbi & ait Doctores, qui maturè discutiunt aliquam sententiam, ac doctrinam, non qui leuiter; constituere communem opinionem, adde, & probabilem, nec eos, qui alium Autorem, seu alios sequuntur sine examine, pro hac re citat Autores Duardus in bul. cæn. can. 15. q. 4. num. 8.

2 Hoc supposito, dico Opinionem illam quòd Ecclesiastica bona grauari possint à laico Principe hoc belli tempore, non esse probabilem, quia licet aliqui eam astruant, non tamem eam probant iuribus firmis, quod tamen est faciendum, vt opinio sit probabilis, vt docent cum Aristotele Theologi, *a* cùm præsertim plurimi Doctores contrarium sentiant, qui melius rem examinarunt, & decisiones Sacrorum Textuum ponderarunt.

a Arist. l. 1. Top. c. 1. & l. 1. Eth. c. 4. Sayr. in Thes. l. 1. c. 5. n. 4. Salon. 2. 2. q. 63. a 4. cō. trou. 2. concl. 4.

Quòd dicta opinio nullo iure nitatur, imo sit contra expressam iuris decisionem, satis patet ex iuribus toto hoc tractatu allatis: nam iura, quæ oppositum sentientes pro se attulerunt, sunt antiqua, & correcta à posterioribus.

Quòd eadem nulla firma ratione probetur satis ostensum est hoc eodem tractatu, in quo fundamenta ipsius destruximus, ducta enim sunt ab obligatione Ecclesiasticorum subueniendi reip. in necessitate: A libro æstimi in quo bona in Ecclesiam translata sunt descripta: à Decreto Senatus; à communi dicto Bona transeunt cum onere, ab œconomatu Principis in rep. à defensione eiusdem reip. & alijs, quibus supra abundè satisfecimus.

Adde quòd opinio non est probabilis cùm rationes in contrarium adductæ non soluantur, soluuntur verò aliæ. At nos soluimus rationes, ac legibus, sacrisq.

sacrisq; canonibus, quos pro se adduxerunt laici, Respondimus: ipsi autem, solidè non responderunt iuribus, & rationibus, quas pro se Ecclesiastici attulerunt, ergo laicorum opinio circa hoc non est probabilis cùm sit contra iuris decisiones, & contra rationem. Vnde Angelus Maria Sermarinus apud Dianam p. 7. tr. 1 ref. 23. n. 12. optimè dixit tunc opinionem vnius Doctoris contra communem esse probabilem cùm procedit ex noua aliqua, & manifesta ratione ab ipso excogitata; quam alij non soluant, & ipse eorum argumenta soluit, quorum nihil factum est à laicis in nostro casu.

Cùm ergo opinio non sit probabilis, non excusantur ab iniquitate, & peccato, qui ex ea operantur.

3 Verùm demus esse probabilem, nihilominus nullo modo esse sequendam arbitror. Sic enim arguo Probabiliter censent laici posse Ecclesiasticorum bona grauari, Probabiliter oppositum sentiunt Ecclesiastici, & esse contra libertatem Ecclesiasticam dicunt. Si vtriq; probabiliter opinantur, cur tam facile contra Ecclesiam laici sententiam ferunt? Non ne receptum est in iure, fauendum esse Ecclesiæ cùm res est dubia, & pro ea iudicandum? a Non ne in dubio debet textus intelligi in fauorem priuilegiorum iure cõmuni clericis concessorum, cùm noua constitutio interpretanda sit, vt minus quàm fieri possit lædat ius commune iuxta Cap. Dilectus de consuet, cum Alexandro in l. inter cætera n. 5. ff. de lib. Posth.? b

4 Cùm ergo iuxta laicos probabile sit posse grauari Ecclesiasticos, & iuxta Ecclesiasticos probabile sit oppositum, imo certum; & pro vtrisq. scripserint Doctores, Versamur in rationabili dubio huius rei, cui ergo fauendum in dubio? Nonne Ecclesiæ? At quanam

a Duard. in bul. cæn. can. 15. q. 4. n. 18. Iason in l. 2. n. 9. ff. si quis in iur. voc Martha de iurisd. p. 4. cas. 145. init.

b Duard. vbi supra n. 17. vide Tiraq. de priuil. piæ causæ, vbi multos citat & Dian. tr. 1. ref. 65. 1. p.

quanam in re ei fauent laici? In nulla profectò. Cùm laici ſua opinione, vt putant, probabili ducti, bona Eccleſiaſtica, ac ſi laica eſſent grauent, exigant à Clericorum, & Monaſteriorum bonis onera, immittant milites in eorum, & Colonorum ipſorum domos, ad hoſpitationes compellant, negent à libro cenſus, ſeu Cataſtro eximi bona in Eccleſiam translata, aliaq; patrent, quæ odia ſunt, non fauores. Quòd ſi fortè fauores hos prædicant, quia inter Ciues hoc modo computant Eccleſiaſticos, ſibi ſuos fauores retineant laici, numquam enim optabit Eccleſia, aut alius aliquis hoc modo honorari: Ab hoſtibus enim, non ab amicis ſunt huiuſmodi honores expectandi, nec autores, apud Tiraq; & Dianam, *a* qui ſequendam eſſe opinionem fauentem Eccleſiæ, & in dubijs ei eſſe fauendum dictitant, aut iura communiter citata vt lex ſunt perſonę ff. de relig. ſumpt. fun. & cap. fin. de ſent. & re iudic. & alia, ſomniarunt vnquam huiuſmodi eſſe fauores, ſed iniurias potius, ac læſiones iure, ac merito affirmabunt. Si autem ea opinio ſequenda eſt, quæ fauet Eccleſię, quid tergiuerſantur laici, & eam amplectuntur, quæ illj nocet, ſibiq; ipſis fauet? Cur ipſi volunt eſſe iudices in propria cauſa contra Eccleſiam, cùm ad lites cum Eccleſiaſticis, & pro bonis Deo dicatis Summus Pont. & Epiſcopi ſint iudices, non laici Magiſtratus? Adde quòd in foro iudiciali externo ſententia communior eſt amplectenda, in ijs præſertim, quæ ad ius tertij ſpectant, vt multi docent: *b* a qua communi opinione non eſt licitum in iudicando recedere leg. 2. ff. de offic. Quęſt. Cap. Nou. de verb. ſignif. Imo ſi quis contra communem opinionem iudicet, imperitus præſumitur, & per imperitiam id facere

a Tiraq. de priuil. piæ cauſę, Dian. 1. p. tr. 1. reſ. 65.

b Ang. u. Opinio n. 2. Syluu. cod. 52. Tab. eod. n. 3. verſ. Quarto quæritur. Nau in man. c. 27. n. 285. cum ſeq. & n. 288. Azor. 1. 2. c. 15. Caiet. in ſum. u. Opinio, Armil. eod. n. 2. Cord. in ſum. q. 9. Felin. in Cap. Canonum ſtatuta n. 54. vbi citat Bart. Panorm. Anch. Butr. Gemin. qui de Iudice loquuntur.

cere teste Sylua Nupt. l. 5. n. 1. & 2. & Cap. de inducijs 2. q. 3. vbi & ait communem opinionem preualere opinioni Glossæ. Quin etiam nimis impudens dicitur Iudex qui sententiam tulit contra communem: a cùm paria videantur iudicare contra legem, & contra communem opinionem, iuxta Bartolum in l. cum prolatis ff. de re iudic. Quòd si non appareat, quæ sit communis opinio, iustius, & tutius est eam quę benignor est & firmioribus nititur rationibus, ex varijs legibus, quibus: dicitur In dubijs semper benignora esse præferenda, & id iustius, & tutius esse: b Quæ autem fauet Ecclesiæ benignior est, & melioribus nititur rationibus, vt supra vidimus, imo, & Doctoribus, ergo ea sequenda est tamquam communior, non autem opposita, etiamsi esset probabilis. Probabilis tamen non est, quia contra apertissima iura, & sacros Canones.

a Alex. cons. 53. fin. l. 1. Curr. sen. cons. 69. n. 11.

b Nau. l. 1. c. Tab. & alij.

5 Ob hanc ergo rationem caret probabilitate ea opinio, quia est contra iuris decreta. Adde etiam Secundò quia Ecclesiastici alia onera subeunt. Tertiò quia si ad onera compellentur, carebunt tum ipsi, tum pauperes multi, rebus ad victum, & vestitum necessarijs. Quartò quia bona Ecclesiastica sunt bona Christi Diuino cultui, & ministrorum ipsius, ac pauperum sustentationi destinata. Quintò quia laicorum facultates non sunt ita diminutæ, vt multa non supersint ad superfluos eorum vsus: Sextò quia si laici velint, Principis opes ad onera belli satis superq; sunt. Hic paulisper immoremur si placet. Et quoniam de re Ecclesiastica Mediolanensi magna est contentio inter Ecclesiasticos, & laicos Magistratus, ostendamus ex laicis tributis sat, superque colligi ad

belli

belli sumptus necessarium, si Rex, eiusque Magistratus ea, vt conuenit, expendat.

§. II. *Ditionis Mediolanensis onera.*

1 In ditione Mediolanensi ex tributis laicorum colliguntur, quæ satis sunt ad belli sumptus, si rectè expendantur.

2 Tabella onerum, quę sunt in ditione Mediolanensi.

3 Non omnia onera sunt exposita.

4 Non debent Ecclesiastici contribuere ad præsens bellum, quia non ideo populi subleuarentur, & Regium nihilominus ęrarium egeret.

5 Nec verum est quòd idcirco minora onera laicis imponerentur.

6 Remedium ad subleuandum indigentiam ærarij sine nouis oneribus est pecuniam ærarij benè administrare.

1 In ditione Mediolanensi, quotannis tricies centena millia nummorum aureorum, & amplius colliguntur ex tributis, & alijs oneribus, quę in Regium ęrarium inferenda essent. An inferantur, nec ne, viderint alij; at ad alendum exercitum, & soluenda militibus stipendia, aliaq. comparanda, quæ ad bellum sunt necessaria, satis superq sunt vicies centena millia nummorum, nam hac summa exercitus duodecim ferè millium peditum, & quatuor millium equitum commodè aletur, qui numerus militum nunc non adest, & tamen ad minorem numerum alendum non sunt satis tricies centena millia nummorum. Vnde id accidat, meum non est examinare cùm non sit

credendum

credendum regios reditus in alios vsus conuerti, aut expendi, quàm in Regis ac ditionis Mediolanensis vtilitatem, quicquid quidam suspicentur. Inficias certè iri non potest, quin magna eorum pars distribuatur superfluis Ducibus, qui paucissimorum militum habent imperium, alijsque qui cum autoritate sunt in exercitu, quorum tamen opera rei militari vix prodest, aut Regijs commodis, soluunturq. stipendia pro quamplurimis, qui non modò inter milites, sed nec inter viuos numerantur. Quare si Regię opes in necessarios tantùm Regis, atque ipsius exercitus vsus expenderentur, is, quem dixi sexdecim fere millium millitum numerus commodè haberetur, & alia quę ad ipsius exercitus commeatum spectant, compararentur. Sique residuum, quod super esset ex vectigalibus, & alijs oneribus collectum, Populis condonaretur, non exiguum sentirent hi leuamen sine Ecclesiasticorum solutione aliqua.

2 Quòd autem ea, quam dixi, summa, ex Ditione Mediolanensi colligatur, certissimum est, & ex subiecta tabella vectigalium, & aliorum onerum, quæ vel Regi soluuntur, vel pro oneribus ab eo impositis soluendis exiguntur, quisque perspiciet, & ab vno, qui tum Regis, tum Patriæ commodorum est amantissimus eam tabellam collegi, quam typis consignauit, & potentissimo Hispaniarum Regi Mediolani Duci conscripsit.

Ex Mercium vectigalibus colliguntur	L.	1100052.
Ex vectig. Chartarum	L.	10300.
Ex vect. vini vendendi facultatis cauponibus concessę Mediolani, Italicè Del bollino	L.	141196.
Ex eod. in toto eius Ducatu	L.	60115.
Ex eod. In Principatu Papiensi	L.	3102.
Pro eo ad minutum vendendo		
In Lamellina	L.	1679.
In Oppido Vogheræ	L.	1364.
In Comitatu Laudæ	L.	4933.
In Comitatu Comi	L.	4537.
In Comitatu Vigleuani	L.	986.
In Comitatu Cremonensi	L.	2099.
In Comitatu Nouariensi	L.	6612.
In Oppido Olegij	L.	839.
In Comitatu Alexandrino	L.	1395.
Ex vectigali Calcis	L.	2100.
Ex vect. Floreni, Pręturæ Molendinorum, Fornacium, & similium	L.	15450.
Ex vect. tabulariorum, Ital. dell' Archiuio	L.	28481.
Ex vectig. Sigilli librorum	L.	29642.
Ex vectigal. vini stillati seu cremati, Ital. Acqua vita	L.	46397.
Ex vectig. Tabacci. Ital. Tabacco	L.	21285.
Ex vectig. fæni	L.	18542.
Ex vect. pellium humidarum	L.	54279.
Ex vect. Carnis in Ciuitate, & Ducatu Mediolani.	L.	120000.
Ex vect. Carbonis	L.	29000.
Ex vect. pullorum	L.	27000.
Summa	L.	1731385.

Ex vect. vini ad Portas Ciuitatis Mediolani	L.	350000.
Ex Dogana, vt dicitur vulgo Mediolani	L.	139425.
Ex vect. Regijs Papię	L.	80850.
Ex ijsdem Laudi	L.	37652.
Ex ijsdem Comi	L.	21524.
Ex ijsdem Vigleuani	L.	11214.
Ex ijsdem Cremonæ	L.	152849.
Ex ijsdem Casalis Maioris	L.	19155.
Ex ijsdem Soncini	L.	3870.
Ex ijsdem Nouariæ	L.	40098.
Ex ijsdem Alexandriæ	L.	16187.
Ex ijsdem Derthonæ	L.	2154.
Ex ijsdem Pontis Curonis	L.	1400.
Ex ijsdem Cliuesij	L.	106.
Ex vect. vini in dolia domestica infusi Burgi Lauizarij Ital. Imbottato	L.	762.
Ex eodem in Cremonensi dit.	L.	300
Ex vectig. Generali Salis. Ital. ferma Generale	L.	2073093.
Ex censu Salis in Duc. Mediolani	L.	102000.
Ex eodem in alijs prouincijs, & earumdem verisimiliter	L.	140000.
Ex augmento solidorum 36. pro singulo stario salis	L.	402500.
Ex facultate data vendendi panem in Ciuitate Mediolani	L.	158717.
Ex eadem facultate extra Mediolanum	L.	120000.
Ex granorum Molendorum facultate pro portione regia Ital. la macina	L.	116926.
Summa	L.	3990782.

Ex eadem pro portione Ciuitatis Med.	L.	253850.
Ex impoſitione aſſium viginti pro ſingulis modijs granorum extra Vrbem	L.	77102.
Ex augmento ſolidorum 4. pro ſingulo modio farinæ	L.	33127.
Ex augmenti olei parte	L.	89200.
Ex Domorum, & officinarum ordinario tributo, vulgo Taſſa delle Caſe, & Botteghe	L.	120000.
Ex eodem extraordinario, annuo tamen	L.	140000.
Ex agrorum, vinearum &c. tributo Ital. Perticato	L.	533400.
Ex vect. ordinario Molendorum granorum in Papienſi Ditione	L.	8973.
Ex dimidia pro ſingulo centenario ob Communitatum cenſus ad centeſimam redactos	L.	196000.
Ex eadem ob cenſus priuatos	L.	80000.
Ex vect. quod dicitur menſuale pro parte ad Mediolanum ſpectante	L.	428673.
Ex eadem pro reliqua ditione	L.	165000.
Ex vectigali pro equitatu ordinario veriſimiliter.	L.	100000.
Ex vect. 14. Iuliorum pro eodem equitatu	L.	29194.
Ex vect. pro Cataphractis militibus	L.	61000.
Ex vect. 14. Iuliorum pro ijſdem	L.	12115.
Pro Præſidijs ordinarijs ad numerum 9300. rationum	L.	1018350.
Pro bombardarum equis	L.	185178.
Pro extraordinarijs pręſidijs militum vulgo Corpi di guardia	L.	130953.
Summa	L.	3662115.

Pro militum hospitationibus extraordinarijs	L.	2500000.
Pro subsidijs, pabulationibus fæno, Auena, vt ex calculis à secretis Commissarij Generalis anno 1646	L.	6000000.
Maior fuit summa annis præcedentibus, quia maior erat militum numerus.		
Ex collectis à Mercatoribus	L.	55000.
Ex alia collecta ijsdem imposita	L.	27500.
Pro mercede Commissarij Generalis	L.	14194.
Pro mercede Gubernatoris militiarum	L.	11000.
Pro mercede Ductorum Exercitus ad hospitia pro Ducatu.	L.	72000.
Pro eadem in reliqua ditione	L.	72000.
Summa	L.	8751694.

paginæ	330.	Summa	*L.*	1731385.
paginæ	331.	Summa	*L.*	3990782.
paginæ	332.	Summa.	*L.*	3662115.
paginæ	333.	Summa	*L.*	8751694.
Omnium		Summa	*L.*	18135976.

3 Et hęc quidem in minori quantitate sunt exposita, quàm exigantur. Multa etiam sunt ommissa, vt census, qui à Communitatibus soluuntur singulis annis ob æs alienum contractum causa onerum soluendorum, quorum summa est plusquam decies centena millia aureorum annuorum; & alia, ex quibus tamem singulis annis non exigua pecunia conflatur, vt ex Pedagijs, Portorijs, extractionibus granorum, & alia-

& aliarum rerum, leguminibus domi reconditis à priuatis Dominis, & alijs, quorum capita, ſi alienata non eſſent, non exiguum ſingulis annis Regio ærario commodum afferrent. Certè ſi hæc ſumma pecuniç in neceſſarios tantùm vſus reip. expenderetur, non modo Regię neceſſitati ſubueniretur abundè, ſed & ſupereſſet, quo priuatorum inopia ſummopere reficeretur.

4 Cùmq; tanta pecunia conſumatur, & maior etiam, cùm ex vtriſq; Sicilijs, & ex Hiſpanijs aliæ aduehãtur, ne tamẽ Regiũ ærariũ abundet, ſed ſemper ſit exhauſtum, & nouis ſemper adinuentionibus grauentur populi, nullo modo Eccleſiaſtici contribuere debent quia ex eorum contributione non remitterentur populis onera, ac tributa: ſed cùm hæc cupiditatum voraginem in multis non expleant nec explerent quæ ab Eccleſiaſticis ſoluerentur, his enim ſolutis Regium nihilominus ærarium laboraret; vt nunc laborat, quamuis plures in illud inferendæ pecuniç colligantur quàm opus ſit ad belli neceſſitates tolerandas. Cùm ergo minor ſumma ſatis ſit ad eas, non eſt quòd Eccleſiaſticorum bona grauari poſſe clament laici. Demus enim id eſſe probabile, quid hęc grauamina pręſidij afferent populis multiplici onere preſſis? Nullum profectò, quia laicorum idcirco onera non minuentur.

5 At nouis tributis non onerabuntur. Sit ita. Peto nunc ſi noua onera imponantur, vel poſſunt laici ea ferre, vel non; Si primum, ergo Eccleſiaſtici non tenentur contribuere, quia laicorum facultates ſuffiiunt: Si Secundum, fruſtra imponentur, quia exigi non poterunt, cùm laici non habeant vnde ſoluant vt ipſi dicunt. Aut ſi habent ad eam neceſitatem,

quam

quam prædicant non ſunt redacti. Nec probabile eſt imponi onera non valentibus ea ferre, Princeps enim, proponit illa Ciuitatibus, ac Magiſtratibus, & ſenatui, ſi exiſtimarent hi ea à populis non poſſe ſuſtineri, ſibiq; ipſis conſcij eſſent ſe non poſſe, nunquam aſſentirentur eorum impoſitioni, cùm autem aſſentiantur, euidens eſt eos arbitrari poſſe noua onera ferri. Quod cùm arbitrantur, eximunt, non animaduertentes, Eccleſiaſticos ab obligatione contribuendi, quia laicorum facultates putant ſatis eſſe ad illa.

6 Præterea quid grauamina Eccleſiaſticorum vtilitatis dabunt ærario regio? nihil opinor, quia ſicut pecuniæ aliundè inuectę, & alia tributa illius indigentiam non minuunt quamuis in magna copia ſint, & exigantur, ita nec minuet modicum illud, quod Eccleſiaſtici ſoluent. Vnum eſt remedium tantummodo, vt Regia pecunia ita adminiſtretur, vt nulla priuati commodi ratio habeatur in ea diſpenſanda, ſed Regis, & Reip. hoc ſi fiat, Regium ærarium abunde quęcumq; opus ſunt in bello ſuppeditabit, ſine vllo Eccleſiaſticorum onere, & cum populis etiam poterit mitius agi, oneraque impoſita poterunt magna ex parte minui.

CA-

CAPVT XXIII.

An colonis Ecclesiasticorum possint imponi, & ab ijsdem exigi onera, & tributa pro Repub.

§. 1. Ob Ecclesiæ bona grauari non possunt coloni eius.

1 *Asserentes id fieri posse, quo nitantur fundamento.*
2 *Negantes, quibus rationibus id suadeant.*
3 *Coloni Ecclesię quomodo possint grauari.*
4 *Bartoli doctrina quo pacto intelligenda.*

1 D fieri posse censent multi apud Surdum, *a* quia Colonos Ecclesiasticorum esse subditos Principi laico non est dubitandum cùm sint laici, nec gaudeant priuilegio fori, vt vsus, & experientia docent, puniuntur enim à laico Principe ob delicta, & si sint legum laicarum transgressores, neq; ob id Ecclesiastici conqueruntur.

a Surd. cons. 301. vol. 3. §. Vltima dubitatio & Ant. Clauarinus in responso. de hac materia apud Gatticum.

2 Negant alij apud eundem Surdum *b* colonos huiusmodi grauari posse, aut statuto, seu lege tributa soluendi constringi posse. Primò quia id esset in Præiudicium Ecclesiarum, nam grauatis colonis, cogetur Ecclesia imminuere pretium locationis suarum possessionum, sentietq; idcirco non leue detrimentum. Quare grauamen colonorum videretur fieri in fraudem Ecclesiasticorum, ad hos scilicet indi-

b Surd. l. c. §. contrariam tamen sententiam.

recte

rectè grauandos, quod esset contra Ecclesiasticam libertatem. Secundò quia Priuilegium immunitatis, seu libertatis, Ecclesiasticæ non prodesset Ecclesiasticis, quod enim vna via non posset ab Ecclesia auferri, auferretur alia, quod est contra Cap. Cum quid de reg. iur. in 6. & contra legem Athletas §. sed & qui ff. de his, qui notantur infamia, & contra glossam magistram in §. est autem casus u. Habeatur Inst. de hæred. instit. Etenim grauatis colonis compelleretur Ecclesia soluere onera, ne incultę possessiones remanerent, si eodem pretio locare vellet, ac si non essent grauati, vel eas minori pretio locare, quàm ante. Tertiò quia coniunctus gaudet priuilegio alterius coniuncti, cùm illud esset inutile, nec haberet effectum; *a* At Colonus est coniunctus Domino habens societatem cum illo in possessionum cultura, & fructibus, cùm Dominus ponat Prædiorū fundum, Colonus operas, semina, iumenta, ac tandem lucrum inter eos diuidatur, & damnum pro vt conuentum fuerit initio contractus: Ergo Colonus Ecclesiastici gaudet immunitate Domini quo ad tributa super prędia Domini. Quod confirmatur ex doctrina multorum apud Surdum in margine citatum, qui dicunt laicum captum cum Clerico pro eodem facto gaudere priuilegio fori ob Socij Clerici priuilegium & ideo remittendum illum esse ad iudicem Ecclesiasticum; eumdemque laicum habentem rem Communem cùm Ecclesia gaudere priuilegio eiusdem temporis contra præscriptionem, quo gaudet Ecclesia.

a Glos. in l. fin. c. de muner. & honor; vbi socius gaudet indemnitate alterius socij, Marsil. sing. 180. Iason in l. si emancipati n. 9. C. de collar. Natta cons. .. n. 10. & cons. 390. apud Surd. cons. 301. vol. 3. u. quarto Priuilegium.

3 In hac controuersia dirimenda vtendum esse distinctione puto, dicendumq; Colonos Ecclesiasticorum ratione suarum personarum, ac bonorum propriorum posse grauari à Principe laico, quia nullum

Ecclesię prę iudicium affertur: At ratione bonorum Ecclesiæ quæ colunt, non posse grauari, quia alioqui Ecclesiæ, præiudicium afferretur, si enim grauantur coloni ob ea bona, quæ Ecclesiastica sunt, & exempta, hæc ipsa grauantur, quod est illicitum. Grauari autem ipsa bona probatur, quia prçceptum soluendi fit personis laicis, at fit propter ea, quæ sunt Ecclesiæ, & ideo versatur circa ipsa, quod est de facto ipsa grauari; Iubentur autem Coloni soluere ad ratam ęstimi possessionis Ecclesiæ, quam colunt, & ideo iussio ista respicit Ecclesię bona, & ad ea terminatur, neq. potest impleri, quin ea bona attingantur, quæ iussionis effectus habent pro vero, & vltimo subiecto, vt docuere Cynus, & alij. a

Confirmatur quia commune, & inseparabile est Coloni, & Prædij commodum, vel damnum, non enim potest prędium aliquid detrimenti accipere in fructibus, quos producit, quin illud colonus sentiat, aut Colonus aliquid pati ratione prædij, quin huius æstimatio minuatur. Si ergo grauabuntur Coloni ob prædia, hæc etiam erunt grauata.

4 Ex quibus colligi potest veram esse Bartoli b doctrinam asserentis colonos Ecclesię non affici edicto laicorum, quo grauantur ob eius bona, quæ colunt, quia illud respicit res Ecclesię, & ad eas terminatur, quare nullum est, quia cadit supra rem, quæ est extra laicorum iurisdictionem; Non secus ac nullum esset statutum, aut lex laici Principis Christiani irritans matrimonium alicuius subditi Christi sacris initiati, aut ei interdicens ingressum in Ecclesiam, aut aliquid Ecclesijs donare, nulla inquam esset, quia licet prçcipiat subditis, præcipit tamen rem, quę ad se non spectat, & est extra iurisdictionem suam: At etiam

a Cyn. in l. Cunctos populos Alex. cons. 16. l. 6. n. 7. Rota decis 295. n. 8. 9 Socin. Iun. cons 25 n. 12. L 3. Paris. cons. 84. n. 43. & 44. l. 1. Crau. cons. 467. Natta cons. 536. Bursat. cons. 42. n. 17. & alij.

b Bart. in l. si penes. Cod. de agric. & cens. Felin in c. 2. de foro Comp. apud Surd. cons. 301. 6. quarto priuilegium cum seq. & cons. 304. §. vlt. vol. 3.

etiam exemptę sunt Ecclesiæ possessiones a potestate laica, ergo ab hac circà grauamen earum nihil præcipi potest laico alicui, siuè colono, siuè alteri.

Quare Pius V. non immeritò eximit colonos Religiosorum ab oneribus, teste Diana *a* ijs, vt puto, quę ratione bonorum imponuntur.

a Dian. 3. p. tr. 1. resp. 17

§. II. Quæ onera imponi colonis possint ob fructus collectos ex possessione Ecclesiæ.

1 Laicorum effugium.
2 Ei occurritur, & conceditur fructus colonorum grauari posse.
3 Argumentum in contrarium soluitur.
4 Via fraudibus ob concessa superius non est aperienda, & quo pacto vitetur.
5 In aliqua Prouincia videtur circa huiusmodi grauamina fraus committi. Prima huius rei probatio.
6 Secunda eiusdem rei probatio.
7 Tertia eiusdem rei probatio.

1 Dicent laici se colonis Ecclesiæ grauamen imponere, non ob prędia, quæ colunt ipsius Ecclesiæ, sed ob fructus, quos ex ijs colligunt, suosq. faciunt, quod licitum est, cùm ob rem laicalem grauentur, nec pro re Ecclesiæ, sed pro re colonorum, nam fructus illi à solo separati cùm est soluta Ecclesiastico Domino debita, & conuenta portio pro locatione prædiorum, non sunt Ecclesiæ, sed colonorum, sicut sunt emptoris laici fructus possessionis Ecclesiasticæ ei venditi, nec ij fructus gaudent ea immunitate, qua gaudebant antequam venderentur, nam muta-

tione personę, mutatur priuilegium, seu potius extinguitur C. Priuilegium de reg. iur. in 6. Quod non est contra ius Canonicum, videlicet Cap. Ecclesiarum Seruos 12. q. 2. vbi prohibentur Exactores compellere seruos Ecclesiæ ad onera, non enim Coloni sunt serui, cùm nec careant libertate, nec sint commensales Ecclesiasticorum, nec sint obligati ad perpetuum seruitium Ecclesiæ exhibendum, de quibus tum textus adductus, tum alij loquuntur, vt Cap. Indicatum 89. d. 1. Cap. Generaliter 16. q. 1. lex 1. & 2. Cod. de Episc. & Cler. Hos autem seruos esse exemptos sine vlla controuersia esse dicit Martha. *a*

2 Vt huic laicorum effugio satisfaciam concedo pro fructibus ipsorum colonorum ab Ecclesiæ possessionibus collectis posse grauamina imponi, vt sentiunt Duardus; & alij, *b* cùm debita, & conuenta portio est Ecclesiastico Domino persoluta, quia non grauantur pro re Ecclesiæ, sed pro re sua; ij enim fructus à Solo separati, & à portione Ecclesiastico Domino debita, sunt colonorum, sicut sunt emptoris laici fructus possessionis Ecclesiasticæ, si ei vendantur, nec gaudent immunitate, qua gaudebant, antequam venderentur, nam mutatione personæ mutatur, seu potius extinguitur, priuilegium: Et ideo non grauatur Ecclesiastica res, aut ipsa Ecclesia, nec ei aliquod prę-iudicium affertur, quia coloni non soluunt pro re ipsius, sed pro fructibus proprijs, pro quibus nisi obstet consuetudo, etiam trahi possunt ad iudicem laicum de iure communi; *c* Nam Mediolani videtur adesse conuentio vt possint etiam trahi ad Ecclesiasticum, si vult Clericus.

3 At, inquies, Ecclesia minori pretio suas possessiones locabit, quàm locaret, si fructus ex ijs colle-

a Martha de iurisd. p. 4. casu 111. n. '. apud Duard. in Cap. 15. bul. cen. q. 8. n. 4. & 5.

b Duard. in can. 15. bul. cæn. q. 8. n. 7. 8. Thesaurus decis. .6. Bostit de Princ. & Priuil. n. 78. Natta cons. 409. n. 9. Alex. cons. 101. l. 1. n. 71. Soc. cons. 99. vol. 1. Federic. de Senis cons. 111. n. 10.

c Cap. si Clericus laicum de foro comper.

cti, essent exempti, ergo fit ei præiudicium. Resp. non censeri id præiudicium, aut damnum Ecclesiæ, quia etiam pluris locaret, & venderet, si fructus collecti ex ipsius prędio facti Colonorum, aut emptoris laici, cùm inferuntur in Vrbem, non soluerent gabellas impositas, & tamen id non reputatur Ecclesiæ damnum: est enim lucrum ipsius cessans, circa quod non habet priuilegium, nec lex iustitiæ, aut religionis alios obligat ad illud procurandum. Esset autem damnum, si ita Coloni Ecclesiæ grauarentur, vt ipsa non inueniret, qui suos fundos colerent, aut non nisi valde minori pretio, quàm illi laicorum, sic enim ipsa indirectè grauaretur; Vt etiam si grauarentur pro prædijs Ecclesiasticis, quę colenda suscepere. Et hęc dicta sint, ne turbæ excitentur, nam non desunt Doctores multi docentes non posse Colonum grauari pro fructibus ex Ecclesiæ prædio collectis,[a] idq; ne causa fructuum diuidatur à proprietate. Quod quidem est magis conforme pietati ac Religioni Catholicorum, & maximè fauorabile Ecclesię.

4 Caueant tamen laici, ne ex hac concessione viam fraudibus aperiant vt facile aperirent si dicerent se onera imponere Colonis Ecclesiæ pro fructibus ad ipsos spectantibus, re tamen vera imponere intenderent pro prædijs, quos colunt. Vt autem fraus vitetur, non debent onera imponi pro quantitate bonorum, quæ coluntur, aut æstimi eorum; sed pro quantitate fructuum collectorum ab ipsis colonis, qui fructus sunt merces, seu pretium operarum, & laborum, quos in colendis agris Ecclesiæ insumpserunt. Sicut autem alij operarij laborantes in prædijs siuè laicorum, siuè Ecclesiasticorum, non grauantur habita ratione ęstimi possessionis, in qua operam

[a] Decian. consf. 51. n. 14. Bertach. de Gabel. 7. p. n. 16. Ferret cons. 102. n 13. Rota decis. 4. de priuil. in antiq. & decis. 23. n. 6. p. 2. diuer. coram Cantutio, & Bubalo an no 1578. die X Dec. in vna Carthag. decim. Clauarinus in resp. de hac materia apud Gat. t. vide Thus. u. onera concl. 136. n. 7. 8. vbi adducit Syluam cons. 9. Homod. cons. 218. n. 12.

suam

suam posuere, sic in colonis Ecclesię grauandis non est habenda ratio possessionis Ecclesiasticæ, quam colunt, sed mercedis, quam consequuntur ob præstitas in ea operas, atq; idcirco modicè grauari possunt, sicut modicè grauantur operarij diurni, nullas habentes proprias possessiones. Alioqui fraus committetur, eritq; apertum Ecclesiæ præiudicium.

5 Quæ fraus alicubi fit hoc tempore, nam taxantur Ecclesiæ Coloni pro quantitate iugerum, & perticarum, vt vocant, terræ, quàm colunt, & vt sunt descriptę in libro ęstimi communitatum, dicuntque laici, se eos grauare pro parte colonica, quod cùm fit grauantur, pro fructibus nomine tenus, re vera pro prædijs, quę colunt. Nam si pro fructibus grauarentur, habenda esset ratio collectorum, & si nulli essent collecti, nullum onus imponi deberet, & si pauci hi fuissent, modicum illud etiam esse deberet, & maius si plures. Cùm autem fructuum huiusmodi ratio non habeatur, signum est grauamen pro prædijs imponi, non pro fructibus: Nam exempli causa, cùm Milites mittuntur hospitandi ad domos Colonorum Ecclesię, mittunturne pro prædijs, an pro fructibus? Si pro prędijs, id est illicitum, cùm sint Ecclesię, & ideo exempta. Si pro fructibus, cur eodem modo grauantur, totidemq; milites hospitandi mittuntur, cùm multi sunt fructus collecti, & cùm pauci, imo nulli? Certè signum id certissimum est non haberi rationem fructuum, sed prædiorũ, cùm onus sit idem siuè multi sint fructus collecti, siuè nulli, aut pauci. Confirmatur quia milites mittuntur ad domos hospitandi hyeme, mense v. g. Ianuario anni 1646. At hyeme nondum sunt collecti fructus anni 1646. ex possessione, sed sunt adhuc pendentes,

nesciturq;

nesciturq. quantitas eorum futura: Non ergo grauamen imponitur pro quantitate fructuum futurorum, cùm illud sit certum, & hi incerti, neq; adhuc à colono possideantur. Quare nec pro ijs grauari debet, cùm Non possidens grauari pro re non possessa nullo modo debeat, Auth. de collat. §. eos autem u. Nullus, l. Litibus C. de agric. & censit; l. 1. Cod. de annon. & trib. Quòd si dicas grauari pro fructibus iam collectis anno præcedenti dicant quæso laici quot ij fuerunt. & si fuerunt decem v. g. Modij frumenti, cur nihilominus colonus Ecclesię pro Milite vno, aut tribus, vel octaua parte vnius contribuere pro hospitio compellatur non secus, ac si triginta collegisset? Si pro fructibus imponeretur onus, variaretur hoc pro quantitate fructuum, vt grauantur in Decima, & ad portas Ciuitatis, si enim multi sint collecti fructus aut multi introducantur in Vrbem; maior decima, maiusq; vectigal. soluitur, si illi sint pauciores, hæc etiam pauciora sunt. Pro centum v. g. metretis vini soluentur centum asses, decem vero pro decem metretis tum ob Decimam, tum ob vectigal ad portas Ciuitatis. Si ita fieret, cùm onera Colonis Ecclesiasticorum iubentur, pro fructibus verè exigerentur, cùm aliter fiat, pro prædijs exiguntur. Bona fide hucusq; id factum reor, iam verò si in posterum fiat, cessabit bona fides.

6 Præterea vnus eques hospitandus mittitur apud laicum, qui sexaginta v. g iugera terræ possidet: duo si centum viginti, ad octauam vnius partem concurrere debet, si septem iugera cum dimidio possideat, idq. continuò seruatur. At cùm pro colonica grauatur Colonus Ecclesię, ponitur esse octaua pars æstimi totius possessionis, compelliturq; semper pro hac octaua

octaua parte concurrere, At si pro fructibus grauaretur, diuerso modo grauari deberet vno anno, ac altero, cùm vno anno plures, alio pauciores fructus colligantur.

7 Illud etiam peto, Voluntne laici, hoc grauamen esse personale, an Reale, an mixtum? Si personale, non est cur nummi exigantur, cùm hos soluere sit grauamen reale, non personale, quod consistit in pręstando aliquo opere, seu labore cum animi aliqua sollicitudine, & vigilãtia, vt est illud tutelę, & curæ; vel obligatio laborãdi proprijs manibus ad muros v.g. aut fossas Ciuitatis, aliaque huiusmodi, de quibus in l. 1. §. Illud tenendum est, & l. fin. ff. de muner. & honor. sermo est. Nec mixtum dici potest grauamen illud, quia mixta onera sunt ea, in quibus, & corporis labor, & Reip. sumptus requiritur, at in nostro casu nullus est corporis labor, sed sumptus ad alendum, & sustinendum exercitum: Erit ergo reale, quod est illud; quod super re imponitur, & ex eius æstimatione soluitur. At res huiusmodi non est nisi aut ager Ecclesiasticus, aut fructus, qui à Colonis colliguntur. Verùm quia hi sunt incerti, pro ijs taxa non debet esse certa, sed eorum est expectanda collectio, quę cùm vno anno sit maior, alio minor, grauamen etiam variari debet iuxta eorum proportionem quod cùm non obseruetur signum est pro prędijs: Ecclesiasticis imponi colonis onera, non pro fructibus.

§. III.

§. III. *Non grauant laici colonos Ecclesię ratione persona ipsorum, sed bonorum Ecclesiasticorum.*

1 Capita colonorum Ecclesiasticorum dicunt grauari laici, non bona, sed immeritò, primò quia magis grauantur quàm alij operarij.
2 Quia ratione domus Ecclesiasticę coguntur hospitari milites.
3 Non debent grauarì coloni Ecclesię ob fructus, quos colligunt nisi modicè.
4 Pius V. exemit colonos religiosorum ab oneribus.
5 Doctores concedentes colonos Ecclesię posse grauari ob fructus, loquuntur de gabellis ad portas Ciuitatum, & de decimis, ac mercibus, & ideo ad prędia non est extendenda eorum concessio.
6 Multi Doctores censent colonos Ecclesiæ esse exemptos ab oneribus personalibus.
7 Non tenentur Ecclesiastici compensare damna colonis suis illata, quia à laicis grauantur. Quicquid Baldus, & alii sentiant.
8 Leges contra dicta à Bartolo allatę non probant.
9 Duplici onere ob eamdem rem aliquem grauari, non est aliquando contra æquitatem.

1 Dicent forte laici per hoc grauamen non respici bona, aut fructus, sed capita hominum, atq; adeo esse Capitationem. Sit ita. Iam ergo conceditur onera huiusmodi non esse pro fructibus ex prædio Ecclesię collectis, & factis coloni, sed esse pro persona, quæ viuit ex quæstu, & mercede operum suorum in

Campis. Si ita est cur magis grauantur coloni Ecclesię, quam alii operarii? Certè nulla est æquitas, si duo sint laborantes in vinea, vel campo, lucrenturque sibi ex eo labore victum, vnum magis grauari, quàm alterum. Cùm ergò magis grauentur coloni; quam alii operarii, vt testis est experientia, nam operarius nulla habens prędia propria, etiamsi in alienis operetur, non grauatur ad ratam agri, in quo operatur, pro octaua videlicet parte, vel maiori, vt grauatur Colonus, non ergo illud grauamen est capitatio, sed reale pro prędiis, quæ colit, atq; adeo illicitum est, cùm sit pro re Ecclesiastica. Adde quòd in non nullis locis non est vsus capitationis, seu distribuendi onera per capita, & nihilominus coloni Ecclesiasticorum coguntur onera soluere, ergo grauamen iis impositum dici non potest capitatio, sed est impositum ratione bonorum, quę colunt.

2 Quod etiam illud suadet, quia milites hospitandi mituntur ad domos, quę Ecclesiasticorum sunt, quas habitant eorum coloni, quo autem fundamento id faciunt laici? Non quia illæ domus Ecclesiasticorum sint, nam bona Ecclesiastica grauarentur, quod est illicitum; Non quia colonorum, quia earum non sunt domini: Non ratione fructuum, quia colonus nullos ex ea domo percipit, quos suos faciat, vt percipit ex prædijs. Ergo non alia de causa id fit, nisi quia est quid pertinens ad prædia Ecclesiæ, quæ colit. Quod si ita est, sicut ob prædiorum octauam partem dicuntur grauari, seu pro octaua parte fructuum ex ijs collectorum, sic militum hospitatio deberet esse pro octaua parte domus. Annuitisne ita fieri? At ego nunc contendo nec pro octaua ea parte posse colonum compelli ad hospitationem militum,

nam

nam hæc octaua pars domus est libera, & exempta, sicut sunt reliquæ septem partes. Tota enim domus est Ecclesiæ, atq; adeo tota est exempta, ergo quęlibet etiam eius pars est libera, & exempta, cùm domus non possideatur per partes, sed tota leg. qui vniuersas ff. de acquir. possess. leg. Eum qui ædes ff. de vsucap. ex qua habemus non debere diuersi iuris dici partes à toto, vt etiam ex Cap. cognouimus 12. q. 2. & Cap. Cùm in tua de Decim; & glos. in Cap. Cùm dilectus 3. de prębend. Confirmatur quia in qualibet re diuisibili pars minor censetur esse sub maiori l. quęritur ff. de stat. hom. leg. Quod pediculis §. 1. ff. de auro, & arg. Cap. quod in dubijs de consecr. Eccl. vel Altar. cum Baldo in leg. 2. Cod. Communia de leg. ergo cùm octaua pars domus sit minor quàm septem aliæ, erit illa sub his, atq. adeo exempta sicut illæ.

3 Licet autem concesserimus Principem laicum colonis Ecclesiæ pro fructibus collectis ex prædio huius, & factis colonorum, posse aliquod grauamen imponere, Recordetur tamē Princeps eos fructus esse ipsorum colonorum alimentum, eisq; contingere pro operibus manuum, & laboribus, ideoq; esse sudorem pauperum, mercedemq; eorum, quare ęquum est pro ijs non grauari, aut saltem modicissimè, cùm non habeant coloni superflua ad suum, familiarumq; suarum victum & vestitum.

Imo cùm fructus Colono ab Ecclesia concedantur pro expensis, quas ipsa faceret, si per proprios seruos suas possessiones coleret, non debet ille grauari, sicut non grauarentur serui, in quorum locum subrogantur coloni, subrogatum autem in locum vnius sapit naturam, & eiusdem iuris censeri debet, ac illud, in

 cuius

cuius locum ſubrogatur l. ſi eum §. Qui iniuriatum ff. ſi quis caut. Cap. Eccleſia Vt lite pendente cum Bartolo in l. 1. §. Hi quibus ff. de leg. 3. Quòd vero ſeruis Eccleſiæ onera non ſint imponenda, habetur, vt paulò ante vidimus §. 2. n. 1. ex Cap. Eccleſiarum ſeruos 12. q. 2. Cap. Indicatum 89. d. 1. Cap, Generaliter 16. q. 1. leg. 1. & 2. Cod. de Epiſc. & cler. & ideo eſſe illos ſine vlla controuerſia exemptos dicit Martha de iuriſd. p. 4. caſu 111. n. 1. apud Duard. in can. 15. bul. cen. q. 8. n. 4. 5.

Adde, quòd fructus ſunt pretium laborum, & operarum coloni, ſicut autem non eſt æquum grauari aliquem propter opera ipſa, & labores, nec etiam æquum eſt grauari eorum pretium, nam pretium ſuccedit loco rei, & è contra leg. ſi & rem ff. de petitione hered. leg. ſi fundum ff. de leg. 1. cum glos.

[a] Pius V. conſt. XI. apud Seraph.

4 Vnde non immeritò Pius V. [a] exemit colonos Religioſorum ab oneribus, vt ſupra diximus, qui quidem vniuerſaliter loquitur, & ſine diſtinctione, an ea onera ſint impoſita ratione fructuum, an ratione prædiorum Eccleſiaſticorum neque an ſint perſonalia an realia, an mixta; quæ bulla licet forte pro ſtatu Eccleſiaſtico ſit facta, oſtendit tamen valde eſſe conueniens, vt vbiq; ſint exempti, cùm id iubeatur pro bebeneficiis, quę Religioſi conferunt in vniuerſam Eccleſiam, & ne cogantur Dei cultum deſerere, quę rationes vbiq; gentium vigent.

5 Aduerte autem, quòd aliqui Doctores docentes poſſe grauari colonos Eccleſiæ ob fructus, vt dictum eſt, non vniuerſaliter loquuntur, ſed de gabellis ad portas Ciuitatis, quę ſunt impoſitę pro fructibus qui in Ciuitatem inuehuntur, nec debent idcirco adduci, vt aliqui adducunt, ad probandum poſſe pro prę-

dijs

diis, quæ colunt, grauari sunt enim res diuersę, & ideo ad terminos diuersos eorum autoritas extendenda non est.arg. leg. fin. ff. de calumn. leg. Papinianus causi. ff. de minor. Nec dici potest Gabellam ad portas Ciuitatum poni gratia exempli, quod cùm sit, non restringit regulam vniuersalem, sed declarat leg. Damni ff. de damn. infert. Etenim dato quòd ita sit, exempla declarant in quibus terminis regula accipienda sit ex glossa in Cap. Quod Dei de statu Monachorum, & in legem Prima. §. Quod vulgo ff. de vi arm. Quare cùm exemplum sit de onere pro fructibus factis colonorū, non est ad prædia extendenda doctrina, quæ non sunt ipsorum. Et preterea separata est ratio Ecclesiæ, & colonorum ipsius in fructibus, non in prędiis, quę sunt Ecclesiæ, non illi, cùm sunt facti eorum, & ideo hos grauari posse, ad mitti potest, non illa, ratione quorum, inter Dominos, & Colonos fit veluti quidam contractus societatis, in qua Domini ponunt prædia, Coloni opera, & in fine anni diuiduntur fructus, & ideo ratione prędiorum non sunt separati Ecclesia, & colonus eius, sunt autem ratione fructuum postquam facta est separatio, & diuisio.

Aliqui etiam ex dictis Doctoribus loquuntur de Decimis, quæ soluuntur Ecclesiæ, quas debent Coloni, etiamsi forte Dominus sit exemptus, quia debetur pro fructibus collectis, & de iure Diuino, atq; idcirco non est Doctrina applicanda oneribus, quæ iure humano imponuntur pro prædijs à laico Principe.

Alii aliqui loquuntur de mercibus, ob quas debetur gabella. Quare nec eorum doctrina extendenda est ad casum nostrum. Prædictos Doctores adducit Thesaurus

saurus in sua decisione 116. apud quem eos vide, & præsertim Federicum de senis cons. 111. quem aliqui sequuti sunt.

6 Illud etiam hic notandum est multos Doctores a docere colonos Ecclesiæ esse exemptos ab oneribus personalibus exceptis Angarijs, & Perangarijs in Aduentu Principis. Quare si pro alijs compelluntur, de facto, non de iure grauantur, & docent cum Baldo Socinus, & alij, b quod verum puto respectu onerum, quæ causa prędiorum imponuntur, non respectu eorum quæ causa fructuum, & respectu priorum puto esse exemptos ab angarijs etiam; & Perangariis, cùm militet eadem in omnibus ratio, quia prędia non sunt colonorum, & sunt exempta ab omnibus oneribus saltem extraordinariis, cùmq. Domini Ecclesiastici sint exempti, & ideo grauari non possint, nec possunt eorum loco grauari eorum coloni, quia æquitas, ac iustitia postulat, vt vnus pro alio non grauetur leg. Vni Cod. Vt nullus ex vica. leg. Non debet alteri, ff. de reg. iur. & quia quod vna via non potest haberi, alia obtineretur, quod est contra iura aliàs citata presertim hoc capite 51. n. 2.

7 Si tamen pro Dominis Ecclesiasticis iniustè grauentur, & vexentur eorum coloni, non puto veram Baldi in margine citati, & aliorum cum ipso Doctrinam, posse eos se indemnes conseruare per retentionē partis Dominicę fructuum, quia Gabellæ, Datia, Collectæ, & huiusmodi pertinent ad solum Dominum leg. ędiles. ff. de via publ. l. litibus §. vlt. ff. de agr. & cens. Ratio nostra est, quia Domini Ecclesiastici non sunt causa huius damni colonis, nec ipsis volentibus, & consentientibus fit, sed inuitis, & contradicentibus, non ergo tenentur ad illud iniustè illatum

a Bursat. cons. 25. & 42 n. 14. & 16. Alba cons. 41. nu. 14. Botta cons. 87. n. 2. & 24. & 25. inter cons. Rimin. Sen. l. 4. Decian. cōs. 51. n. 42. & alij apud Galliam cons. 59. ex Gattico.

b Bald. in l. cum duobus §. si in coeun da sub notab 4. ff. pro Soc. Soc. cōs. 119. l. 1. u. 6. citars Io. de Plate. & Andream de Bara. in l. Hi penes C. de agr. & cē/. Ecclas. de æst. p. 4. n. 52. citantur etiam apud Thus. u. onera concl. 136. n. 7. Bartolus in l. Priuat C. de excus. mun. Ripa l. 2. resp. 22. n. 14. Iasō in l. 1. n. 31 C. de iur. Emphyt. Sylua cōs 9. vbi multos citat pro vtraque par. & dicit hanc esse tutiorem & veriorem.

illatum damnum resarciendum, sicut non tenentur resarcire damnum à furibus, aut grassatoribus per vim factum colonis suis. Secundò non tenentur ipsi ad ea onera, & gabellas, ergo si ab alijs exigantur pro ipsis, iniustitia committetur ab exigentibus, at iniurias, & damna iniustè illata in suos colonos non tenetur Dominus resarcire, & compensare, sed ille, qui ea infert, aut cuius causa inferuntur, ergo non possunt coloni partem dominicam fructuum retinere pro ijs damnis, non secus ac si cùm me spoliare Grassatores non possent, in amicum meum, ac socium insilirent, aurumq; auferrent, non ego tenerer illud restituere, nec ille in compensationem posset retinere, quod mihi deberet, non alia de causa, nisi quia iniusta causa eius damni non fui, ita etiam in nostro proposito accidit.

8 Nec leges à Bartolo allatæ quicquam quo ad hoc probant, nam verum quidem est, Gabellas, Datia, Collectas, & huiusmodi pertinere pro fructibus ad Dominum, at non rectè inde infertur Ecclesiasticos debere illa pro fructibus à colono ex ipsorum possessione habitis, nam eorum Ecclesiastici non sunt Domini, sed ipsi coloni, loquimur enim de contingentibus ipsi colono. Et si leges loquerentur de oneribus prædiorum, nihilominus non rectè inferretur, eosdem Ecclesiasticos esse obligatos ad collectas, & alia huiusmodi, quia sunt exempti ab oneribus, & ideo, si hæc exigantur à colonis, cùm iniustè exigantur, ad nihil tenentur Domini atq; idcirco eorum fructuum partem non potest sibi colonus retinere.

9 Nec puto aliquid roboris habere rationem Festasij, nempe si coloni pro fructibus suis ex possessione Ecclesiæ collectis grauarentur, duplici grauamine

afficerentur

afficerentur ob eosdem fructus, laboribus videlicet in colendo Ecccleſiæ agro exantlatis, & Vectigalibus; videtur autem contra æquitatem aliquem grauari duplici onere ob eandem rem, teste Bartolo, & alijs, *a* & videtur contra leg. Titia §. Qui in vita ff. de leg. 2. Quia non eſt nouum iuſtè aliquem grauari duplici onere pro eadem re, vt patet ex lege ſi pendentes §. Si quid Cloacarij ff. de vſufr. vbi conductor fundi vectigalis ſoluit vectigal Municipio, & tributũ fiſco: & patet ex vſu, nam idem grauatur onere decimæ ſoluendæ Eccleſiæ, & tributi Principi laico pro ijsdem fructibus; nam ſatis eſt diuerſos eſſe reſpectus, & vnum onus vno, aliud alio intuitu deberi.

a Bart. in l. Priuatæ C. de excus. mũ. Petr. Vbald. conſ. 2. poſt trac. de collectis. Thusc. u. onera concl. 136. & 138. n. 23. citatq; Roman conſ. 161. n. 2. ſed. de ſẽ. conſ. 302. Decian. cõs. 285. Paris cõs. 25. n. 84. l. 1. Gloſſa in l. 2. C. de mul. & in quo loco.

b Bart. in leg. Priuatæ ff. de excus mun. Io: de Plata. ibid. Alex. in l. licitatio ff. de public. §. me catores & in l. 4. ff. de re iudic. & in l. lucius ff. ad munic. §. idem reſpondet, & in l. Reſcripta ff. de mun. & honor. & in l. 1. C. de ann. & trib. in addit. ad Bart. Fach. l. 1. controu. iur. c. 91. Petr. Vbald. conſ. 2. n. 4. et ſeq. Bald. in l. 1. c. de iur. Emph. Duen. Felic. Surd. Martha apud Barboſ. de vniu. iur. Ec. l. 1. c. 39. §. 5. n. 62.

§. IV. *Emphyteuta Eccleſiæ, an poſſit grauari.*

1 Qui Doctores eximant Emphyteutas Eccleſiæ ab oneribus.
2 Qui non eximant eoſdem.
3 Praxis circa hoc ſeruanda eſt.
4 Si rationes ponderentur, idem de ipſis dicendum eſt, quod de Colonis dictum eſt quoad fructus.
5 Quoad prædia cum diſtinctione loquendum eſt, & qua.
6 Aliorum diſtinctio circa hoc.
7 Non admittitur.

1 Dubium autem hic eſt, an quod diximus, de Colonis Eccleſiç ſit etiam dicendum de eius emphyteutis. Res enim apud Doctores videtur valde controuerſa: Eximunt enim eos ab oneribus Bartolus, & alij, *b* quia Emphyteuta Domini non obligati ad onera, ab his etiam eſt exemptus leg. Priuatæ ff. de excuſ. mun. vbi emphyteuta fiſci non tenetur ad onera, quia

Fiſcus

Fiscus non tenetur. Id probat Felicianus à solis in append. commentarij de censibus ex decisione Regij Pinciani Prætorij pro collegio D. Illephonsi Compluti contra concilium oppidi, quod prætendebat imponere onera Emphyteutis eius Collegij Et ex decisione Curię Complutensis pro monialibus S. Claræ, bis enim, aut ter declarauit Emphyteutas earum esse exemptos. Idemq; declaratum fuisse ait à Vicario Generali Complutensi pro Emphyteutis Monasterij conceptionis in Oppido Conchensi & à Conseruatore Academiæ Complutensis, & à Nuntio Apostolico.

2 Alij verò [a] negant Emphyteutam gaudere hoc priuilegio; eorum ratio nititur praxi.

3 Totum negotium videtur niti praxi, quare vbi ea est, seruanda erit. vbi non est, nullum erit Emphyteutarum priuilegium: Ea autem fortè in vno loco adest, in alio nequaquam.

4 Si rationes ponderemus, puto idem dicendum esse, quod de Colonis diximus, Posse scilicet pro fructibus ex re emphyteutica Ecclesię collectis, & ipsorum factis grauari, quia sunt res laicę

5 Quo ad grauamen pro prædi js: distinguendum videtur, Aut Emphyteutę sunt ad certum tempus, vt nouem annorum, vel ad determinatas generationes: Aut sunt ad tempus indeterminatum, vel pro omnibus eorum generationibus, vel pro omnibus ijs personis quibus dederint, & cōcesserint. Si primū, non puto posse Emphyteutas Ecclesiæ pro prędio eius grauari, quia ea possessio est Ecclesiæ, & ideo grauari nō potest à laico; Si Secundum puto posse grauari, quia prædium illud non videtur esse Ecclesiæ, cùm laicus liberam de eo disponendi facultatem habeat, nec a-

[a] Valasc. tr. de iur. Emphyt. q. 17. a n. 14. ad 16. Io: Garz. tr. de expen. & melior. c. 12. n. 69. 70. Ang. cons. 206. Boer. decis. 214. Felin. in cap Eccl. S. Mariæ de const. n. 99. & alij apud Felic in append. com. de cens. ex Gattico, & apud Thusc. u. onera con. cl. 38 n. 14. & seq. Penna cons. 66. Menoch. de arbitr. cas 180. .8. & cons. 75. n. 62. cum seq.

aliud ius sit Ecclesiæ, quàm pensionis impositæ recipien lę. Sic ut etiam cù n ipsa emit censum super laici poss..ssione, ad onera tenetur Censualista, quia ea possessio est laici, non Ecclesiæ cuius tantùm est ius percipiendi ex ea tot fructus, vel determinatam pecuniæ summam.

6 Aliis alii distinctionibus vtuntur, vt Iulius Clarus, *a* qui distinguit, an Emphyteuta modicam pensionem soluat Ecclesiæ an magnam, seu fructibus possessionis in Emphyteusim acceptæ correspondentem: In Primo casu vult teneri Emphyteutam ad totum onus. In Secundo ad ratam fructuum, quos facit suos. Iason & alij *b* sic distinguunt, vel Emphyteuta, idem ait de colono, soluit in pecunia pensionem Ecclesiastico, vel in fructibus; Si primum, tenetur ad onera; Si secundum, nequaquam. Vide Thuscum u. onera concl. 121. & concl. 138. n. 20.

a Iul. Clar. in §. Emphyteusis q. 46.

b Iason in l. 1. C. de iur. Emphyt. n. 32. Sc. cons. 21. l. 2.

7 Verùm siuè pensio sit magna, siuè parua, siuè in pecunia soluatur, siuè in fructibus, non facit, quin, quod superest soluta pensione, sit res laica, atq; adeo quin subsit imperio laici Principis. Idcirco quæ nos adduximus, meliori niti videntur fundamento.



CA-

CAPVT XXIV.

An bona patrimonialia Clericorum grauari possint à laico Principe.

1 *Qui Doctores negent grauari à Principe posse bona patrimonialia Clericorum.*
2 *Qui id asserant.*
3 *Bona patrimonialia Clerici defuncti alienata in personam non exemptam, non sunt exempta ab oneribus publicis.*
4 *Ex consuetudine aliquorum locorum, bona patrimonialia Clericorum non sunt exempta.*
5 *De iure tamen sunt exempta.*
6 *Rationes varię adducuntur, cur sint de iure exempta bona Clericorum.*
7 *Obiectioni respondetur, assignaturq; disparitas, cur bona laici non subditi Principi possint grauari, non vero bona Clericorum.*
8 *Eadem exemptio duabus alijs rationibus probatur.*
9 *Clerici sunt exempti ab oneribus à laico Principe impositis, etiam vt Ciues, & vt Domini temporales, & consuetudo contraria, nisi sit à Papa approbata, est iniqua iuxta Suarez.*
10 *Bona patrimonialia Clericorum æquiparantur Ecclesiasticis quo ad exemptionem de iure.*
11 *Aliud senserunt aliqui, sed nullus Theologus.*
12 *Bulla cænæ quo ad hoc quomodo explicetur.*

BReuiter hac in re dicam quod sentio, non enim nostri videtur instituti, qui agimus de bonis

Eccleſiaſticis. Ne tamen res adeo controuerſa hiſce temporibus omittatur, hanc quæſtionem quaſi pro corollario affero, non vt eam decidam, ſed potius, vt quid Doctores hac in re ſentiant, innoteſcat.

1 Negant poſſe à laico Principe grauari patrimonialia bona Clericorum quàmplurimi Doctores, *a* quia Clerici non ſunt ſubditi laico Principi, quocirca ab eo compelli non poſſunt ad ſolutionem onerum. Verùm hìc non agimus de poteſtate compellendi Clericos, quos iure à laico compelli non poſſe in perſona ex dictis in hoc tractatu ſupponendum eſt: ſed de poteſtate obligandi eorum bona patrimonialia ad aliquid exhibendum, vt obligare poteſt bona laicorum. Quod eſſe poteſt ſine vi facta perſonæ, ſiue deinde accipiantur à colonis, ſiue in area ipſa fructus ſufficientes ad onus impoſitum ſoluendum, ſiue alia via, cùm eſt exigendum. Nam licet perſona non ſit ſubiecta Principi laico, bona eius poſſunt eſſe ſubiecta, de quo hìc quæritur, & aliquos citat Tiraq. de retract. lignag. §. 32. gloſ. 1. n. 81. & Farin. tit. de Inq. q. 8. n. 21. qui dicunt ratione bonorum trahi poſſe Clericum ad ſeculare tribunal.

2 Non eſſe exempta ea bona aiunt Caſtrenſis, Innocentius, Bartolus, & alij *b* qui negant huiuſmodi bona ſequi perſonam, & eius priuilegia, quod tamen non probant, nec forte probare poſſunt, cùm bona ſint acceſſoria perſonę, & ideo ſequantur illam, vt rectè docet Felin. in cap. Eccleſię S. Mariæ de Conſt: verſ. & ſimiliter infert. vide infra num. 11. contrariam. Qui Felinus ibi verſ. Sed nihilominus, admittit exemptionem eorum bonorum in caſibus iure expreſſis, non autem in alijs. Sic etiam Bartolus conſ. 180. n. 50. ait ea bona regulariter non ſubeſſe

laicis

a Feſtaſ. tr. de collect. n. 563 Bart. conſ. 180 l. 1. Franc. Tigrin. in conſ. Bart. 44. l. 2. Iaſ. in l. Placet fin. C. de S. Ec Aegid. Bellã. conſ. 45. n. 4. Abb. conſ. 13. et 6. l. 1. d. 2. Barbat. in cap Eccl. S. Marię n. 40. ſeq. de conſt. vbi decem fundamẽtis id probat Suar. contra Reg. Ang. l. 4. c. 24. n. 4. vbi alios citat, et alij citantur à Fragoſa in regim. reip. p. 1. l. 2. c. 4. §. 3. n. 314. vt Martha Velaſq. maſiẽzõ vide Azor. t. 3. l. 5. c. 19. q. 7.

b Caſtr. conſ. 353. l. 1. Innoc in c. poſtulaſti de foro compet. Bart. in l. Reſcripto §. fin. ff. de mun. et honor. u. Thuſcum. u. Bona patrimonialia Clericorum concl. 115. et 114. Oldrad. cõſ. 17.

laicis, sed in casibus iure expressis, quem sequitur Decius in Cap. Episcopus de pręb. nu. 18. & in Cap. Ecclesia de const. n. 65. cum seq. in glossa 2. Verùm si de iure Canonico loquantur, si quod daretur circa ea, admittendum esset in casibus ab eo expressis ita esse; sed nullum affertur, quod huiusmodi aliquem casum habeat. Si de Ciuili, id est in controuersia, an Princeps laicus possit ea grauare.

Idem Felinus omnino vult esse exempta bona patrimonialia, ad quorum titulum facta est ordinatio in subdiaconum, quia hęc sunt subrogata loco bonorum Ecclesiasticorum, & ideo habent eadem priuilegia. Cui tamen Decius vbi supra contradicit apud Thuscum u. Bona concl. 114.

3 Vt res expediatur, Dico primò bona patrimonialia Clerici defuncti, seu ab eo alienata in personam non exemptam, non esse exempta, quia Priuilegium exemptionis est ratione personę, non bonorum, & ideo est personale. extincta ergo, aut mutata persona, extinguitur priuilegium §. fin. Instit. de vsufruct. Quare si à laico hærede Clerici vendantur bona istius, debebit gabellam, si qua erit imposita vendenti, nam hæreditas licet personam defuncti repræsentet, non vera tamen, sed ficta est repręsentatio, & ideo priuilegium clericale in eam nō transmittitur: idq; quamuis clericus iussent in testamento, eam vendi Titio mille aureis v. g. quia ipse non contrahit cum Titio, hic enim eo viuente non consensit ei emptioni, & si consentit post eius mortem, non contrahit cum testatore, sed cum venditore laico. a

4 Dico secundò ex consuetudine in multis locis non habere exemptionem bona patrimonialia multorum Clericorum. In Hispania ex consuetudine bona Clerico-

a Fragos. in regim. reip. p. 1. l. 2. d. 4. §. 3. n. 317. Lasarte de Decim. vendit. c. 19. n. 40.

Clericorum in minoribus constitutorum soluere tributa docet Suarez contra Reg. Angl. l. 4. c. 27. & alios citat Diana 1 p. tr. 1. resol. 35. asserentes in quibusdam Regnis Clericos in minoribus constitutos, si beneficium non habeant, nec Ecclesiæ alicui inseruiant, non eximi ab onere Gabellarum, inter quos est Lessius de iust l. 2. c. 33 d. 5. n. 38. Quæ consuetudo vt sit licita, supponitur à Summo Pont. approbata. Iusta autem causa eam approbandi, est commodum Principum, qui ob multitudinem huiusmodi Clericorum graue damnum paterentur, si eorum bona essent exempta. Vbi locorum illa consuetudo sit, & an in Ditione Mediolanensi vigeat, Nescio, viderint laici, & diligenter de ea inuestigent, ne censurarum nodis innodentur.

5 Dico tertiò iura, & rationes eximere ab oneribus bona patrimonialia Clericorum. Iura quidem, quia vniuersaliter loquuntur, atq; non solum Ecclesiastica, sed etiam patrimonialia Clericorum comprehendunt. Et in bulla cęnæ can. 18 & cap. non minus de immun. Bona Ecclesiarum, & Clericorum eximuntur ab oneribus laicalibus, quę bonorum distinctio ostendit per bona Ecclesiarum intelligi Ecclesiastica, per bona autem Clericorum intelligi patrimonialia, & capita 1. & 3 de immun. Eccl. in 6. idem suadent. Potuit autem Papa id statuere, quia habet eamdem autoritatem in bonis patrimonialibus Clericorum, quam Princeps laicus in bonis laicorum iuxta Abbatem in cap. Constitutus n. 3. de relig. dom.

6 Prima ratio est illa, quia bona sequuntur personam, vt docuit Felinus, *a* eiq; sunt accessoria, & ideo obligari bona non possunt, quin grauamen, in personam feratur, eamq; obliget ad ei satisfaciendum.

a Fel. in c. Eccles. de const. n. 8. u. & similiter infert.

At

At lex laica Clericos obligare non potest, atq; adeo nec circa eorum bona aliquid disponere, cùm non possit obseruari, nisi per personam, in quam nulla est laicorum iurisdictio. Et si auferantur aliqua bona Clericorum ipsis nolentibus, vt onera soluant; fit eis iniuria, cùm rebus suis priuentur ab ijs, qui nullam in eos habent iurisdictionem, quod maximè verum erit, si vis aliqua inferatur eorum bonis, licet non inferatur personę. Secunda ratio est, quia Papa potest bonis patrimonialibus Clericorum onera imponere, si ergo Princeps Laicus id posset, deterioris conditionis essent Clerici, quàm laici, cùm his Princeps tantùm laicus possit iubere onera, illis tum hic, tum Ecclesiasticus. Tertia ratio est quia cùm persona est exempta à iurisdictione, videtur etiam esse exempta à tributis, nam tributorum impositio est actus iurisdictionis, at persona clericorum est exempta à iurisdictione, ergo erit etiam exempta à tributis.

7 Quòd si dicas: Subditus Ducis Parmæ v. g. habitans Parmæ, & habens bona in ditione Mediolanensi, non est subditus Principi Mediolanensi, & tamen bona grauari possunt. ergo etiamsi Clerici non sint subditi Principi laico, poterunt eorum bona, quæ non sunt Ecclesiastica, ab hoc grauari. Respondeo disparem esse rationem, quia Clericus ob sua priuilegia, neque actu, neque aptitudine est subditus nunquam enim trahi potest ad forum seculare, nec à Principe laico vi iurisdictionis cogi; at laicus extraneus extra ditionem manens, licet actu non subijciatur iurisdictioni Principis, extra cuius ditionem est, aptitudine tamen est subditus, quia si transferat domicilium in eius Principatum, ei erit subditus. Imo ratione bonorum censetur actu esse in

eo loco

eo loco, in quo ea sunt, atque ideo censetur eius iurisdictioni subiectus, cùm censeatur esse in loco ei subiecto, licet per accidens dum manet in alia ditione non sit ei quo ad personam subditus, & eo impedimento sublato fit talis. Clericus verò, siuè in eius ditione sit, siuè non, nunquam eius iurisdictioni subijcitur.

8 Adde quòd sicut ęquum est, vt viri insignes in rep. eximantur à tributis ratione bonorum patrimonialium, ita etiam vt personę Deo dicatae. Demum tributum est signum subiectionis laico Principi, at Clerici non sunt ei subiecti neque quoad personam, vt est certum, quoad bona Ecclesiastica, vt supra diximus, neque quoad patrimonialia, quae cùm sint accessoria personae, sequuntur naturam Principalis Reg. Accessorium de reg. iuris in 6.

9 Nec refert quòd ea bona sint merè temporalia, & Clericorum, non vt Clericorum, sed vt Ciuium, & vt Dominorum temporalium; nam Clerici sunt simpliciter exempti, atq; adeo etiam vt ciues, & vt temporales Domini. Ita Suar. contra Reg. Angl. l. 4. c. 24. & 25. Qui damnat tamquam iniquam consuetudinem contrariam, nisi sit à Papa approbata. Posita autem hac approbatione supererit examinandum, an per bullam cænę singulis annis reuocetur; de quo viderint alij. Mihi enim satis sunt quae dixi. Videri de dictis potest Thuscus, u Bona patrimonialia Clericorum Concl. 114. Lugo de iust. & iur. t. 2. d. 36. sect. 7 num. 103.

10 Ex dictis patet quoad exemptionem à tributis de iure bona patrimonialia Clericorum, æquiparari bonis Ecclesiasticis, licet non sint sacra, vt hæc, & ad pios vsus destinata, quia exemptio hac non nititur

Sanctitate

Sanctitate, sed absoluta exemptione personæ, cuius ea bona sunt, cuique adhærent. Ius autem tributorum inhæret bonis non per se, & absolutè spectatis, sed ratione personarum, sub quarum dominio sunt, quare si persona est omnino exempta, etiam eius bona sunt exempta. Ita sentiunt pleriq; Doctores, tum Theologi, tum Canonistæ, tum Iuristæ, citat Diana multos, *a* cum decisione Rotæ Rom. in vna Albanensis Gabellæ die 28. Iun. an. 1630. coram Merlino, quæ asserit dicta bona patrimonialia Clericorum esse immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personarum, quę dignitas influit immunitatem in ipsa bona, illa enim ad hęrent personę Clerici, nec persona dici potest plenè, & perfectè exempta, nisi etiam illius bona exempta sint.

a Dian. p. 1. tr. 2. res. 39. & 3. p. tr. 1. res. 26. Greg. Lopez, Rou/tum Antonium de Morin. s. Martham, Imol. Rimin. iun. Archid. Bald. Gemin. Barbos. Tambu-rin. Castr. Paulum Suar. Filliuc. Layman. Regin. Less. Azor, & alios.

12 Contrariam opinionem tenuere aliqui, vt Bobadilla tomo Primo l. 2. c. 18. n. 260. vbi citata lios. *b* etiam Nauar. id tenuit in man. cap. 27 n. 118. qui tamen cap. 17. n. 202. sibi contrarius videtur, cùm doceat incurri censuras bullę cænæ ab ijs, qui exigunt à Clericis pedagia, aut exigi iubent etiamsi quod vehunt, sit de eorum patrimonijs. Addi potest Carolus de Grassis de effect. cleric. effect. 3. n. 178. vbi vult Clericos debere vectigal, si fructus collectos ex proprijs prędijs vel Ecclesiastcis vellent aliunde exportare, vt carius venderent, quia censet id esse negotiari. Quod fundamentum est falsum, vt ex lessio, Molina, Alterio, Duardo, Maldero, Tannero, Rebellio, & alijs probat Diana tr. 1. res. 26. 5. p. Addi etiam possunt Melchior Phębus apud eumdem, Palatius, Azeuedus, Ramirez, qui censent Clerico quoad bona pat imonialia reputari vt laicos.

b Glos. in c. similiter. 16. q. 1. & ibi Archid. Glos in c. Episcopor. possessiones ead. q. 4. glos. in cap. quam quam de cens in 6. vbi Decius dicit esse communem opinionem O di. Autrer. matr. de afflict. Ficardũ, Couar. Io: Andr. specul. Card. Felin. Ba. bà. B: rtachin in u. Clericus conuenitur ve f. Clericus regulariter, Cacheranum Decianum Germanium.

Vides nullum Theologum censere bona patrimonialia

nialia Clericorum subiacere tributis à laico Principe impositis, Aut ob ea trahi posse ad seculare tribunal, quod fieri posse negant Tiraquellus, & Farinacius hic supracitati initio capitis n. 1. qui aduertunt contrarium sentientes non loqui de iure, sed de consuetudine locali. Couarruuias pract. q c. 31. n. 5. u. 2. Sigismundus Scaccia l. 1. de iudic. c. 11. n. 3. Villallobos in commun. opin. u. Clericus n. 70. Suar. l. 4. cõtra Reg. Angl. c. 14. n. 11. Castr. Palaus. t. 2. tract. 12. d. vnic. pun. 7. n. 2. vbi prædictos citat, & alij.

12 Qui locum bullæ cænæ vetantis imponi onera Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis super bonis, fructibus eorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & beneficiorum, explicant quòd distinguantur eorum bona à bonis Ecclesiarum &c. non quia per eorum bona intelligantur patrimonialia, sed quia intelligantur vel ea bona quæ singularibus personis Clericorum applicantur, vel fructus, qui collecti in eorum dominium transeunt: idq; posita opinione probabiliori asserente Ecclesiasticos esse dominos bonorũ Ecclesiasticorum: In alia autem opinione asserente esse tantùm administratores, non possunt intelligi nisi fortè bona eis data in patrimonium, vt possint Ordines sacros suscipere, quæ post eorum Mortem in ius laicorum redeunt. Quæ explicatio etiam retineri potest in alia opinione; Quare cùm sit difficile huiusmodi explicationes impugnare, cùm nullum ius declaret, quid per eorum bona intelligatur; solùm rogabo hac in re Principes, ac Magistratus, ne errent, vt Doctores Theologię peritos diligenter consulant, suorumq; locorum approbatam à Sum. Pontifice consuetudinẽ. Qaod in alijs etiã rebus ad conscientiã spectantibus vt faciant enixe precor, nec Iuris consultorum aliquo-

aliquorum tantũmodo sententię acquiescant, etenim, vt ait D. Thomas quod l. XI. a. 9. Decretistę plus sequuntur ius humanum, quàm diuinum, & ideo errant; illudq; eiusdem paruis mutatis vsurpari potest. Inconsonum, & Derisibile est vt conscientiæ quietem, & animę bonum qærentes (ait ille) Sacrę doctinæ professores iuristarum glossulas in autoritatem inducant. Opusc. 10.c. 13.

Certè cap Quamquam de cens. in 6. dicit Res proprias Clericorum esse exemptas, quas non causa negotiandi deferunt. Verùm per res proprias dicent intelligi res ab ipsis emptas ad suum vsum, aut donatas, aut aliter acquisitas: nec esse sermonem de bonis patrimonialibus; Quę explicatio non tollit, quin bona patrimonialia Clericorum sint res proprię ipsorum, vnde videtur explicatio aliquantulum limitata.

CAPVT XXV.

An imponentes onera Ecclesiasticis exigentes ea imposita, aut non impedientes exigi, sint excommunicati.

1 *Adducuntur iura imponentia excommunicationem.*
2 *Verba bullæ cęnæ in canone 15. & 18. adducuntur.*
3 *Principes, ac Magistratus grauantes Ecclesiasticos oneribus non debitis, sunt excommunicati.*
4 *Consuetudo contraria non excusat ab incurrenda ea censura.*
5 *Nec priuilegia olim concessa.*
6 *Quomodo non excuset ab incurrenda excommunicatione statutum grauans bona non nominans Ecclesiasticos expressè. Quomodo ea vitari possit.*
7 *Tacitus Papę consensus non satis est, vt licitè grauentur Ecclesiastici.*
8 *Non excusantur ab excommunicatione laici imponentes onera Ecclesiasticis, ne laici nimis grauentur, aut ob defensionem Reipub.*
9 *Non est probabilis, nec communis opinio concedens onera posse imponi à laico Principe, & ideo non excusat ab excommunicatione.*
10 *Laici imponentes onera Ecclesiasticis sunt excommunicati etiamsi ea non exigant.*
11 *Exigentes ea onera sunt excommunicati. Et an requiratur vt simul imponantur, diuersitas est sententiarum.*

12 *Im-*

12 *Imposita onera Ecclesiasticis recipientes ab ipsis etiam sponte dantibus, incurrunt excommunicationem, secus si non sint imposita.*

13 *Quandonam à sponte dantibus recipientes non incurrant excommunicationem.*

14 *Directè, vel indirectè quomodo grauentur Ecclesiastici.*

15 *Cooperantes impositioni prædicta incurrunt excommunicationem, & qui hi sint.*

16 *Non impedientes exactiones ab Ecclesiasticis, aut statuta contra ipsos, an incurrant excommunicationem.*

1 Es est certa ob texrus, qui imponunt excommunicationem imponentibus, & exigentibus onera ab Ecclesiasticis, aut eorum bonis, vt Cap. Quamquam de cens. in 6. cap Aduersus de immun. Clement. Quoniam de immun. cap. Nouerit de sent. excom. ac demum Bulla cęnę in can. 15. & 18. De quibus vide Duardum: In Concilio Rom. 6. sub Symmacho Papa celebrato anno 504. vendicantes indebitè bona Ecclesiastica, siuè mobilia, siuè immobilia, decernuntur anathematizandi, vt hęretici, nisi restituant: Concilium etiam Tridentinum Ses. 22. cap. 1. de reform. inhærens alijs concilijs excommunicat vsurpantes bona Ecclesiastica, fructus &c.

2 Verba autem bullæ cænæ Canone 15. hęc sunt, excommunicamus, qui statuta, ordinationes, constitutiones, Pragmaticas, seu quęuis alia decreta in genere, vel in specie ex quauis causa & quouis quęsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis,

aut

aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ sedis Apostolicæ, ac quarumcumque Ecclesiasticarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Illa autem Canonis 18. hæc sunt. Excommunicamus qui Collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & alijs personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, reditibus, & prouentibus huiusmodi, absq; Rom. Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur &c.

3 Ex quibus patet primò Principes, ac Magistratus iubentes Ecclesiasticos onera soluere, aut subire non debita, vt sunt extraordinaria, & alia quæ sunt imposita postquam bona facta sunt Ecclesiastica, esse excommunicatos vi canonis 15. quia faciunt aliquid, quod lædit libertatem Ecclesiasticam, nam obligantur Ecclesiastici ad id, ad quod non sunt obligati, nec possunt vti priuilegio exemptionis ab oneribus, quod Pontifices, & Imperatores concessere, subijciunturque statuto laicorum, licet ab eorum subiectione sint exempti, & ideo in quamdam seruitutem rediguntur, cùm ei obedire cogantur, qui nō est suus superior.

4 Patet

4 Patet Secundò consuetudinem non excusare ab incurrenda censura, nam in textu sunt ea verba Prętextu cuiusuis consuetudinis.

5 Patet tertiò nec Priuilegia suffragari olim concessa, nam in textu vetantur prædicta statuta edi prętextu cuiusuis priuilegij. Si quis tamen à Papa haberet priuilegium, vt non obstante bulla cænæ posset statutum edere, quo obligarentur Ecclesiastici ad onera subeunda, illudq; ederet, non incurreret excommunicationem.

6 Patet quartò etiamsi in statuto non nominentur Ecclesiastici expressè, incurri excommunicationem. Si intentio sit eos comprehendendi, aut si tractentur, ac si essent comprehensi, nam textus ponit ea verba, *Tacitè, vel Expressè, Directè, vel Indirectè*. Vt excommunicatio vitari possit, oportet Principes, ac Magistratus declarare eo decreto non comprehendi Ecclesiasticos, nec permittere vt eis, aut eorum rebus, ac colonis molestia inferatur, vt onera extorqueantur. Quamuis enim verè non comprehendantur Ecclesiastici laicorum statuto, defectu horum iurisdictionis in ipsos, tamen si laici se gerunt, ac si illi comprehenderentur, faciunt contra immunitatem Ecclesiasticam, & incurrunt excommunicationem.

7 Patet Quintò non satis esse tacitum Papæ consensum, vt licitè grauentur Ecclesiastici, nam in canone 18. bullæ cęnę excommunicantur qui onera imponunt Ecclesiasticis, & exigunt abiq; speciali, & expressa licentia Romani Pontificis. Quare non satis esset esse petitam à Papa licentiam, & ab eo negatam, vt vitaretur excommunicatio, nam non

adesset

adesset expressa, & specialis, vt requirit textus.

8 An verò excusentur ab excommunicatione laici imponentes onera Ecclesiasticis, & exigentes sine licentia Papæ expressa, quia ob necessitatem id faciant, ac Pietatis intuitu, ne laici nimis grauentur, Aut quia id non fiat in vim iurisdictionis; sed ob defensionem reip. & in vim ęconomatus. Patere potest ex supra dictis in toto hoc tractatu, in quo ostendimus non adesse hoc tempore necessitatem extremam, nec Principes, & Magistratus ęconomatus defensione posse contra Ecclesiasticos se tueri: & præterea textus excommunicat imponentes onera Ecclesiasticis ex quauis causa, & quouis quæsito colore; Ac demum cùm adest Necessitas reip. alia iura præscribunt modum, qui seruandus est, vt licitè grauentur Ecclesiastici; qui cùm non seruatur, non vitatur excommunicatio: Nam licet demus adesse iustitiam causæ ex parte statuentium, necessitatem scilicet, aut bonum publicum, non tamen adest ex parte legis, ac statuti. nec statuentes habent aliquam autoritatem in Ecclesiasticos, & ideo ius alienum vsurpant, & consequenter grauiter peccant, & excommunicationem incurrunt. Vide Duard. in can. 15. bullæ cænæ q. 19. n. 113. Adde quòd licet dicant laici se id facere in defensionem reip. Non tamen ita est; nam resp. constat ex laicis, & Ecclesiasticis, tuentur autem ipsi vnam partem, Laicam scilicet, alteram nempe Ecclesiasticam, grauant, vt altera subleuetur.

9 Nec se tueri possunt laici quasi aduersa opinio sit probabilis, & ideo eam licitè sequi possint, nam supra ostendimus non esse probabilem cùm sit contra certissima iura expressa: ostendimus etiam non esse opinionem communem, & ideo non esse sequendam.

10. Im-

10 Imponentes ergo onera Ecclesiasticis, & bonis tum eorum, tum Ecclesiarum sunt excomunicati, etiamsi ea non exigant, nam in canone 15 bullæ cænę nulla exactionis fit mentio, sed impositionis tantummodo.

11 Vi autem canonis 18. incurrunt excommunicationem, qui dicta onera exigunt; An autem requiratur, vt simul imponantur, & exigantur, an verò satis sit exigi, controuersia est inter Doctores. Duardus ibi q. 4. requirit impositionem, & exactionem simul. Suarez verò de cens. d. 21. sect. 2. n. 99. satis esse vult alterutram earum, cum quo sentiunt Vgolinus in can. 18. bullæ cænæ §. 1. Sayrus ibid. Toletus ibidem Quorum autoritas pluris videtur facienda.

12 Cùm tamen sunt imposita onera Ecclesiasticis, ea recipere ab ipsis etiam à sponte dantibus non licet, & si recipiantur, incurritur excommunicatio, vt expressè habet canon 18. eiusdem bullæ cænæ. Quare si nulla essent imposita onera à Principe, vel Magistratu, vel Rep. aut Communitate, & nihilominus exactores ea ab Ecclesiasticis exigerent, non incurrerent excommunicationem bullæ cænę, quia in textu sunt ea verba, Et sic imposita etiam à spontè dantibus recipiunt. Sic sentiunt Duardus in can. 18 bullę cęnę q. 19 Vgolinus, Sayrus, Viualdus. Similiter si in impositione onerum non esset facta mentio specialis Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum, & nihilominus exactores exigerent illa ab ipsis iuxta eosdem Autores contra Alterium in can. 18. bullæ cænę cap. 3. non incurrerent excommunicationem bullæ cęnæ, sed illam capitis; Quamquam de cens. in sexto, vt docent Caietanus, & alij. [a]

[a] Caiet. in sum. u. excommun. c. 39. Nau. in man. c. 27. n. ... Consil. 6 de cens. in ... Prosper. Aug. ... Quaestam in sum. bullę cęnæ u. Vectigal limit. vlt.

Cùm autem bulla prohibet recipi onera imposita

etiam a sponte dantibus, intelligit, cùm recipiuntur, quamuis nulla vis, aut coactio intercedat, sed petuntur, & dantur ob impositionem, & quasi debeantur de iure, & multò magis si Ecclesiastici dent ad vitanda maiora incommoda, & molestias ab exactoribus, & alijs, etiam si nihil ab ijs petatur, sic enim dant inuiti, licet videantur sponte dare, nam ex circumstantijs rationem habent probabilissimam suspicandi vim esse ab exactoribus inferendam, vel sibi, vel suis rebus, aut colonis. Similiter cùm soluunt onera, quasi ea sint debita, dant non voluntariè, cùm dent ex ignorantia existimantes se esse obligatos.

13 Si verò scientes se non teneri, nec aliquid damni metuentes ab exactoribus, aut Magistratibus, & aliis, sponte aliquid darent, Recipientes nullam incurrerent excommunicationem quia illi omnino liberè donarent, vt docent Suarez, Duard. & alij. *a*

14 Cùm autem in bulla cenę excōmunicentur non solùm directè, sed etiam indirectè grauantes Ecclesiasticos, & ab iis exigentes, scias directè grauari, cùm ipsi Ecclesiastici immediatè grauantur, indirectè verò, cùm non ipsi, immediatè, sed mediatè, & consequenter, grauantur, vt cùm ipsorum cognati, Affines, aut Coloni vexantur oneribus, supra quàm debent grauari, nam grauamen hoc in Ecclesiasticos redundat qui vt liberent sibi coniunctos, aut colonos à molestia, soluent de suo, vel iis compensabunt, quæ exactores abstulerunt. Ita Azor, & Duardus, *b* Quid sit directè, quid indirectè grauare Ecclesiasticos Fusius explicat Lugo t. 2. de iust. & iur. d. 36 sect. 9. n. 135. cum seqq.

a Suar. de cens. d. 2. Sect. 2. n. 99. Duard. in cā. 18 bullę cęnę q. 16. Prosper Aug. addit. ad Quarant. in sum. bullę cęnæ n. Vectigal limit. vlt.

b Azor. p. 1. l. 3. c. 13. q. 7. Duard. in cā. 18. bullæ cænæ q. 17.

15 Nec solùm excommunicantur imponentes, & exigentes onera ab Ecclesiasticis sed etiam qui hæc procu-

procurant, aut auxilium, Consilium, vel fauorem pręstant; vt patet ex textu; Vnde cooperantes ad dicta incurrunt excommunicationem, cuiusmodi sunt, primò Tabelliones, scribentes statuta, & ordinationes illas: Secundò qui eas dictant, Tertiò milites, qui exactores comitantur vt onera imposita exigant ab Ecclesiasticis, vel eorum Cognatis, Affinibus, Colonis, vt ipsi exactores securiores sint, aut vt vias muniant, ne Ecclesiastici euadant: Quartò Satellites, siuè alij, pignora Ecclesiasticorum capientes, aut ea retinentes, aut qui eos citant, vel quid simile contra ipsos facientes. Quintò Tubicines, & alij ea statuta publicantes; Sextò qui modum docent, quo exigantur onera ab Ecclesiasticis, aut super quę bona Ecclesiasticorum sint imponenda demonstrant: Septimò qui ipsos Ecclesiasticos hortantur, eisq; dant consilium, vt soluant. Excipe nisi id facerent amicitiæ gratia, vt maiores molestias vitarent illi, in hoc enim casu non adiuuarent exactores, aut eos, qui onera imposuerunt, sed auxilium præstarent Ecclesiasticis ad vitanda maiora mala.

16 Dubium autem est, an non impedientes exactiones ab Ecclesiasticis, aut statuta contra ipsos, cùm possint, ac debeant ex officio, incurrant excommunicationem. Respondeo non incurri ab his excommunicationem bullæ cænę, quia hæc loquitur de positiuè concurrentibus, prędicti autem non concurrunt positiuè. Ita Alterius in can. 15. bullę cęnę, & Caietanus u. Excommunicatio c. 31. Vgolin. ibid. Verùm Suar. de cens d. 21. Sect. 2. n. 89. putat incurri. Dato tamen quòd non incurratur censura bullæ cęnæ, incurritur nihilominus illa Cap. Nouerit de sent. excom. & Cap. Quamquam de cens. in 6. quę non est reseruata-

CAPVT XXVI.

An qui onera imposuerunt Ecclesiasticis, & qui ab ijs exegerunt, teneantur ad restitutionem.

1 *Damnum iniustè illatum, est resarciendum.*
2 *Ideo compellentes ad onera indebita Ecclesiasticos tenentur damna eorum resarcire.*
3 *Siuè positiuę causę sint damnorum, siuè negatiuę, cùm ex officio tenebantur impedire ea.*

1 X toto hoc tractatu satis patet quid de hoc puncto dicendum sit, cùm enim quoties iniustè alicui damnum infertur sit resarciendum ab eo, qui illud dedit, si iniustè grauantur Ecclesiastici, qui grauaminum causa sunt, non solum grauiter peccant, sed & obligati sunt ad restitutionem, nec peccatum dimittetur à Deo, nisi fiat restitutio, dicitur enim cap. peccatum de reg. iur. in 6. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

2 Cùm igitur ad onera extraordinaria compelluntur Ecclesiastici, aut ad ordinaria, quæ bonis non erant imposita antequam in eos peruenirent, committitur graue peccatum mortale; Incurritur excommunicatio, subiturq; obligatio compensandi damnum

num, quod eis infertur. Quare non solùm tenentur compellentes ad restituenda omnia, quę sunt ab ipsis Ecclesiasticis soluta, sed etiam ad resarcienda quęcumq; damna passi sunt ob datum fideiussorem de oneribus soluendis, ob licentiam obtinendam capiendi possessionem bonorum de nouo acquisitorum, & alia huiusmodi. Nam sunt causa iniusta eius damni, atq; idcirco non solùm peccato sacrilegij sunt obstricti, sed & iniustitiæ, cùm nullum habeant ius grauandi bona Ecclesiastica, & ideo sunt obligati resarcire omnia damna cum consensu eorum causata. Nam is damnum dat qui iubet damnum dare l. 95. damnum ff. de reg. iur. & reg. Qui per alium de reg. iur. in Sexto; & is verè committit delictum cuius autoritate, vel mandato delictum committi probatur c. Mulieres de sent. excom.

3 Nec solùm ad hanc damnorum compensationem obligantur qui positiua causa eorum fuerunt, Iubendo, Hortando, Consilium dando, exigendo, auferendo &c. Sed etiam qui negatiuè concurrerunt ad ea, cùm ex officio tenebantur impedire illa, poterantq; auertere, & non impedierunt, nec auerterunt, cuiusmodi sunt magistratus, ad quos ex officio spectat iniustas actiones tum suas, tum aliorum impedire, & non impediunt, vt communiter docent Doctores, vt Petrus Nauarrus de rest. l. 2. c. 1. n. 10. & l. 3. c. 4. n. 120. Sayrus in claui reg. t. 2. l. 10. tr. 2. c. 1. & 13. & alij ex l. scientiam ff. ad l. Aquil l. In omnibus ff. de de nox. 16. l. fluminum §. quanquam ff. de damno infect. arg. a contrario sensu leg. nullum crimen ff de reg. iur. vt notat ibi Decius.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Qua ratione posſit ſibi Princeps conſulere in neceſsitate ſine Eccleſiaſticorum, & Populorum onere.

§. I. Tributorum recta moderatio id dabit.

1 *Parcendum eſt immoderatis tributis, ſunt enim cauſa tumultuum.*

2 *Aequaliter tributa ſunt imponenda, & exigenda, nec vnus alio magis grauandus eſt.*

3 *Inaequaliter impoſita onera ruina multorum, & iuſtarum querelarum ſunt cauſa.*

4 *Tributa ob neceſſitatem impoſita, ea ſublata ſunt extinguenda. alioqui multa euenient incommoda.*



Em ſanè difficilem ordior, quam breuiter attingere ad huius tractatus complementum operę pretium duxi. Totius rei cardo ſitus in eo eſſe videtur, vt Princeps Populos ſibi ſubiectos non in immenſum grauet, ſuis tamen neceſſitatibus, belli pręſertim tempore, ſubueniat.

1 Id conſequetur primò ſi immoderatis tributis parcet; cùm enim ea ſunt huiuſmodi, populus non rarò ad defectionem, & alios tumultus incitatur, quibus ſi occurrere velit Princeps, ad nouas impenſas

impensas cogetur, ad quas vires non suppetunt, si enim vires non habet ad se, & suam ditionem tuendam contra hostes, quomodo eas habebit contra tumultuantem populum suum, si fortè opus sit, contra quem nouum exercitum comparare necesse erit, cùmque ægrè vnus exercitus alatur contra hostes cū populorum pecunijs, & tributis, quomodo duo alentur, vnus contra eosdem hostes, alter contra subditos sine horum auxilio, & pecunijs? Immoderata autem tributa tumultuum esse sæpissimè causam, vetera rerum monumenta, vtinam non etiam noua, testantur. Scitum est illud, quod Ludouici Sforziæ Ducis Mediolanensis Legato accidit, missus hic fuerat ad Genuenses, vt magnam pecunię vim exigeret, fuit à primario viro oppiparè prandio exceptus, cùmque post prandium in amęno viridario deambularent, deque varijs rebus confabularentur, ostendit Legato hospes herbam, quæ dicitur Basilicus, aitque experire quæso quam suaue oleat hęc herba, naribus apposuit, suauique odore delectatus in sermone iam incepto persistebat, tum Hospes, Quæso Domine eamdem herbam manu preme, & odorare, pressit ille, odoratusque eam, graueolentem, insuauemque afflatum expertus, Heu me inquit, quàm à se ipsa diuersa est herba! Ita Domine, inquit hospes, Ludouico Principi accidet, si leniter populum tractabit, suauem sentiet, & obsequentem, sin grauius premet, ingrato rebellionis & inobedientiæ odore afficietur. Vt enim tondendæ sunt Oues, non deglubendę, teste Tiberio Cæsare, emungendumq. est Lac, non Sanguis eliciendus; sic à populis moderata sunt exposcenda, non intoleranda. In Achęum Lidię Regem vnde seditio excitata a Lydis?

Cothier in thes.pol. l. 2. C. X. §. Ludouicus.

dis? vnde in Romanos à Frisijs? Vnde in C. Caligulam à Romanis? vnde in Licinium Augusti libertum à Gallis? vnde in Roboamum ab Israelitico populo? Vnde excitata plebs Parisiensis Carolo Sexto regnante, & Burdegalensis retroacto sęculo, ac Leodiensis isto, anno videlicet 1602.& alibi quam plures exortæ sunt seditiones, & coniurationes ob tributorum impositorum, vel auctorum magnitudinem? In Auentinum plebs Romana ob nimia tributa à Patribus secessit. De imperio deturbatus Theodoricus Gallię Rex, teste Bodino lib. 6. Reip. c. 2. & Acheus Lydorum Princeps vita ignominiosè priuatus ob eamdem causam. Quorum ratio est quia si tributa nimium excrescant ad paupertatem rediguntur subditi, vnde vel ea soluere non possunt, vel si cogantur rebus sibi, ac familię necessarijs parcere, vt ea soluant, ad desperationem adiguntur, eaq. ineunt consilia, quæ Principibus sunt valde noxia. Aut si ad hæc non deueniant, quò rebus suis consulant, vt ius naturę concedit, fraudant vectigalia, merces alijs in ditionibus quærunt, vbi viliori pretio habentur, quę idcirco non importantur in ditionem tributis grauatam, atq; ideo, quò plus tributa augentur, eò tandem minor pecuniæ summa colligitur, quia pauciores merces deferuntur, cessatq; commercium cum exteris, & mercatores, & operarii vel ad alias regiones migrant, ibiq; suas artes exercent, ac forte de nouo in eas introducunt, cùm prius non nisi in ijs exercerentur, à quibus recesserunt. Cessantibus autem mercibus certum est ex vectigalibus multum detrahi; hoc autem non solùm ratio, sed & experientia docet. Quare isthęc potius minuerunt Darius Xersis Pater, Dux Romanus Cappadocię subactor, Carolus Sextus Francorum

Francorum Rex, M. Antonius Imp. teste Capitolino, non solùm imminuit, sed & remisit, vt etiam Constantinus Imp. Frenes. Imperatrix Mater Constantini Sexti, Pertinax Imp. & alij sapientissimi Principes.

2 Secundò Id consequetur si æqualiter tributa imponantur, ita vt vnusquisq; imposita soluat iuxta facultatum proportionem, quod Indi Reges optimè seruant, teste Alexandro ab Alexandro l. 4. Gen: c. 10. qui Liuium l. 26. legerit, animaduertet infremuisse vsq; ad seditionem ferè Populum Romanum, quia consules edixerant, vt priuati quiq; sæuiente bello cum Annibale in maxima remigum, & pecuniæ necessitate, remiges darent cum stipendio, & cibarijs; Verùm sedata fuere omnia, & magna animorum consensione datum quod imperatum fuerat, cùm ad idem Equites, Senatoresq; Romani sunt obligati M. Valerij Leuini Consulis consilio, vnde factum deinde, vt Resp. nec remigibus, nec stipendijs caruerit. Vidit etiam Florentia suos Ciues Cosmo Mediceo gubernante, in Ciuile bellum insurrexisse ob plura tributa à tenuioribus Ciuibus, quàm ob opulentis exacta, cuius tandem flamma extincta est eiusdem Cosmi prudentia iubentis ea tributa exigi iuxta cuiusq; facultatum censum, quo consilio omne seditionis periculum sedatum est. Quod si non fiat, illud tandem eueniet, vt debiliores nimis grauati succumbant, & in perniciem secum ad extremum ipsos potentiores trahant; cuius rei optimum exemplum suggerit ipsa natura in humanis membris, in quibus si robustiora in debiliora reijciant humores noxios, quos sua vi consumere possent sine vllo totius corporis damno, adeo aliorum membrorum debilitate excrescunt, vt vel cancer, vel alius

morbus exitialis oriatur, totumq; corpus ad extremam perniciem adducatur.

3 Si ergo inæqualiter tributa ſint impoſita, multos oneribus ſuccumbere, neceſſe eſt, qui plus oneris ſuſtinebunt, quàm vires facultatum ferant, aut certè onera ad alios ſpectantia ſoluent, atq. adeo duplici onere erunt grauati, proprio ſcilicet, & alieno, quod non niſi querelarum, & turbationum eſt cauſa, dum aliorum, vt Aulicorum, & Magnatum faſtus vident in ſuos humeros recidere, & quę ab illis in luxum fortè profunduntur, damna, & calamitates proprias augere.

4 Tertio id conſequetur ſi tributa ob neceſſitatem aliquam impoſita, hac ſublata, extinguat, nec cum Dionyſio Tyranno Siracuſano perpetuò exigat. Sic Adrianus, & Marcus Impp. Viceſimam hæreditatum ob bella indictam, pace ſuccedente ſuſtulerunt, Q. Metellus Nepos Prętor Romanus lege lata vectigalibus populum liberauit, Henricus Quartus Galliæ Rex noſtra ætate, cùm pacem iniſſet cum hoſtibus extraordinaria vectigalia bellorum neceſſitatibus introducta ſubditis condonauit. A Liuio, & Claudio Salinatoribus impoſitum ſalis onus ingruente bello cum Annibale, ſublatum eſt rebus ad tranquillitatem redactis.

Si verò tributa ob aliquam cauſam impoſita, ea cauſa ſublata ſtatim remittantur, vt iuſtitię leges expoſcunt, populi ſibi perſuadentes ad breue tempus duraturum impoſitum onus, facilius id ſuſtinebunt, & libentius neceſſitati ſubuenient. At ſi videant ceſſante cauſa, adhuc ſuſtineri, nouis impoſitionibus, exoriente alia neceſſitate reſiſtent, aut ſi nihilominus cogentur eas ſufferre, in nimium excreſcent tri-

buta

tributa, cum rebellionis periculo, nec Principi fidem habebunt promittenti earum durationis mensuram futuram præsentem necessitatem.

Ex quibus colligi potest optimam viam subueniendi Reip. necessitatibus esse moderata tributa æqualiter in omnes distributa, & si aliquando excrescere necesse sit ob vrgentem aliquam causam, sit augumentum istud ad breue tempus, non perpetuum.

§. *II. Superflui sumptus imminuantur, tum publici, tum priuati.*

1 Superflui sumptus, qui hi sint. Exactor quid sit. Puniti ab aliquibus Principibus exactores iniqui.

2 Superflui officiales, & exactores, ac milites mortui, sunt damnum populorum sine vtilitate Principis.

3 Non audiendi Aduocati, & Procuratores eorum.

4 Imminuat Princeps subditorum superfluos sumptus.

5 Mutuò accipiat à subditis partem pecuniæ, quæ expendebatur in eos superfluos sumptus, & eam reddat pace obtenta. Stet Princeps promissis tempore pacis factis, vt populi fidem ei habeant. Quanti fides sit facienda.

1 Præcipua sit Principis cura, Vt iminuantur superflui sumptus, cuiusmodi sunt illi qui fiunt in voluptates immoderatas, theatra, recreationes, & in milites, qui non sunt conscripti, dicunturq; Italicè, Piazze morte, vt dictum est supra; Illi etiam, qui in officiales non necessarios insumuntur, nam si eorum

multitudo minuatur, quod in eos expendendum esset, in publicum ærarium Principis inferetur, eiusq; vtilitati inseruiet, vt necessarijs sumptibus prouidere possit. Hùc pertinet exactorum, & publicanorum, & aliorum ministrorum numeri imminutio, nam quò pauciores erunt, eò pauciorum insatiabilis cupiditas erit explenda, populorumq; Minora erunt damna, & expensæ. Est enim huiusmodi hominum genus caput rapinæ, lex violentiæ, Prædo sine pudore, Medicus exterminij, vt aiebat D. Laurentius Episcopus, qui illud addidit, esse immunius furibus, quia fur timens furatur, hoc genus hominum delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet, hoc, quidquid fecerit legem putat; lex furem deterret ab illicitis, hoc ad iniquum malitię suæ compendium legem trahit; Tectosages idcirco enixè ab Henrico Secundo Gallię Rege contenderunt, teste Bodino, a vt has ęrarij hirudines amoueret à se, quos Henricus Quartus Galliæ item Rex magna ex parte sustulit, Et alij Principes idem præstitere, imo & capite eorum insatiabilem rapacitatem mulctarunt, vt de Ludouico Philippi filio, Carolo VII. Francorum Regibus, & de Londinensibus ab annalium scriptoribus memoriæ proditum est.

a Bodin. l. 6. c. 2. de Rep. apud Coch. Thes. polit. l. 2. cap. 10. § Narrat. Io Bodinus. & seqq.

2 Quæ enim ab ijs auferuntur, damna sunt populorum sine Principis vtilitate, imo cum eius facultatum detrimento. Quid enim Principi prodest octo v.g. esse duces ducentorum militum, si vnus ad eos ducendos, ac regendos sufficit? Quid prodest plurimas habere cohortes viginti militum si vna ducentorum satis est ad Regni, ac Principatus defensionem? Ducum, signiferorum, & aliorum, non militum numerus excrescit, cùm tamen Princeps militibus egeat,

non

non Principibus, in quos quicquid expenditur, ærario inutiliter subtrahitur, cum populorum damno. Idem de exactoribus asseritur, quorum numerus auctus populos opprimit, ac spoliat, non ęrarium locupletat. Quò plura autem huiusmodi humentes, & nunquam expletæ spongię ebibunt, eò pauciora possunt suo Principi, ac Reip. populi subministrare. Imo si eis suas mercedes soluat Princeps, vix habebit ipse tertiam partem tributorum, quę in suo reponat ęrario.

3 Nec eos audiat Princeps, qui Aduocati, ac Procuratores horum ęrarij, ac populi corrosorum causam suscipiunt, benemeritos eorum multos prædicando, multosque labores pro publica vtilitate exanthlasse asserendo, ęquumq; idcirco esse eos honoribus, ac beneficijs afficere, quo alacriori animo vtilitati Principis in posterum inseruiant. & ad idem pręstandum excitentur alij. Non inquam, huiusmodi Aduocatos audiat Princeps, proprię enim, & amicorum, non publicæ vtilitatis facti sunt oratores, nam si rectè omnia perpendantur, pauci admodum inuenientur inter tot officiales non necessarios, qui pręclara ediderint opera pro Principe, ac Rep. quare poterit benè de se, ac Rep. meritos in demandato semel honore conseruare, vel etiam ad maiorem promouere, alios vc plurimos amouere, qui si quid pręstitere pro Principe, ac Rep. plura etiam à Populis recepere, & à Priucipis ærario, ac liberalitate, quàm fortè mererentur. Nec ideo à Principis seruitio discedent, quin magis ad præclara opera egregiè pręstanda excitabuntur, si viderint in ijs se exercentes gratissimos esse Principi, muneribusq; & honoribus cumulari, atq; inter paucos id præstantes, vt per-

perueniant curabunt, nec à militaribus laboribus ſe eximent, cùm opus erit in ijs verſari, vt non rarò ſe eximunt ij, qui ſatis habent inter Duces, & Officiales connumerari ob ſtipendium, quod ijs datur, nec vnquam præclarorum Ducum numerum, aut munia explent.

4 Nec minor erit Principis vtilitas, ſi ſuos, quàm ſi ſubditorum ſuperfluos ſumptus aboleat, quò enim pauciora hi expendent, eò pluribus pecuniis poterunt illius neceſſitati ſubuenire. Quòd ſi iubeat dimidiam partem, quæ inutiliter, & ſuperfluè impendebatur à Ciuibus, in ſuum ærarium inferri, alteram verò medietatem eſſe in Dominorum lucro, non mediocriter ipſum ærarium augebit. Sit exempli cauſa, qui viginti equos alat, aut ſeruos, ſunt ei ſatis decem ad eius dignitatem, & conditionem optimè tuendam, iubeat Princeps pro Reip. neceſsitate impendi, quæ in quinq; equos, aut ſeruos impendebantur, ſic enim tum ipſa Reſp. tum ipſæ particulares perſonę in lucro multa reponent, neq; hi iuſtam querelarum anſam habebunt, cùm melius ſit publico conſulere, quàm priuatæ profuſioni, & prodigalitati. Quod de Equis, ac ſeruis dictum eſt, ad veſtes, iocalia, menſarum apparatus, & alia huius modi transferri poteſt.

5 Vtque mitius agat, non eam partem ſuperfluorum pro poteſtate obtineat, ſed ſibi mutuò dari profiteatur, atque integrè ſe reſtituturum promittat, ſtetque promiſsis præſenti neceſsitate amota. Sic à Rep. Rom: factum narrat Liuius lib. 31. apud Bodinum l. 6. de Rep. c. 2. exhauſto enim ærario ob diuturnum bellum cum Annibale, Populus libens non paruum in illud contulit pecuniæ ſummam de reſtitutione aliquando ſecurus. Vt autem fidem ei adhibeant

ant populi, curet, vt contractus tempore pacis ſecum initi integrè ſeruentur, ſoluatq; reditus illis, quibus debentur. Si enim populi animaduertant fidem Principis deficere in contractibus, & promiſſis olim factis numquam credent eam ſeruandam in poſterum in iis, quæ ob neceſsitatem fiunt, quare meritò Demoſthenes *a* inter opes Vrbis fidem annumerauit, & Iſocrates *b* Nicoclis Regis animo illud inſerere conatus eſt, vt verbis ſuis maior eſset fides, quàm aliorum iuramentis; Nihil enim eſt quod magis Principem deceat, quàm vt verbis ſu's fidem prçſtet, aiebat optimus Princeps Leo, *c* veriſsimum ſiquidem illud Principis hiſtoricorum eſt *d* Niſi in fide ſtet Reſp. opibus non ſtaturam. Nam quis ſuas opes fidat ei, cui fidere decipi eſt? Neq; idcirco immeritò Arragoniæ Rex Alphonſus annuit dicenti, Decere Principem non tantùm ea, quç verbis promiſit præſtare, ſed & ea, quæ nutu tantùm affirmauit, Vnde Sigiſmundus Imp. cùm exigenti promiſsa militi reſpondiſset, Immoderata fuit, ò amice, petitio tua, illeq; ſubieciſſet, Poteras negare cùm peterem, nunc autem ſine turpitudine, quod promiſsum eſt reſcindere non potes, promiſſa conceſſit illud addens, ſi ex duobus alterum me facere opportet, aut immoderatç ſcilicet petitioni aſſentiri, aut fidem fallere, Rerum, quàm famç iacturam ſubibo. Tanti ſemper Sapientiſſimi Principes fecere promiſsis ſtare; ſciebant enim fidem magnum parere Principi Theſaurum, cùm omnes facilè ei pecunias, & opera ſubminiſtrent, quem ſciunt fidei tenaciſſimum eſſe: Cùm verò eum promiſſorum vident nihili iacturam æſtimare, nec ſe, nec ſua ei credunt.

a De noſt. or. in Philip. 3.

b Iſocr. or. 2. ad Nicoclem.

c Imp. Leo nou. conſt. 9.

d Liu. l. 3. Panorm. l. 3. Aen. Sylu. l. 2. de rebus geſtis Alphonſi.

§. *III*.

§. III. *Inuigilet Princeps supra administratores sui ærarij, Nec patrimonium alienet.*

1 Præponat prudentes, ac fideles viros suo ærario Princeps, & ab ijs rationem exigat singulis annis. Perfidi aliqui puniti à Principibus.

2 Non alienet, nec alienari permittat patrimonium, & reditus suos. Principes alicubi iurant se non illos alienaturos. Patrimonium Principis est dos reip. ei data.

3 In maxima necessitate possunt prædicta alienari, cùm ea necessitas est auferenda, non autem cùm est duratura.

4 Cùm patrimonium est alienatum, & adest necessitas, vel reuocandæ alienationes factæ, vel prohibendum ne ad emptores reditus integri perueniant.

5 Ditatis ex ruina Reipub; ac Principis imperet sumptus publicos.

1 Ad Principis etiam ærarium augendum, non contemnendum illud remedium arbitror, vt eos reditibus suis administrandis præponat, qui prudentes, fideles, & minimè auari sint, & dati, acceptique rationem ab ijs singulis saltem annis exigat: nisi enim prudentes sint, ineptè expendent accepta, facilèque vacuabitur ærarium, ex quo illud consequetur, vt populos nouis tributis, & oneribus grauari necesse sit: si auari erunt, Quę ad publicam vtilitatem, & ad Principis voluntatem consumere deberent, ad proprium commodum varijs artibus retorquebunt & nisi fideles sint, ærarium expilabunt, eruntque ipsius

non

non custodes, sed prędones, & quemadmodum ouium non est lupus idoneus custos, sic nec ęrarium sub eorum cura erit, sed ipsorum præda fiet. Hęc mala magna ex parte vitabit Princeps, si ab ipsis ministris publicę pecunię rationem exiget, reddendę enim rationis metus in officio apprimè continet, si pręsertim puniendos eos administratores sciant omnes, qui sui muneris malam reddent rationem. Suspendio puniuit eum, qui male in pecunię administratione se gesserat Ludouicus Philippi Regis filius; sacco alium eodem crimine damnatum insui iussit Carolus Septimus Galliæ Rex, necatusq; illius damnati successor ob eandem causam, viuum flammis vorandum præbuit alium ærarij expilatorem Carolus Sextus: *a* Capite damnati alij à Londinensibus, Regnante Ricardo Edoardi filio, *b* qui Fisco abutebantur, quibus seueritatibus aliorum perfidia compressa est.

a Cochier. in thes. polit. l. 2. c. . o. §. Galliæ etiam Regges cum antec. & c. 21. §. Carolus VI.

b Frossardus l. 3. Galliæ reg.

2 Illud etiam non reijciendum puto remedium, vt videlicet Princeps, cùm est in necessitate, tempore v. g. belli, nec habet, quo milites alat, concedat subditis, vt pecuniam erogent ipsi bello necessariam, & vt fideliter dispensetur, militibusq; stipendia persoluantur, concedat, vt tota sua ditio, seu populus eligat, & constituat ex sua communitate eos, per quorum manus illa pecunia est dispensanda, sic enim fiet, vt in singulos milites ea distribuatur, nec ad paucorum tantummodo manus perueniat sine ipsius Principis, ac Reip. vtilitate, maxima vero eorum paucorum, quibus ea committitur. Libentius etiam populus, & ditio tota nummos persoluent, si scient vnumquemq; priuatum militem habiturum suę militiæ pretium, quo habito latrocinia, & rapinæ non sequentur, vt sequi necesse est, cùm miles non habet sua stipendia.

Displicebit hoc remedium Principis pecunię dispensatoribus, & exactoribus, at toti placebit Principatui, qui minus idcirco grauabitur, cùm à se ipso sit grauandus, atq; adeo non supra suas vires, vt fit cùm ab alijs grauatur. Tributa v. g. & alia onera in ditione, in qua est bellum, auferantur maiori ex parte, cùm ex iis non recipiat exercitus sua stipendia, & in ærarium Principis parum inferatur, vnde semper est in egestate, cum hoc pacto, vt modum inueniat ditio, quo alat exercitum, & sumptus bello necessarios suppeditet, libenter, vt puto, tota ditio id amplexabitur, modò pecuniam ipsa administret, sciet enim ad quos ea perueniat, nec in plurium exactorum, quàm par est, & aliorum huiusmodi ministrorum sustentationem cogetur eam sine vtilitate impendere, in quorum sinum ea pęne tota effunditur. Constituet v. g. iuxta bonorum ęstimum, & capita aliorum bona non possidentium proportionatam vnicuiq; summam, vt milites extra priuatas domos excipiantur, nam si Ditio v. g. Mediolanensis sublatis aliis oneribus vnicuiq; perticæ imponat pro eo hospitio viginti asses, vicies supra alia quingenta millia centena millia aureorum ferè colligentur, quæ satis erunt ad alendum exercitum quindecim saltem millium militum, & ad alias expensas exercitus, & supererunt alij reditus etiam qui ex aliis prouinciis aduehentur, & habebuntur ex mercibus, Sale, & similibus. Quod onus 20. assium licet sit graue, erit tamen tolerabile cęteris sublatis. Verùm hæc dixisse sufficiat, vt detur argumentum aliis excogitandi aliquid aliud, quod in Principis simul, ac populorum vtilitatem redundet, & minori, quo fieri potest ditionis incommodo bellum geratur.

3 Vltimo

3 Vltimo Cauendum maxime Principi puto, ne patrimonium suum ipse vendat, vel à Ministris alienari permittat, eo enim diuendito nihil habebit Princeps, quo se sustentet, ac publicis succurrat necessitatibus, bellorum præsertim tempore. Quare nouis oneribus subditos necesse habebit grauare cum maximo euertendæ reip. periculo. Vt hoc vitetur maximi Principes Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Poloniæ, & alij, teste Bodino *a* solemni iure iurando se obligant abstinere ab huiusmodi alienatione; Et Pertinacis Imp. sententia fuit solum vsumfructum patrimonij publici spectare ad Principem, & hunc ad subueniendum reip. domusque suæ necessitatibus, est enim veluti dos, quam Principi tamquam marito dat Resp. & ideo ad illud alienandum totius Reip. consensus videtur exigi l. Remp. C. de iure reip. & l. fi. secundum legem eod. quod arguit diligentissimè seruandum esse patrimonium publicum fruendumq; ipsius fructibus, quo Princeps se, ac remp. sustentet, bellorumq; sumptibus sufficiat. Si enim vendãtur reditus singulis annis soluendi Principi, quo modo alet se Prĩceps? quomodo necessarias pro reip. defensione expensas faciet? Quomodo stipendia magistratibus, militibusq; soluet? Vt hęc præstare possit nouis tributis, & exactionibus grauandi erunt populi cum intestinorum tumultuum periculo. At necessitas tanta esse potest, vt videatur carere remedio Resp. nisi prouentus annui publici alienentur, nam extremis malis extrema remedia sunt adhibenda.

a Bodin. l. 6. de rep. c. 12.

Respondeo hoc remedio numquam esse vtendum, nisi cùm prudentissimè creditur futurum, vt Resp. grauissime laborans conualescat; cùm scilicet cessante pręsenti ea necessitate, cui subueniendæ parantur pe-

cuniæ cum redituum annuorum alienatione, libera erit a bellis Resp. Cęterum si alienentur reditus vt vnius diei, aut mensis, vel etiam anni indigentiæ publicę subueniatur, quæ sequenti die, mense, aut anno perdurabit, imo augebitur, non esse prudenter facturos eos, qui hoc consilii caperent, puto. Ex annuis reditibus exempli causa Mediolanensis ditionis, vt supra vidimus, ad tricies centena millia aureorum colliguntur, quæ in ærarium publicum inferenda sunt; si vendantur hi reditus, subuenietur quidem ingruenti alicui necessitati Principis, cui si non subueniatur, maximum periculum adibit Resp. at aliud maius incurretur, Non habebit scilicet Resp. quomodo sibi consulat futuro tempore in eadem, imo maiori necessitate, cùm enim sine reditibus sit, nec ideo possit milites alere, nec aliis, quæ tempore belli accidunt, calamitatibus, seu necessitatibus prouidere, aut eam extremum agere spiritum necesse erit, aut ea remedia adhibere, quæ ad vltimam perniciem populos adducant. Secum ergo sic reputet Princeps, & cum eo Ministri ipsius, cùm de vendendis reditibus deliberant: His diuenditis, vt miles v. g. in aliena Prouincia conscribatur, eo in nostras regiones adducto ex quibusnam pecunijs ei stipendia soluemus? quibusue itidem pecunijs necessarios contra hostes sumptus sustinebimus? oneribus, ac tributis satis oppressus est populus, nouis eum onerare, nihil aliud est, nisi aut ex lapidibus aquas velle elicere, cùm maxima pars ad paupertatem, seu potius extremam inopiam sit redacta, aut seditionum fomitem ei pręberе. His visis quod consilij capient post alienatos reditus, hoc ante alienationem suscipiant, à ditioribus mutuo accipiendo, ea alienando, ex quibus nulli,

aut

aut exigui reditus colliguntur, magni tamen ęstimantur ob annexum honorem, ac dignitatem, & alia huiusmodi, quæ Sapientes Ministri, & Consiliarij excogitabunt.

4 Cæterùm si eò redactus sit Princeps, & Resp. vt reditibus annuis se priuarit, satius existimarem paucis damnum aliquod afferre, quàm toti populo, vel scilicet reuocare alienationes redituum factas, vt Franciscum Secundum Gallię Regem fecisse refert Bodinus l. 6. c. 2. de rep. cum promissione reddendi emptoribus integram summam in emptione redituum erogatam, cùm reddita pace pinguiori vtetur Rep. vel prohibere ne redituum emptoribus ij integrè persoluantur, sed in publicum ęrarium inferatur maxima eorum pars. Nam & ijs satisfiet aliqua ex parte cùm pecunijs aliquibus respergantur, nec priuentur integro emolumento nummorum in emptione annui reditus exbursatorum, vnde se ipsos, ac familiam commodè alere poterunt, & Princeps illud consequetur, vt Populis maximè pressis ob tributa parcat, ac publicis necessitatibus consulat. Quod vt præstet, illud animaduertat, emptores illos vili admodum pretio eos reditus comparasse; mille enim aureis non raró emitur, quod centum, & forte amplius reddit annuatim; & ex his mille aureis vix ducenti Principi ipsi obuenerunt, vel ob ministrorum improbitatem, vel ob emptorum industriam, qui pretii loco assignant, quod Princeps aliis debet quingentos v. g. aureos debitos Titio, quos ipsi quinquaginta idem Titio numeratis emerunt. Vnde Princeps ęs alienum quingentorum v. g. aureorum soluit cùm tamen creditor non recipiat nisi quinquaginta, quod sine vtilitate Principis contingit, & maximo creditorum ipsius

damno

damno: Inde oritur vt populi dare Principi nolint pecuniam mutuam, quia non sunt eam integram recepturi, sed cum magna diminutione, quæ diminutio non Principis vtilitati, seu ærario cedit, sed vnius priuati mercatoris, aut administratoris. Quodq; in summa pecuniæ accidit, in vsuris non rarò etiam euenisse videmus nam cùm debentur alicui mille nummi v. g. pro capitali quindecim millium aureorum, fingunt, administratores pecuniæ Principis non posse fieri solutionem, creditores idcirco munera non exigua mittunt ipsis, cum ijsq; conueniunt vt medietatem fructuum soluant, aliam sibi retineant, quam conditionem libenter accipiunt illi administratores, aut ne id innotescat, creditum illud emunt vili admodum pretio, mille v. g. aureorum creditum emunt quingentis, finguntq; non rarò non se illud emere, sed alium esse emptorem, quem tamen ipsi submittunt, & palliato nomine omnia præstant; In rationum autem redditione totam summam esse persolutam nomine Principis scribunt. Quare nullum hinc Princeps commodum percipit illi autem maximum, vt patet, cùm ad Principis ac Reip. vtilitatem modica admodum pars aut forte nulla pretij conuertatur, & ideo nec præsenti necessitati ipsius subueniatur.

Cùmque ita sit, vt experientia docet, emptores redituum ex ipsis exiguo tempore perceptis, se indemnes à summa pecuniæ exbursata constituerunt, maxima saltem ex parte, vnde perexiguum emolumentum satis est ijs superesse cùm summa pecuniæ, vel tota, vel magna ex parte sit ab ipsis recepta. Promittat tamen cum ad meliorem fortunam peruenerit, se integram illam summam erogatam redditurum, eamq; vere reddat, cùm ad pristinum diuitiarum pace cum hostibus inita, statum reuertetur. 5 Cum

5 Cum hoc remedio illud addat, vt diligenter aduertat, quinam ex ruina ipsius Principis, ac Reipub. ditati sint, & ab his exprimat partem non modicam eorum, quę ebiberunt. AEquum enim est hos præ cęteris subuenire Reipub. ac Principi, qui eorum bonis priuatam rem auxerunt, tum vt cæteri discant non nimis augeri felicitate in publicis ruinis, tum vt sine populi totius damno resp. conseruetur, tum demum quia ea bona tam iniquo tempore acquisita, dempta iniquè videntur ęrario Principis, ac Reip.

CA

CAPVT VLTIMVM

Totius operis summa.



Ecclesiastici obligantur legibus Principis laici, si non sint contrariç Sacris canonibus, nec libertati Ecclesiasticæ. Et ideo legibus, aut Statutis, vel decretis Principum Laicorum onera bonis imponentium non tenentur. Nec est aliqua Lex siuè Ciuilis, siuè Ecclesiastica, quç eos ad id obliget, licet aliquç adducantur. Nec Princeps Laicus potest Ecclesiasticorum exemptionem, vel auferre, vel imminuere, cùm eam Papa Christi Domini auctoritate concesserit, in eamq; Principes Catholici consenserint. Quare Ecclesiasticos grauare non potest, siuè potestate iurisdictionis, siuè çconomica, & Ciuili, seu iure defensionis Reip. intellige extra extremam necessitatem cùm ea æconomica, seu Ciuilis potestas sit figmentum. Cùm autem necessitas reip. videtur exigere, vt Ecclesiastici concurrant ad eam subleuandam, Episcopus, & Clerus debent examinare, an laicorum facultates sufficiant, & quantitatem contributionis decernere, postremo Rom. Pontificem consulere. Nec vmquam Ecclesiastici compellendi sunt à laica potestate ad aliquid Reip. soluendum, sed ab ipsorum legitimo Iudice sunt compellendi; nam in Ecclesiasticos, aut eorum bona nihil potest laica potestas: sunt enim ea bona sub Christi Dominio, & Dei, ac cultui Diuino conseruando, & eius Ministrorum, ac pauperum alimentis destinata. Nec, si Papa non

consensit, vt Ecclesiastici contribuerent tempore præsentis belli, quicquam iniustè egit, cùm non sit tanta necessitas, vt laicorum facultates non sufficiant, & possit ea necessitas auferri si velint Principes, & Magistratus, iustitiam cum omnibus seruando in onerum diuisione, & rectè pecuniam publicam administrando, ac superfluis sumptibus parcendo.

Prętereà non tenentur Ecclesiastici ad onera à Principe laico imposita ob necessitatem reip. quia eorum bona directè non defenduntur, & quia in rebus alijs Reip. inseruiunt, & si tenerentur, satis esset sua mutuò dare Reip. non autem ea largiri.

Neq; ad id tenentur vel ob prætensam consuetudinem, aut Præscriptionem, vel quia bona sint descripta in libro census sub nomine alicuius laici; di enim non tollit, quin bona sint Ecclesiastica, nec ea descriptio facit, vt bona sint hypothecata. Sicut hypotecham non inducit statutum, vel Senatus decretum iubens bona soluere onera; Transeunt enim bona cum onere in Ecclesiam iam imposito ijs, à Principe, vel Rep. & ordinario, non autem extraordinario, & imponendo ab eodem; vt etiam transeunt cum obligatione soluendi onera priuata iam imposita; Nec enim retinet Princeps, aut Resp. ius, quod habebat antequam bona fierent Ecclesiastica, vt scilicet ea grauare posset, cùm publicum bonum id exegisset, Priuilegio enim Ecclesiæ facto Principes, ac Populi assenserunt, & ideo ei iuri cesserunt. In extrema tamen necessitate reip. vt Ecclesiastici contribuāt potest Princeps efficere, cùm periculum est in mora, nec superior Ecclesiasticus commodè adiri pōtest. Extra hanc necessitatem nihil potest Princeps in Ecclesiastica bona, atq. adeo hæc non possunt ab eo obli-

gari nouis oneribus ordinarijs realibus, multò minus extraordinarijs, siuè realibus, siue personalibus, siuè mixtis. Neque idcirco Ecclesiastici sunt ingrati erga Remp. aut Principem, si nolunt onera soluere huiusmodi, cùm alia persoluant, spiritualia videlicet, nec fidei suæ desunt, quasi ex pacto contrahentes cũ laico s obligarint soluere onera omnia bonis imponenda, cùm se obligarunt eum seruare indemnem, non enim ad aliud soluendum se obligant, nisi ad id, quod ex iustitia debetur, & possunt iure laici exigere.

Nec timendum est ob Ecclesiasticorum exemptionem ab oneribus publicis, ne ad inopiam redigantur laici, cùm multa Ecclesiæ donentur in dies, nam præterquamquòd diuinæ prouidentiæ est omnes conseruare, si multa vno tempore acquirit Ecclesia, etiam multa alio amittit, vt docet experientia. Illud tamen aduertendum est multos à Deo malè mulctatos, quia in Ecclesiastica bona manus iniecerunt.

Cùm autem nullo bonorum Principum exemplo nec Sanctorum autoritate, nec lege aliqua, aut ratione possit probari ius aliquod habere Remp. aut Principem ad grauandos Ecclesiasticos, nullam habet probabilitatem opinio concedens eam potestatem. Cùm præsertim tot ex tributis, & alijs oneribus exigantur pecuniæ, vt in Mediolanensi ditione constàt, vt si rectè expendantur, copiosus ali possit exercitus sine Ecclesiasticorum grauamine, qui si grauentur modicum vtilitatis percipiet Resp.

Nec Coloni Ecclesiasticorum tenentur ad onera pro prædijs Ecclesiæ, quæ colunt, tenentur tamen pro fructibus, quos suos faciunt, cauere tamen debent laici, ne prætextu onerum pro fructibus verè

ea

ea imponant pro prædijs, vt videntur hoc tempore facere, Recordentur etiam eos fructus esse Colonorum alimenta, & pretium laborum, & ideo modicè esse grauandos.

Quoad emphyteutam verò, idem quod de col ono diximus, dicendum est, nisi praxis sit contraria alicubi. Sed pro prædijs, quæ habent ab Eclesia in Emphyteusim, tunc demum grauari posse concedo; si ea habeant ad indeterminatas generationes; secus, si ad tempus determinatum.

Bona etiam Patrimonialia Clericorum de iure grauari non possunt, ob eorum tamen multitudinem videtur Papa admittere consuetudinem ea grauandi. Imponentes onera Ecclesiasticis, ea imposita exigentes, & etiam non impedientes eam impositionem, sunt excommunicati, nec excusantur aliqua consuetudine, vel antiquo Priuilegio, aut probabilitate opinionis contrariæ, cùm hæc non sit probabilis. Et præter excommunicationem habent obligationem resarciendi damna, quæ passi sunt Ecclesiastici,

Demum poterit Princeps in necessitate Reip. sine Ecclesiasticorum, & Populorum magno grauamine ei subuenire. Primò si moderata sint tributa, cùm immoderata tumultus causent. Secundò, si imposita onera omnes soluant iuxta facultatum suarum proportionem. Tertiò si tributa imposita ob necessitatem aliquam, hac sublata tollantur, sic enim Populi sibi persuadebunt, ad breue tempus duratura esse, cùm noua aderit necessitas, & facilius ea sustinebunt sine tumultu, nec fraudes committent in vectigalibus. Quartò si superfluis sumptibus tum publicis, tum priuatis, tum suis, tum subditorum, parcet, partemq; eorum, quæ inutiliter expendebant, mutuò ab ijs

accipiat, fideliterq; poftea reftituat. Quintò fi ærario præponat, qui fideles, ac prudentes fint, ac minimè auari. Sextò fi Ditioni fuæ remittat maiorem partem onerum, cum pacto, vt ea alat exercitum. Septimò fi patrimonium fuum non vendat, nec annuos reditus. Et fi iam vendidit, emptoribus potius, quàm populis damnum afferat.

Inter Ecclefiafticos ergo, & laicam poteftatem hæc eft conftituta concordia; vt Ecclefiaftici foluant onera realia ordinaria bonis impofita priufquam ad Ecclefiam peruenirent; Neceffitati graui Principis. ac Reip. fint obligati fi iudicent laicorum facultates non fufficere, & Summi Pontificis confenfus accedat; Ob extremam verò neceffitatem arcendam poffunt laici etiam ab inuitis accipere fi aliter tueri fe non pofunt; laici verò alia non exigant onera ab Ecclefiafticis, nec eorum colonos grauent ob Ecclefiaftica bona; Vbi autem eft confuetudo, vt patrimonialia clericorum bona grauentur ficut & laicorum, eam fequantur.

Prædicta omnia ad maiorem DEI gloriàm, & Sanctæ Ecclefiæ decus, vt cedant enixè Diuinam rogo Maieftatem.

FINIS.

TO-

TOTIVS OPERIS

Index, in quo

Littera c. significat caput, littera n. Numerum, littera p. paginam, signum, §. Paragraphum.

Bar.

B

Idem

Bona

Cha-

Con-

Con-

Con-

Pro

Eccle-

E

Iidem

dire-

Exa-

Exer-

G

H

I

L

Laici

Le-

Li-

Moy-

N

&

Obe-

O

Offi-

P

Pec-

Pæ-

Prin-

R

Res

Sa-

S

Nec

T

Tri-

L. D. B. V.



Erratã magis præcipua	Corrige.
Pag. 2. in marg. Bellar. l. 3. c. 6.	Bellar. de cleric. l. 1. c. 28. in tom. 1. vol. 2
Pag. 3. lin. 1. subiecit.	subijcit.
lin. 9. cum 10. sacrum.	summum.
lin. 26. Sanctæ Mariæ, de Const.	Sanctæ Mariæ de Const.
Pag. 4. lin. 17. sup.	cap.
lin. vlt. l. inter.	cap. Inter.
Pag. 6. in marg. a q. 65.	q. 5.
Pag. 7. lin. 6. subenut.	subeuat.
lin. 16. Epiphanu.	Epiphanius.
lin. 27 Princeps.	Principes.
Pag. 8. in marg. Cochiel.	Cochier.
§. Vt fine.	§. Vt sane.
Pag. 10. lin. 14. Guarmariense.	Guarnaciense.
Pag. 11. lin. 7. indemuem.	indemnem.
lin. 11. c. 15.	c. 17.
lin. 21. com 22. Edictum senatus.	Edictum: senatus.
Pag 12. in marg. sed vberius.	sed vlterius.
Tragos.	Fragos.
lin. 21. Vide infra.	delendum est.
lin 24. Particula generalis.	Particula, Solis.
Pag. 13. lin. 3. Cleric.	Clem.
lin. 17. explicito.	explicato.
lin. 21. sessio.	lessio.
Pag. 17. lin. 3. se, & a	sed & a.
lin. 11. Ecclesiam.	Ecclesia.
lin. 24. cap. 51. solus.	cap. si solus.
lin. 25. Quod.	Quæ.
Pag. 22. in marg. Gabella.	Gabellæ.
Pag. 24. lin. 13 cum consensu.	omnium consensu.
lin. 23. suntq; posteriora.	sunt per posteriora.
Pag. 25. in marg. Manlius.	Maulius.
p. 1.	p. 7.
lin. antep. diminuere. Probo.	diminuere probo.
lin. 29. concessisse, non posse.	concessisse. Non posse,
lin. vlt. Pontificij.	Pontificis.
Pag. 26 in marg. Bauni de controuers.	Bauni de contract.
lin. 29. gratiarum.	grati animi.
lin. 30. eximere.	eximere,
Pag. 31. lin. 27. quia.	quæ.
Pag. 32. in marg. ad. 29.	d. 17. n. 29.
82.	§. 2.
63.	§. 3.
Pag. 37. in marg. 6. 23.	13.
lin. 10. inbutos.	imbutos.
lin. 30. sauet.	fauet.
Pag. 38. lin. 21. ve.	vt.
in marg. c Euthyn.	Euthym.
Pag. 45. lin. 24. Cenæ.	Cœnæ.
lin. 25. qnoscunq;	quoscunq;
Pag. 48. lin. 4. subleuaudas;	subleuandas:
Pag 49. lin 22. dicisioni.	decisioni.
Pag 51. in marg. Auik.	Auilez.
lin. 28. suis.	sacris.
Pag. 52. lin 6. l. 4. c.	l. 4. per multa capita
lin. 6. cum 7 Bellar.	Bellam.
Pag 53. lin. 25. institutiones;	instructiones,
Pag. 54. lin. 29. fossara.	fossata.
Pag. 55. lin. 28. magistrato.	Magistratu,
Pag. 60. lin. 1. silicet.	scilicet.

Errata magis præcipua.	Corrige.
in marg.6. Nemihe.	Nemine.
in marg e & q. q.	&c.
Pag.61. lin.2.prim.	primo.
l.n.27. insigriendi.	insignien di
in marg.a l.1.6.3.	l.1 c.3.
in marg.b. pri.n.3.	prou. a.3.
Pag.62. lin.9. compræhendere.	comprehendere.
Pag.63.lin.6.destincta.	distincta.
Pag 64.lin.30.Purificantur.	Parificantur.
lin.33.Io.Andrea.	Io.Andreas.
Pag.65.lin.13.futurum.	futurani.
Pag.66.lin.10.Irisdictiones.	Iurisdictiones.
lin.22.augumento.	augmento.
Pag.68.lin.13. ac lantur.	alantur.
Pag.69.in m.6. D.Th 2.& q.95 ar 4.2.q.	D.Th.2.2.q.99.a 4. & q.185.
Pag.71.in marg.a ref.7. 80.41 .80.	ref.7. 8.41.80.
Pag 72.in marg a conf.32. Io.Andr Abbas.	conf.31. Io. Andreas Abbas.
lin.11.clerici.	Clericorum.
Pag.75.lin.4 Nostrae.	nostros.
lin. 5. tendit non Charitas.	tendit Charitas.
Pag.76.lin.2.nulus.	nullus.
in marg l.ti penes.	l. Hi penes.
suos Eccl.	Sacros. Eccl.
Pag.77.in marg n. Collecte.	v.Collectæ.
Pag.83.lin 8.grauantur.	grauantur.
Pag.85.lin.31.Pate r.	Pater
Pag.90.lin.2.nani si.	nani hi.
Pag.93.lin.13.in mora. Non negant.	in mora, non negant.
Pag.95. lin.27.ergo.	etiam.
Pag.96. lin.30 habet.	habeat.
in mag.5.67.	5.6.7.
Pag.97. lin.2.damnunt.	damnunt:
Pag.100.lin 12.prfertim.	præsertim.
Pag.101 lin 24. iur.quæ.	iur, & ideo quæ.
Pag.105. lin.15.& forte & proprias.	& propter proprias.
Pag.106 lin.29.possit.	posset.
Pag.107.lin.10 attingat.	attingit.
Pag.108.in marg.l 1	l. 2.
Pag.109. lin. 11. custodit seruat.	custodit, ac seruat.
lin.12.dirigit.	diripit.
in marg. quodt.	quodl.
opusc. l. 1.	opusc.l.2
Pag. 111.in marg.6.p.41.c.n.tx.	p 4.c.10.
Pag 112. lin.5.elimandam.	eliminandam.
lin 10.C.de Regul.	C. de Regud.
Pag.115. lin.17.quælibet.	quilibet.
Pag 120.in marg.de maer.	de matr.
Pag.122. lin 9. iu.	id.
Pag.123.lin.15.scentiunt:	sentiunt.
lin.17.Assentunt.	Afferunt.
Pag 124.lin.27.cap.sexto.	c.2.3.4.sexto.
Pag 125.lin 1.concedere.	condere.
Pag.126.lin.21.dicant:	dicunt.
Pag.128 lin 2.negant.	negent.
Pag.130 lin.16.ex.	ea.
Pag 131.lin.24.fic.	fit.
lin 28. honori, defendendo.	honori defendendo.
Pag 133.lin.27.aggessores.	aggressores.

lin.

Errata magis præcipua	Corrige.
lin.23. possint.	possit.
decreuerit.	decreuerin
Pag.134.lin.30.cum 31.improuisio,	improuiso.
Pag.136. lin.11. vestitum.	vetitum.
Pag.137.lin.21.ignens.	ingens.
præ.	pro.
Pag.138.lin.15.conecdete.	condete.
lin.21.statuens irritum.	statuent, irritum
lin.26.161.	ibi.
Pag.138.lin.21. possint.	possit.
Pag.140 lin.27.peccat.	peccet.
Pag 141.lin.19.redenda.	reddendà.
lin.8.necessitatem inuita.	necessitatem inuità.
lin.32.& à.	ea à.
Pag.141.in marg.cap.Princeps 33.	cap.Princeps.23.q.5.
Pag.143. lin.30. iurisditionem.	iurisdictionem.
Pag.144. lin.vlt.si.	si.
Pag.146 lin.19. arbrit.	arbitr.
in marg. a.v.158.	à n.158.
Pag 149 lin.15.ex.	ea.
lin.19 proferet.	proferet?
lin.21. subsidia?	subsidia.
lin.28.versum stare.	versum, stare.
lin.29.Persanum.	Persarum.
Pag.151.lin.26.liberasse. culicum.	liberasse, culicum.
lin.30. catuisset impetrata.	caruisset, impetrata.
lin.31 mista.	mixta.
in marg.c.45.	451.
in marg f.lurpr.	luitpr.
in marg.g.M.Antonij.	M. Antonini.
Pag.152.lin.2 famæ.	fame.
lin. 15. plega.	plena.
in marg d. an vib.	an. 816.
Pag.153.lin.13.hæc ideo.	hæc: ideo.
lin.24. reip aut.	reip, aut.
lin. 26. Ecclesiastiei in miljtum.	Ecclesiastici, in militum
Pag 157. in marg e.Rec.	Dec.
Pag 158.lin.14. noluise.	noluisse.
lin.vlt. ditione ad.	ditione, ad.
Pag 159 lin.3.peius estper.	peius est, per.
Pag.161 lin 5.deerit ex nostro.	deerit, ex nostro
lin.12 vtriusq;	vtrisq;
Pag. 162.lin.20. accepta.	cæpta.
Pag.165.lin.23.grauentur.	grauantur.
Pag.166.lin.24.possesiones.	possessiones.
Pag.167.lin.20 arbirratu.	arbitratu.
Pag.172.lin.1.quæ.	que.
Pag.173 lin 9. præsertim.	præsertim.
Pag.18.lin.17. fæminæ laicorum.	fæminæ in laicorum.
Pag.183.lin.1. vtihlitatem.	vtilitatem.
lin.13.negata.	negata.
lin.14. vestigalium.	vectigalium.
Pag.184.lin.9.proprerea.	propterea.
lin.vlt.notr is.	horreis.
Pag.186.lin.2.obligationi ab, Ecclesiastico.	obligationi, ab Ecclesiastico.
lin.32.indicant	iudicat.
Pag.188.lin.16.cum 27.Ecclesiastici.	Ecclesiastici.
Pag.189.lin.5 Extensam.	Ostensam.

lin.

Errata magis præcipua.	Corrige.
lin.16.cum 17.vineas.	vineas.
Pag. 197. lin. 5. Regionibus & allis Ecclesiastici iuris esse.	Regionibus, & aliis, Ecclesiastici iuris esse.
lin 21 armis quibus.	armis, quibus.
lin.30.Ecclesiesticis.	Ecclesiasticis.
Pag.200.lin.2.caritate, debetur.	caritate debetur.
Pag.204.in marg 6. Eiem.	eleem.
Pag.205.lin 27. tamem.	tamen.
lin.28 & vti.	ea vti.
lin.32, exercedum.	exercendum.
Pag.206. lin 15.soluant.	soluent.
Pag. 206.lin.15.œconomicæ.	oeconomiæ.
Pag 212.lin.4. facerent.	faceret.
Pag 213.lin 13.alterius.	alacrius.
lin.15.contingerat.	contigerat.
lin.17. repræheusione.	reprehensione.
Pag. 215.lin 2 hebere.	habere.
lin 16. acceptandam obligat.	acceptatam, obligat.
Pag.216.lin.23. fuerint.	fuerit.
Pag.217 lin.1 præscriptum.	præscripta.
in marg e de bapt.paruul.Greg.&c.	de bapt.contra Donat.c.6.alia deleantur.
Pag.218.lin.17. discripta.	descripta.
Pag.220 lin.19.desripta.	descripta.
Pag.222.in marg.6 Eccer.	Encr.
Pag.223.in marg. 6 Tamal.	Zamal.
Pag 224.in marg 6 Brul.	Brun.
Pag 225.lin.10. aliqua.	aliqui.
lin. 24.fit.	fit.
lin.26. etiasi.	etiamsi.
in marg.c.2 reliquæ t.	reliqu, &c.
Pag.226.lin.20.lex aliqua &c.	Desunt multæ lineæ accipiendæ a sequenti pagina 227. lin. 3. Nam neq; vsq; ad lin 23. Ascriptio enim.
Pag 228. lin.24. confondiat.	confodiat.
Pag.231.lin.10.confer.	confecr.
lin.12. translata huiusmodi onere.	transiata ab huiusmodi onere.
Pag.232.lin.16.negari cum magno.	cum negari cum magno.
Pag.234. lin 31 citatos.	citat.
Pag.235.lin 2.dominio.	domino.
Pag 236. lin.31.fiscalium.	fiscalium.
Pag 237.lin 8.cum lin.9.oppositum,	appositum.
lin 11.acquirere,cum.	acquirere cum.
Pag.238.lin 2. traslata.	translata.
Pag.239. lin 13. Plact.	Placet.
lin.28.cum 29.pe. sonae.	personale.
Pag.241.in marg. coron.	Coin.
Gallicam.	Galliam.
Pag.242 lin.2.Barpium.	Beroium.
Pag.243.lin 9.Dumasium.	Zumassum.
Pag.250.lin.2. aliàs	a js.
lin.14. personale si. acubi.	personale alicubi.
Pag.252.in marg. Golizonus.	Grinzonus.
Pag.253.lin.25.cum 26. toluendi.	soluendi.
Pag.259.lin.30. Ecclesiastici d.	Ecclesiastici dicto
in marg. 6 Tufteoi.	Tutteer.
Pag.260.in marg.Caster.	Castr.
Pag.263.in marg Gueguara.	Gueuara.
Pag.265.lin.14.leg.leg.	leg, leg.
Pag 266.lin.4. leg leg.	leg., leg.

Pag.




LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
1921
ROMA

